

IO. TOBIAE KREBSII


OBSERVATIONES

IN

NOVVM TESTAMENTVM

E

FLAVIO IOSEPHO.



LIPSIAE

APVD IOANNEM WENDLERVM.

A. MDCCLV.



SACRI SENATVS SVMMI DRESDENSIS

PRAESIDI

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. CHRISTIANO GOTTLIEB

SACRI ROMANI IMPERII COMITI

AB HOLZENDORF

DYNASTAE CLIENTELARVM BAERENSTENII STRASSGRAEBGENAE CET.

POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS SERENISSIMIQVE SAXONIAE PRINCIPIS ELECTORIS A CONSILIIS INTIMIS CET.

LITERARVM STATORI PRAESIDIOQVE SPLENDIDISSIMO.

NEC NON

VIRIS

ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS

SVMME REVERENDIS CONSVLTISSIMIS DOCTRINAE MVNERVMQVE DIGNITATE MAXIME CONSPICIENDIS

EIVSDEM SACRI SENATVS

CONSILIARIIS ET ASSESSORIBVS GRAVISSIMIS PRVDENTISSIMIS

DOMINO

D. GOTTLOB HENRICO HEYDENREICH

IVRISCONSVLTO AMPLISSIMO CONSILIARIO CVM IN IVDICIO AD QVOD PROVOCATIONE CERTATVR TVM IN SVMMO SENATV SACRO MAXIMIS MERITIS GRAVISSIMO

DOMINO

D. IO. GOTTFRIED HERMANNO

CONCIONATORI AVLICO PRIMARIO CONSILIARIO SVPREMI SENATVS SACRI CONSVMMATAE DOCTRINAE THEOLOGO DE REPVBLICA LITERARIA ET SACRA MVLTIS NOMINIBVS MERITISSIMO

DOMINO

D. IO. GOTTLIEB LEYSERO

IVRISCONSVLTO SAPIENTISSIMO PRVDENTISSIMO CONSILIARIO SENATVS ECCLESIASTICI OMNIBVS VIRTVTVM DOCTRINAEQVE LAVDIBVS ORNATISSIMO

DOMINO

D. IO. IOACH. GOTTLOB AM - ENDE

CONSILIARIO ECCLESIASTICO SACRORVM DRESDENSIVM ANTISTITI VIGILANTISSIMO LITERARVM DIVINARVM HVMANARVMQVE CONSVLTISSIMO

a 3

DOMINO

D. IO. AVGVSTO BECKERO

IVRISCONSVLTO PRVDENTISSIMO SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO DOCTRINAE MERITORVMQVE DIGNITATE MAXIME CONSPICIENDO

DOMINO

IO. IACOBO STRANTZIO

A CONCIONIBVS SACRIS AVLAE SACRI SENATVS ASSESSORI ERVDITIONE PIETATE FIDE PRAESTANTISSIMO

DOMINO

CONR. FERDINANDO GOTTSCHALCK

IVRISCONSVLTISSIMO SAPIENTISSIMO SANCTIORIS SENATVS ASSESSORI OMNIBVS LAVDIBVS FLORENTISSIMO.

PATRONIS OPTIMIS MAXIMIS

D. D. D.

VIRI

ILLVSTRISSIME ILLVSTRES
MAGNIFICI SVMME REVERENDI
CONSVLTISSIMI AMPLISSIMI,



Quod maxime optabile esse solet iis, qui Viris, doctrinae, munerum, meritorumque dignitate conspiciendis, librum dedicare instituunt, vt iis non solum in aliquam notitiam venerint, sed suae etiam

felicitatis partem aliquam debeant, gratumque adeo et pium animum suum ea re quodammodo probare possint; id mihi hunc libellum SPLENDIDISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS inscribenti, obtingere, maxime laetor, dignumque agnosco, quod de hac felicitate mea mihi ipse gratulandam putem. Nostis, quod merito in aliqua felicitatis meae parte pono, Krebsium: neque vero nostis solum, sed etiam, quod non minus ad laudem meam existimationemque honorificum, quam ad vtilitatis meae rationes fructuosum iudico, ab aliquot inde annis beneficii VESTRI me fecistis, atque adeo in felicissimo illo clientum VESTRORVM choro censeri voluistis. Quatuor fere anni sunt, cum, aliqua de doctrina mea opinione, et spe, VESTRAE

STRAE de me expectationis sustinendae, commoti, Chemnicio me Grimam, ad munus Collegae III. in Illustri Moldano obeundum, euocastis. Nondum integrum annum eo munere functus eram, cum sanctissima VESTRA grauissimaque auctoritate Conrectoris munus clementissime mihi committeretur. Quae beneficia, quamquam et sua dignitate, et quoniam a VOBIS profecta sunt, maxima duco, tamen multo maiora et ampliora mihi eo nomine videntur, quod ea in me magnifice contulistis. Nam, vt consuleretis ingenuo hominis liberalis pudori, qui lubentius gratias agit, quam petit; petitioni meae, celsitudine illa animi, liberalitateque VESTRA occurristis, et, priusquam peterem, vltro, quod optarem, dedistis,

adeo, vt haec beneficia non importunis precibus VOBIS extorta, ſed a VESTRA liberalitate ſponte oblata mihi eſſe videantur. Quod quidem non eo commemoro, quo me de honorifico illo VESTRO de me iudicio magnifice et ambitioſe iactem, aut meae ipſius dignitati aliquid, meritisque tribui velim: ſed vt inſignem VESTRAM, nullisque laudibus ſatis celebrandam, in me clementiam et beniuolentiam publice praedicem, et declarem, quam ſtudioſe mihi in eo laborandum ſit, vt VESTRORVM beneficiorum gratiam cepiſſe, VESTRAMQVE de me expectationem ſuſtinere videar. Ea enim eſt hominis liberalis indoles, vt, quo pluribus maioribusque beneficiis ornatus eſt, eo grauius onus impoſitum ſibi putet, cum ita iudicet,

cet, magnam illam ſpem et expectationem, quam Patronis ſuis de ſe mouit, grauem aliquam aduerſariam conſtitutam et paratam eſſe, quam non alia ratione ſuſtinere tuerique ſe poſſe credit, quam ſi Patronis ſe ſuis probauerit eum, quem tanta ipſorum beneficia eſſe volunt, et hominem gratum, beneficiorumque memorem decet. In meo certe animo, ex eo inde tempore, quo VOS, PATRONI OPTIMI MAXIMI, me in Doctorum huius illuſtris Gymnaſii numero eſſe voluiſtis, iſta cogitatio, iſta cura perpetuo verſata eſt, vt rationem et vitae, et muneris mei obeundi tenerem eam, quae VESTRAE de me ſpei expectationique reſponderet, neque vllo modo committerem, vt VOS beneficia, in me collata, non diligen-

ter

ter satis, et in loco posuisse videremini. Quod quidem ita consecuturum me esse putabam, si et munus mihi demandatum ita obirem, vt grauissima VESTRA sanctissimaque auctoritas iubet, et animum gratum piumque VOBIS omni occasione declararem. Huius castae meae in VOS pietatis monimentum quoddam, et quasi pignus, hunc libellum, NOMINIBVS VESTRIS SPLENDIDISSIMIS inscriptum, VOBIS offerendum putaui. Et cum Pietatis ea semper fuerit gratia, ea commendatio, vt, quae ab ea profecta essent, quamuis tenuia, tamen probarentur, et pro magnis haberentur: certissima me dulcissimaque spes tenet, fore, vt, qua clementia, benignitate, comitateque me semper excepistis, eadem

dem

dem hunc libellum, fideliſſimum animi mei grati et pii Interpretem, admittatis. Neque vero pietatis ſolum VOBIS probandae ſtudium, quamquam id praecipue, ſed alia etiam ratio quaedam me commouit, vt hunc libellum ad VOS deferrem. Scilicet, cum hic libellus in ſcriptorum non ſacrorum ſolum, ſed profanorum etiam interpretatione verſetur; ex eo quodammodo de omni ratione, quam in auctoribus, alumnis diſciplinae meae interpretandis, tenere ſoleo, iudicari poteſt. Cum autem VOS iure VESTRO totius diſciplinae meae rationem poſtulare poſſitis, ego autem nulli, praeter VOS, rectius me reddere poſſe putem: iuſte me, munerisque mei rationi conuenienter facturum eſſe credebam, ſi hunc libellum, tan-

quam

quam ſpecimen quoddam totius rationis meae, in interpretandis auctoribus huc vsque adhibitae, VOBIS exhiberem, diiudicandumque, et quaſi ſpectandum, ſubmitterem. In qua re ſi VESTRAE de me ſpei expectationique quodammodo ſatisfeciſſe me intellexero; vberrimum dulciſſimumque fructum laboris, in hoc libello ſcribendo collocati, percepiſſe me exiſtimabo: magis autem de mea mihi felicitate gratulabor, ſi cognouero, VOBIS pietatem obſeruantiamque probari meam. Hae fuerunt cauſae, quae me commouerunt, vt hunc libellum SPLENDIDISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS inſcriberem: in quo non tam id ſecutus ſum, vt aliquam aeris alieni partem diſſoluerem (ridiculus enim eſſem, ſi id poſtularem)

rem) ſed vt hac publica quaſi tabella profiterer, me mancipio eſſe VESTRVM, et meae in VOS obſeruantiae, ſiue pietatis potius, liberaliſſimam iucundiſſimamque ſeruitutem hoc teſtimonio adſtringerem. Caeterum, ita fauſta quaeque mihi ſemper obtingant! vt ego caſto et pio animo precor, vt Deus Optimus Maximus VOS omnibus rebus, quibus felicitatis humanae ſumma cenſetur, florentiſſimos eſſe iubeat, VESTRAMQVE vitam ad eum, qui mortalitatis extremus eſt, terminum producat, vt, ILLVSTRISSIMO PRAESIDE, totoque illo ſancto Senatu florente, Eccleſia, et Reſpublica Literaria, Sarta tectaque conſeruetur, omniumque literarum cultura, tantis earum Auctoribus et ſtatoribus indies

magis

magis magisque effloreſcat. Denique humaniſſime rogo, vt VESTRAM illam clementiam, benignitatem, beniuolentiamque mihi ſeruetis, qui pietatem obſeruantiamque in VOS meam non niſi cum ipſa vita depoſiturus ſum:

VIRI

ILLVSTRISSIME ILLVSTRES
MAGNIFICI SVMME REVERENDI
CONSVLTISSIMI AMPLISSIMI

TANTORVM NOMINVM VESTRORVM

deditus addictusque cliens

IO. TOBIAS KREBS.

PRAE-

PRAEFATIO.

Cum in ſacris libris, quorum corpus Noui Teſtamenti nomine inſignire ſolemus, loca occurrant multa, et verborum, et rerum obſcuritate inuoluta, quorum tenebrae non poſſunt, niſi luce, ex veteribus ſcriptoribus Graecis illata, diſpelli; multi Viri docti eius ſententiae fuerunt, vt putarent, ſe rem vtilem, literisque ſacris debitam, eſſe facturos, ſi, quicquid in Vetetum Graecorum lectione ad hanc rem accomodatum obſeruaſſent, ad N. T. libros exponendos illuſtrandosque conferrent. Quodſi hoc inſtituto, hac interpretandi ratione ii tantum uterentur, quorum in hoc doctrinae genere ea notio, ea ſcientia eſt, vt Hebraicas loquendi formulas ab iis, quae graecae ſunt, probe diſcernere, eumque dilectum ſcriptorum Graecorum adhibere poſſint, qui ad N. T. illuſtrandum faciant; eſſet ſane, quod multum vtilitatis, ad ſacras literas redundaturae, inde ſperandum putaremus. Nunc, cum maior eorum ſemper fuerit copia, qui, huius rei cognitionem accuratam nunquam aſſecuti, tamen hoc interpretandi munus in ſe

b ſuſ-

ſuſcipere ſuſtinuerunt, quam illorum, qui veram interpretandi rationem tenuerunt: in dubitationem adduci nec poteſt nec debet, multos libellos, Nouo Teſtamento ex ſcriptoribus Graecis illuſtrando, ſcriptos, ſaepiſſime impedimenti obſcuritatisque plus, quam adiumenti et lucis ad interpretationem eius illuſtrationemque attuliſſe. Et ſane, ne de aliis difficultatibus, quas hoc interpretandi genus habet, nunc dicamus, magna cautione, accuratoqne dilectu ſcriptorum Graecorum, ad N. T. illuſtrationem adhibendorum, opus eſt, ne iis abutamur, quorum ſcribendi ratio ab ea, qua ſcriptores ſacri vſi ſunt, quam longiſſime recedit. In quo genere Viros etiam doctiſſimos ſaepe peccaſſe deprehendimus: Qui enim obſcuris N. T. locis e Poëtis, paullo audaciore inprimis dicendi genere vſis, quales Lyrici et Tragici ſunt, lucem accendere inſtitueruut, ii non cogitarunt, ſe conferre et comparare inter ſe ſcriptores, dicendi genere quam maxime a ſe diſcrepantes. Nam cum ſcriptores ſacri N. T. vſi ſint dicendi genere populari, vt ab omnibus, imperitis etiam, et rudibus intelligi poſſent; neminem tam male credulum futurum eſſe putem, qui ſibi perſuaderi patiatur, Poëtas, qui ſaepiſſime ne humane quidem, nedum populariter, loquuntur, ad Nouum Teſtamentum interpretandum conferri, eiusque dicendi rationem, ſubtilem et ſummiſſam, ex illorum loquendi formulis, audaciſſimis ſaepe, et maxime periculoſis, illuſtrari poſſe? In hoc genere inprimis peccauit, doctisque omnibus, qui in

in interpretandi ratione aliquid viderunt, risum, et fere ludibrium debuit Pfochenius. Nam omnia fere exempla, ad N. T. illustrationém, graecaeque linguae puritatem defendendam adducta, ex Poëtis sunt, inprimis Tragicis, et vno fere Euripide, corrasa: vnde Rhenferdius et facete, et vere dixit, multo melius et aptius Pfochenium suam Diatriben inscripturum fuisse, *de Linguae Graecae N. T. Tragicitate vel Euripideitate*, quam *puritate*. Et profecto bonus ille Pfochenius in toto hoc interpretandi genere nihil vidit, vt vere de eo iudicat magnus ille Calouius in Critico sacro. Nam in Poëtis multa audacia et periculosa, seu, vt Graeci expressius, παράβολα, παρακεκινδυνευμένα, facile feruntur, quorum insolentia in solutae orationis scriptoribus animos lectorum auresque valde offenderet. Quis enim in scriptore prosaico, populari inprimis, ποδώκες ὄμμα, ποδώκες χάλκευμα, *oculus mobilis*, *gladius*, *quo quis repente interiit*, aut νεακόνητον αἷμα pro *gladio cruento*, et sexcenta talia non sine magno aliquo taedio legat? quae tamen in Aeschylo et Sophocle feruntur, Poëtarumque enthusiasmo facile condonantur. Praeterea Poëtae multas habent loquendi formulas, ductas ex Lingua Orientali, neque adeo aptas ad Graecae Linguae N. T. puritatem defendendam, quod aliquoties Marklandus, V. D. ad Lysiam obseruauit. Quid, quod Poeta saepe verbis idem docere videntur, quod scriptores sacri, cum re ipsa multum ab iis discrepent? In quam rem vel duo exempla afferre iuuat. Notissimam illam loquendi formulam, de Christo

vſurpatam, καθῆσθαι ἐκ δεξιῶν τῦ πατρὸς, Viri docti plerique omnes, vti erat, ita ab Ebraico ſermone repetendam, atque adeo ex eodem exponendam putarunt: Sed ecce, quidam exortus eſt, qui omnem Hebraiſmi ſuſpicionem ſe tollere poſſe putauit laudato illo Callimachi loco, Hymn. in Apoll. v. 30. vbi de Apolline ita: Δύναται γὰρ, ἐπεὶ Διὶ δέξιος ἧσαι. Et videtur ſane hic locus perquam aptus ad Hebraiſmum tollendum: nihilo tamen minus ad rem praeſentem eſt maxime ineptus, cum eius longe alius ſenſus ſit, quam illius rationis loquendi in ſacris literis, *ſedere ad dextram patris.* Nam in his, vt ſatis notum, ſignificat, Chriſtum etiam quoad humanam naturam eiusdem maieſtatis, eiusdemque potentiae, qua ipſe Pater, eſſe: apud Callimachum autem non denotat, Apollinem eandem poteſtatem, idem imperium, quod Iupiter, habere, ſed hoc tantum, *Apollinem valde potentem eſſe, quia ad dextram Iouis ſedeat*; adeo vt ſeſſio ad dextram Iouis nihil aliud ſit, quam documentum et indicium honoris et auctoritatis Apollinis. Nihil igitur ille locus valet ad hunc Hebraiſmum tollendum: ne illud addam, quod Illuſtris Spanhemius, coniectura perquam commendabili ductus, ad h. l. Callimachi obſeruat, a vero non abhorrere, Callimachum, in Bibliotheca Alexandrina verſatum, illam loquendi formulam, cum apud nullum alium ſcriptorem profanum occurat, ex LXX. virali interpretatione hauſiſſe. Quicquid eius ſit, negari non poteſt, hunc Callimachi locum nullo modo ad illam ſacram loquendi rationem neque interpre-

pretandam, neque ab hebraiſmi ſuſpicione vindicandam adhiberi poſſe Neque felicius quidam Viri docti verſati ſunt in illa loquendi formula, ἀνοίγειν τὸ στόμα, ex Poëtis et illuſtranda, et ab Hebraiſmi ſuſpicione vindicanda, cum ſit mere hebraica. Hebraei enim, eorumque loquendi morem ſecuti ſcriptores ſacri N T. cum commemorare volunt *aliquem loqui*, aut *docere adeo voluiſſe*, praemittere ſolent, eum *os aperuiſſe*, et pleonaſtice ponitur: quod loquendi genus, eodem modo vſurpatum apud τοὺς ἔξω fruſtra quaeres. Et tamen Viri doctisſimi, Stolbergius et Elsnerus, ſe hunc Hebraiſmum tollere poſſe crediderunt, adductis quibusdam Aeſchyli et Sophoclis locis: quae ſi quis ipſe conſuluerit, accurateque conſiderauerit, intelliget, quam maxime inepte ea eſſe laudata. Nam apud Sophoclem v. c. in Ajac. v. 142. σκαιὸν ἐκλύειν στόμα eſt *conuiciari*, vt recte Ennarrator Graecus exponit; ne dicam, ibi non pleonaſtice, vt in in ſacris literis, poni. Idem iudicandum de caeteris locis a Stolbergio Elsneroque in hanc rem laudatis. Multa in hanc rem afferre poſſemus exempla, ſi id nunc ageremus, aut ex aliorum erroribus caſtigandis gloriolam aliquam aucupari vellemus. Quae autem in hanc rem diſputauimus, fecimus eo conſilio, vt iuuenes harum literarum ſtudioſos contra iſtam illuſtrandi N. T. e Poëtis Graecis rationem, minus ſapienter accurarateque inſtitutam, mature praemuniremus, et oſtenderemus, quam caute, circumſpecte, religioſeque in ea re ſit verſandum. Quod eo frequentius diligentiusque monendum videtur,

quo magis etiam nunc iſtam interpretandi rationem, dudum iam Gatakero, Solano, aliisque reiectam et exploſam, multis arridere et probari animaduertimus, cum nuper duo prodierint libelli, qui partim ex Callimacho, partim Theocrito N. T. nobis illuſtrare voluerunt: quamquam iſtis libellis iuſtum ſuum pretium ponitur: a nemine enim nec quaeruntur, nec leguntur. Sed haec cautio in dilectu ſcriptorum Graecorum ad N. T. illuſtrationem adhibendorum inſtituendo, non ſolum ad Poëtas ſpectat, ſed etiam latius patet. Nam ii quoque non ſatis caute et circumſpecte agunt, qui N. T. dictionem aut illuſtrare, aut eius puritatem defendere volunt partim ex Philoſophis, partim ex ſcriptoribus, qui longo tempore poſt ſcriptorum ſacrorum aetatem vixerunt, cum illi a populari loquendi vſu ſaepe quam longisſime recedant, et in multis locis ne a doctisſimis quidem Viris intelligi posſint, hi autem puram ſinceramque Graecae linguae rationem non amplius ſeruent, ſed multa vocabula, multasque loquendi formulas habeant, quas veteris Graecae linguae indoles et elegantia non agnoſcit. Sed longam huius rei diſputationem neque huius loci anguſtiae capiunt, neque inſtituti noſtri ratio patitur. Omnium haud dubie optima, et maxime probanda Noui Teſtamenti e ſcriptoribus Graecis illuſtrandi ratio haec eſt, quae adhibet et confert ſcriptores Graecos veteres, qui et puro, et populari perſpicuoque dicendi genere ſunt vſi. In quorum numerum, ex eo inde tempore, quo in hoc interpretandi genere

ali-

aliquid coepi videre, Iosephum inprimis referendum esse, et putaui, et prae me tuli. Nam, etsi is scriptor est, qui serius, ac scriptores sacri, opera sua scribere aggressus est; tamen iure suo inter felicissimos veteris Atticae elegantiae imitatores ponendus est; adeo vt, si eam non plane assecutus, quam proxime tamen ad eam accessisse videatur: dicendi autem genus, quando in rebus gestis tradendis versatur, tam populare et perspicuum est, vt, si hebraicas loquendi formulas exceperis, non facile alius scriptoris similius illi, quo N. T. consignatum habemus, habendum sit. Quid, quod multae res in N. T. occurrunt, quarum et illustratio, et confirmatio ex nullo fere alio scriptore, quam e Iosepho, peti potest? Quare, cum cognouissemus, in tanta eorum multitudine, qui et superioribus, et nostris temporibus Nouo Testamento lucem ex scriptoribus profanis accendere studuerunt, nullum fuisse, qui ad hanc rem Iosepho vteretur; (nam quae Ottius in Lexico Flauiano habet, perpauca sunt) rem suscepturos nos esse putabamus et iuuenibus harum literarum studiosis vtilem, et Viris doctis non iniucundum, si, quod nobis a laboribus scholasticis superesset, tempus studiumque in Iosepho iterum legendo, et cum Nouo Testamento conferendo collocaremus. Quod consilium nostrum non parum postea confirmauit cohortatio Hauercampi, qui in Praefatione ad Iosephum in hanc rem ita; *Quae quidem vltima pars*, (loquitur de centuria locorum N. T. ab Ottio in Lexico Flauiano suppeditata) *specimen continet laboris vtilis*

lissimi, si quis eum subire vellet, vt ad Raphelii morem, sicut ille ex Polybio, Xenophonte atque Arriano collegit, quae ad N. T. illustrationem faciant, Iosephum quoque accurata industria perlegeret, quem plurimum in phrasi sua atque verbis cum S. S. N. T. conuenire, inter legendum saepissime deprehendimus. Neque vero ab hoc consilio dimoueri nos passi sumus, cum cognouissemus, Ottium, paullo ante laudatum, postea edidisse *spicilegium, siue Excerpta ex Flauio Iosepho ad Noui Testamenti illustrationem.* Nam, perlecto libro, eadem, et iisdem fere verbis deprehendimus, quae in Lexico Flauiano continentur, quibusdam obseruationibus auctis, quibusdam nouis adiectis: ne dicamus, Virum illum doctissimum longe alind quid in illo spicilegio secutum esse, atque nos in his Obseruationibus, quarum partem aliquam nunc exhibuimus, gustum eruditorum, iudiciumque experturi: quod si spei nostrae votoque respondisse intellexerimus; sequetur hunc libellum alius, ipse quoque ad N. T. illustrationem a Iosepho petitam spectans. Nam in liturariis nostris ea silua Obseruationum Flauianarum congesta erat, vt, si omnes hoc libello comprehendi voluissemus, altero tanto maior fuisset factus. Sed consultius nobis visum est, aliqua earum parte iudicia Virorum doctorum experiri, quam omnes in publicum quasi protrudere. Vale, Beneuole Lector, et, si hinc inde titubasse nos, lapsosque videris, humanae imbecillitati id condonandum putabis. Scrib. Grimae Non. April. CIↃ IↃ CCLV.

MAT-



MATTHAEVS.

CAPVT I.



v. 17.

Πᾶσαι οὖν γενεαὶ) Respondet graeca vox Hebraeae תּוֹלְדוֹת, quam male vulgo cum *vulgato* reddunt *generationes*, confundentes γένεσιν et γενεάν. Scilicet hic, vt alibi saepe in sacris literis, γενεὰ est *spatium, quod duas sibi inuicem succedentes interiacet natiuitates*, siue *ille successionis ordo, quo alius ex alio nascitur*. Latini *Aetatem* vocant. Vide IS. VOSSIUM in Castigatt. HORNII c. IV. et de vario huius vocis vsu PERIZONIUM in Origg. Aegyptiac. p. 175 seqq. Eo sensu, quo hoc loco vtimur, dubitant quidam viri docti, an apud τοὺς ἔξω occurrat? Et WOLFIUS quidem, ὁ μακαρίτης, ex IENSIO in eam rem laudauit locum Homeri Ἰλιάδ. ζ. v. 145. Sed si quis Homerum ipsum inspexerit, τῆς γενεᾶς significatum ibi esse huic nostro longe dissimillimum, inueniet. Apud Iosephum autem ea vox eodem, quo in sacris literis, significatu saepe occurrit. Sic Lib. Antiquitt. c. VII. §. 2. refert ex Beroso: μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ΔΕΚΑΤΗΙ ΓΕΝΕΑΙ παρὰ χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνήρ. *DECIMA POST DILVVIVM AETATE apud Chaldaeos vir extitit iustus* etc. Lib. VII. Antiquitatt. c. 5. §. 2. Τελευτήσαντος

τος δ' ἐκείνȣ, οἱ ἀπόγονοι ἐπὶ ΔΕΚΑ ΓΕΝΕΑΣ ἐβασίλευον. *Eo mortuo, posteri eius in DECEM AETATES regnarunt:* et Lib. V. Antiquitatt. c. 9. §. 4. Ὠβήδȣ δὲ γίνεται Ἰεσσαῖος· τȣ́τȣ Δαυίδης ὁ βασιλεύσας, καὶ παισὶ τοῖς αὐτȣ̃ καταλιπὼν τὴν ἡγεμονίαν ἐπὶ ΜΙΑΝ ΚΑΙ ΕΙΚΟΣΙ ΓΕΝΕΑΣ ἀνδρῶν. *Ex Obedo autem prognatus est Iessaeus, ex hoc Dauid, qui regnauit, et liberis suis principatum reliquit usque ad PRIMAM ET VICESIMAM VIRORVM stirpem:* et Lib. VII. Antiquitatt. c. 6. §. 6. de posteris Iehu, ὁ Θεὸς διὰ τȣ̃ προφήτȣ προεῖπεν, ἐπὶ ΤΕΣΣΑΡΑΣ γενεὰς τȣ̀ς παῖδας αὐτȣ̃ βασιλεύσειν τῶν Ἰσραηλιτῶν, *Deus ei per prophetam praedixit, liberos eius in QVARTAM VSQVE STIRPEM in Israëlitas regnaturos esse.*

μνηστευθ

v. 18. Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς) Particula γὰρ elegantem hic vsum habet: neque enim hic, ut alias fere, rationem antecedentis propositionis reddit. Notent igitur tirones, Graecos narrationem alicuius rei exordiri particula γὰρ addita, sed tum demum, cum scriptor antea significarit, se aliquid narrare velle. Iosephus Lib. I. Antiquitatt. c. II. §. 3. πειράσομαι δὲ μόνα τὰ τῶν ἀπὸ Σήθȣ διελθεῖν. Τραφεὶς ΓΑΡ ἔτος. *Conabor autem ea sola, quae ad Sethi posteros spectant, commemorare. Is a patre educatus.* De B. I. Lib. VII. c. 3. §. 3. Περὶ ὧν (Ἰȣδαίων Ἀντιοχέων) ἀναγκαῖόν ἐςι διὰ συντόμων προειπεῖν, ἵνα καὶ τῶν μετὰ ταῦτα πραχθέντων εὐπαρακολȣ́θητον ποιήσωμαι τὴν διήγησιν. Τὸ ΓΑΡ Ἰȣδαίων γένος, *De quibus* etc. *Gens Iudaica* etc. Lib. IX. Antiquitatt. c. X. §. 2. Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην, τὴν ἀκρίβειαν τῶν πραγμάτων παραδώσειν ὑπεσχημένος, ὅσα καὶ περὶ τȣ̃ προφήτȣ εὗρον ἐν ταῖς Ἑβραϊκαῖς ἀναγεγραμμένα, διεξελθεῖν. Κελευσθεὶς ΓΑΡ ἔτος. *Iste a Deo iussus* etc. Quod si quis γὰρ latine exprimere velit, reddendum est *scilicet*. Quamquam enim non ignoro, Latinorum *Nam* in principio narrationis aeque eleganter poni, tamen, ob ambiguitatem euitandam, particula *scilicet* commodius adhibe-

hibetur. Haec autem adnotatiuncula, etsi levis forte plerisque videatur, tamen non erat praetermittenda, cum animadverterim, viros etiam doctissimos in his, quae uocantur, minutiis saepe coecutire. BEZA v. c. ad hunc Matthaei locum scribit: *particula γὰρ h. l. non est caussalis, sed expletiua, vt apud Latinos, enim vero.* Neque melius GLASSIVS, vir summus, in aureo illo Philolog. Sac. opere, p. 1121. Sed uterque falsus est.

CAPVT II.

v. 4. Καὶ συναγαγὼν πάντας τοὺς ἀρχιερεῖς) Cum vnus tantum fuerit Ἀρχιερεὺς, merito quis quaerat, vnde hi ἀρχιερεῖς multitudinis numero? cui dubitationi tollendae tres afferri possunt rationes: prima haec est, ut dicamus ἀρχιερεῖς hic simpliciter sumi pro ἱερεῦσι. Constat enim, Principes XXIV. Classium Sacerdotalium dictos esse Ἀρχιερεῖς. Ita diserte Iosephus Lib. XX. Antiquitatt. c. VIII. §. 8. Ἐξάπτεται δὲ καὶ τοῖς ΑΡΧΙΕΡΕΥΣΙ στάσις πρὸς τοὺς ἱερεῖς, καὶ τοὺς πρώτους τοῦ πλήθους τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, *Orta autem est seditio PONTIFICVM adversus Sacerdotes, primoresque plebis Hierosolymitanae*; vbi Ἀρχιερεῖς sunt Principes XXIV. Classium Sacerdotalium, de quibus Chronic. c. XXIV. 5. 16. Vid. ad hunc Iosephi locum HAVERCAMPVS. Eodem sensu Ἀρχιερεῖς apud Iosephum occurrunt Lib. IV. de B. I. cap. III. §. 6. Cf. RELANDVS ad Iosephum Lib. IV. de B. I. cap. V. §. 2. Altera haec est, ut Ἀρχιερεῖς h. l. intelligantur, qui summo sacerdotio olim perfuncti, illum titulum, honoris caussa, retinebant. Hac notione ea vox occurrit apud Iosephum Lib. XX. Antiquitatt. c. IX. §. 2. Οἱ τε ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ ὅμοια τοῖς ἐκείνου δούλοις ἔπρασσον, μηδενὸς κωλύειν δυναμένου· καὶ τῶν ΙΕΡΕΩΝ τοὺς πάλαι ταῖς δεκάταις τρεφομένους, τότε συνέβαινε θνήσκειν τροφῆς ἀπορίᾳ. *PONTIFICES etiam similiter ac illius serui faciebant, cum nemo eos impedire posset. Quo fiebat, vt SA-*

CERDOTES, qui olim decimis alebantur, tunc cibi penuria morerentur. Neque alio ſenſu eodem loco Ananias, Nebaei filius, dicitur ἀρχιερεύς. Nam hic Ananias iam dudum Pontificis M. dignitate exutus erat, et tunc temporis Pontificis M. munere fungebatur Ieſus, filius Damnaei: Ananias igitur honorificum illud nomen in memoriam Pontificatus M. quondam geſti retinuit. Tertia denique haec eſt, vt dicamus, tempore Saluatoris noſtri, Republica Iudaeorum fere collapſa, plures largitionibus, aliisque malis artibus ad ſummi ſacerdotii dignitatem eſſe eue&tos, eamque eodem tempore ſimul obtinuiſſe: quae ſententia etſi multis teſtimoniis Ioſephi confirmari poſſit, tamen uno et item altero erimus contenti. Is autem de hac re ita, Lib. XV. Antiquitatt. c. III. §. 1. Ὁ δὲ βασιλεὺς Ἡρώδης εὐθὺς μὲν ἀφαιρεῖται τὴν ἀρχιερωσύνην Ἀνάνηλον, *Herodes igitur tum Ananelum Pontificatu protinus abdicauit*: et mox, Τοῦτον αὐτὸς μὲν ἐτίμησεν ὅτε τὴν βασιλείαν παρέλαβεν, αὐτὸς δὲ κατέλυσεν, ἐπὶ τῷ παῦσαι τὰς οἰκείας ταραχὰς, παράνομα ποιῶν. οὐ γὰρ ἄλλως γέ τις ἀφῃρέθη τὴν τιμὴν ἅπαξ παραλαβὼν, ἀλλὰ πρῶτος μὲν Ἀντίοχος ὁ Ἐπιφανὴς ἔλυσε τὸν νόμον, ἀφελόμενος μὲν Ἰησοῦν, καταστήσας δὲ τὸν ἀδελφὸν Ὀνίαν. δεύτερος δὲ Ἀριστόβουλος Ὑρκανὸν ἀφείλετο τὸν ἀδελφὸν, Ἡρώδης δὲ τρίτος ἀντιπαρέδωκε τὴν ἀρχὴν Ἀριστοβούλῳ τῷ παιδί. *Hunc Ananelum honorauit ille quidem, cum primum regnum adeptus eſt, ipſe vero poſtea honorem ei abrogauit, vt domeſticas turbas ſedaret, contra leges faciens. Haud enim aliter quiſpiam honore iſto priuatus eſt, vbi ſemel eum acceperit; ſed primus quidem Antiochus Epiphanes eam legem abrogauit, abdicato Ieſu, et fratre ipſius Onia ſubſtituto: ſecundus vero Ariſtobulus Hyrcanum fratrem ſummouit: tertius autem Herodes principatum ſacerdotii Ariſtobulo puero reddidit.* Cf. in eandem rem Lib. XVIII. Antiquitatt. c. II. §. 2. Lib. XIX. Antiquitatt. C. VI. §. 4. Lib. XX. Antiquitatt. C. IX. et X. Trium harum rationum prima prae caeteris duabus ſeſe mihi commendat.

V. 12.

v. 12. καὶ χρηματισθέντες κατ᾽ ὄναρ) Notionem vocis χρηματίζεσθαι, apud profanos scriptores frequentis, satis explicatam dederunt Ill. SPANHEMIVS ad Iuliani orat. p. 122. RAPHELIVS in Notis Polybian. p. 11. seq. et IENSIVS in Ferculo Liter. p. 38. Sed quae ab iis in hanc rem sunt disputata, huc non faciunt, cum in sacris literis ea vox longe alia notione accipiatur, quam apud τῆς ἔξω. Scilicet χρηματίζεσθαι, vti saepe alibi, ita et hic est *diuinitus admoneri.* Qua notione est apud Iosephum Lib. V. Antiquitatt. c. I. §. 14. Ταῦτα μὲν Ἰησοῦς ἐπὶ στόμα πεσὼν ἠρώτα τὸν Θεόν. ΧΡΗΜΑΤΙΣΑΝΤΟΣ δὲ ἀνίστασθαι τοῦ Θεοῦ, καὶ καθαίρειν τὸν στρατόν. *Ita quidem Iesus in faciem prolapsus, Deum supplex rogabat. Deo autem ipsum ADMONENTE, ut surgeret, et exercitum lustraret.* Lib. XI. Antiquitatt. c. VIII. §. 4. vbi, postquam narrauerat, Iaddum Pontificem M. ad depellendum Hierosolymorum periculum, a Macedonibus imminens, populo indixisse supplicationes, addit: Κατακοιμηθέντι δὲ μετὰ τὴν θυσίαν ΕΧΡΗΜΑΤΙΣΕΝ αὐτῷ κατὰ τοὺς ὕπνους ὁ Θεὸς θαῤῥεῖν, *Cum autem nocte post sacrificium obdormisset, ADMONVIT eum Deus in somno, vt bono esset animo*: et paullo post, Διαναστὰς δὲ ἐκ τοῦ ὕπνου, ἔχαιρέ τε μεγάλως αὐτὸς, καὶ τὸ ΧΡΗΜΑΤΙΣΘΕΝ αὐτῷ πᾶσι μηνύσας. *Igitur somno excitatus, et ipse magnopere gaudebat, et indicabat omnibus DIVINVM ORACVLVM sibi datum.* Caeterum eandem sententiam Matthaei eleganter Iosephus Lib. I. Antiquitat. c. XIX. §. 10. ita exprimit: Ὄναρ ὁ Θεὸς αὐτῷ ἐπιστὰς παρῄνεσε, *Deus per quietem ei adstans, eum admonuit.*

v. 18. ὅτι οὐκ εἰσί) *Quoniam mortui erant*: ita enim reddendum. Sic apud Iosephum Lib. VII. Antiquitatt. c. X. §. 5. ubi Ioabus, Dauidem, morti impii Abesalomi ingemiscentem, obiurgans, σεαυτὸν καὶ τὴν σὴν γενεὰν δοκεῖς μισεῖν, στέργειν δὲ τοὺς ἐχθροτάτους καὶ ποθεῖν ΟΥΚ ΕΤ᾽ ΟΝΤΑΣ οἳ τεθνήκασιν δίκῃ. *Te ipsum et fami-*

familiam tuam odisse videris, tibi vero inimicissimos diligere, et MORTVOS desiderare, qui merito extincti sunt. Est autem locutio elliptica, ex alio Iosephi loco supplenda, in vita Iosephi T. II. p. 33. Νῦν δ', ὅτε ἐκεῖνοι μὲν ΟΥΚΕΤΙ ΕΙΣΙ ΜΕΘ' ΗΜΩΝ, ἐλεγχθῆναι δ' οὐ νομίζεις, τεθάῤῥηκας, *Nunc autem, cum illi MORTVI sint, teque redargui non posse arbitreris, ausus es librum edere.* Aliter hanc ellipsin supplet Enarrator Graecus Sophoclis, qui ad illa verba in Antigone, v. 572. μὴ λέγε, οὐ γὰρ ἔστ' ἔτι, notat, ἀντὶ τοῦ, μὴ φρόνει, ὅτι οὐκ ἔτ' ἐν τοῖς ζῶσίν ἐστι.

Capvt III.

Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις) Iosephus Lib. VIII. Antiquitatt. c. II. §. 2. ταύταις δὲ ταῖς ἡμέραις κρίσις ἐπ' αὐτὸν ἤχθη δυσχερής: *hisce autem diebus iudicium ad eum delatum est valde arduum:* quae loquendi ratio huic Matthaei simillima videtur: videtur, dico, cum re ipsa maxime sit dissimilis. Et de illa quidem loquendi ratione, qua Matthaeus aliique Scriptores Sacri frequentissime vtuntur, quoniam viros quosdam doctos non satis accurate iudicare animaduerti, iuuat, quid mihi videatur, hac occasione libere exponere. B. WOLFIVS ad hunc Matthaei locum ita: *Pro hebraismo non praeter rem habuerunt plerique, ratione scilicet habita frequentissimi usus, qui in V. T. occurrit.* Mihi quidem ea loquendi ratio omnino Hebraismis adnumeranda videtur, non solum *ob frequentissimum in libris sacris usum*, sed inprimis eam ob caussam, quia eo sensu, quo ibi, apud profanos vix occurrat. Nam quae loca PFOCHENIVS ex Constantini Lexico corrasa attulit, hebraismi suspicionem sublaturus, ea quam maxime sunt ἀπροσδιόνυσα, dudum eo nomine castigatus a GATAKERO de stilo N. T. c. XXV. VORSTIO in Philol. Sacr. P. I. c. 3. et inprimis MOS. SOLANO apud RHENFERDIVM p. 310. HORAT. VITRINGA in Ani-

Animaduerf. ad VORSTIVM p. 215. caufae Pfochenianae patrocinaturus, duo loca, alterum ex Diod. Siculo, alterum ex Dionyfio Halicarnaff. attulit, vbi ea ipfa formula ἐν ταῖς αὐταῖς ἡμέραις occurrit. Poterat fententiae fuae confirmandae addere Iofephi locum paullo antea laudatum, illum Arriani de Expedit. Alexandri Lib. II. cap. 20. ἧκον δὲ ἐν ταῖς αὐταῖς ἡμέραις καὶ ἐκ Ῥόδȣ τριήρεις: et Aefchinis contra Ctefiph. p. 290. Edit. WOLFII: ἐν ταῖς δὲ ταῖς ἡμέραις, et multa alia. Quid igitur? fublatusne eft horum locorum ope Hebraifmus? mihi quidem non videtur. Nam, fi quis ea loca profanorum fcriptorum curatius paullo confiderauerit, intelliget profecto, phrafin ἐν ταύταις ἡμέραις non nifi tum vfurpari, cum de paucorum dierum interuallo fermo fit, et antea iam aliquot dierum mentio facta fuerit, adeo vt ea femper indicet tempus aut praefens, aut paullo ante elapfum; quod dilucidiffime vel ex eo intelligi poteft, quod interdum addunt γενομέναις: v. c. Xenophon Lib. V. Cyropaed. dicit: ἐν ταῖς γενομέναις ἡμέραις, *in diebus, qui erant, f. eo ipfo tempore:* nunquam autem, quantum equidem fciam, hac loquendi formula Graeci vtuntur, cum indicare volunt, aliquid iam ante menfes, annos adeo plures, accidiffe, fed longe aliis, v. c. μετὰ δὲ ταῦτα, χρόνȣ δὲ γενομένȣ, χρόνȣ δὲ ἐπιγενομένȣ, aut fimilibus. Contra ea Hebraei, hosque imitati N. T. Scriptores, formulam loquendi ἐν ἐκείναις ἡμέραις de tempore quamuis longo, permultorumque annorum elapforum fpatio adhibent, adeo ut in hoc Matthaei loco annos ad minimum XX. aut XXV. complectatur. Iam afferat mihi quis vel vnum ex Scriptoribus profanis locum, vbi haec formula ita vfurpetur; quod PFOCHENII, VITRINGAE, aliorumque, qui Hebraifmum hic negant, fuiffet oftendere. Denique, etiamfi femel vel bis haec loquendi formula eodem, quo in facris literis, fenfu occurrat, tamen hebraica habenda effet, cum ea apud Hebraeos nihil ufitatius, nihilque frequentius fit. Commode huc transtu-

 leris,

leris, quod WOLFIVS, ὁ πάνυ, simili in re, ad Luc. XIX. 11. scribit: *vnus locus ex Aristotele* (aut alio quocunque profano auctore) *non efficit, ut credam, Lucam* (Matthaeum) *non imitatum hic esse Scriptorum Sacrorum V. T. exemplum.*

v. 6. Ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν) IENSIVS in Fercul. Litter. p. 10. sq. eius sententiae est, vt putet, vocem ἐξομολογεῖσθαι non alibi fere, quam apud Scriptores Sacros, occurrere: quod sane mirum in viro graece doctissimo. Ne enim adducam auctoritatem Demosthenis de falsa Legat. p. 239. Ed. Basil. Philonis Lib. I. Allegor. p. 55. et 65. Iosephum, huius vocis auctorem locupletissimum, excitabimus. Is igitur Lib. VIII. Antiquitatt. c. IV. §. 6. ἘΞΟΜΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΝ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, καὶ τὰς τῶν πατρίων νομίμων παραβάσεις, *confitentibus, se peccasse, et patrias leges violasse.* Lib. XVI. Antiquitatt. c. V. §. 4. περὶ μὲν οὖν τοὺς οἰκείους, εἴ τις λόγῳ μὴ θεραπεύοιτο, δοῦλον ἘΞΟΜΟΛΟΓΟΥΜΕΝΟΣ, *et quidem ad familiares quod attinet, si quis ad eius voluntatem non loqueretur, seruum se ei obsequentissimum profitendo.* de B. I. Lib. I. c. XXX. §. 2. ἘΞΟΜΟΛΟΓΟΥΜΑΙ σοι, Οὔαρε, τὴν ἐμαυτοῦ φρενοβλάβειαν, *Tibi, Vare, mentis meae errorem confiteor*: et Lib. V. c. X. §. 5 ἘΞΩΜΟΛΟΓΗΣΑΝΤΟ δ', ὅπερ ἦσαν, δοῦλοι, *Confessi autem sunt, id quod erant, se esse seruos:* Qui locus, vt hoc obiter dicam, eorum sententiam conuincit, qui Praepositioni ἐξ, huic verbo iunctae, vim nescio quam et emphasim inesse volunt, quasi plus significet ἐξομολογεῖσθαι, quam simplex ὁμολογεῖσθαι. Sic v. c. IENSIVS in Fercul. Liter. p. 9. scribit: *Videtur addito τῷ ἐξ singularis et maior aliqua vis* (*quemadmodum in ἐξαγγέλλω, ἐξαγριαίνω etc.*) *captata fuisse, vt significet, ita fateri et agnoscere peccata, vt serio poeniteat, eorumque horror simul declaretur. Erit igitur ἐξομολογεῖσθαι τὰς ἁμαρτίας, prono lubentique animo fateri peccasse, et amplecti meliora instituta, cum amore et caritate aduersus eum, qui nos in*

viam

viam reuocarit. Bono ſane et pio animo iſta diſputantur: ſed ille ſenſus, illa emphaſis non incluſa latet in voce Compoſita ἐξομολογεῖσθαι. In vniuerſum notandum, ſaepiſſime in verbis compoſitis Praepoſitionis vim eſſe nullam. Iuuat in hanc rem quaedam exempla, eaque ex Ioſepho petita, afferre, cum Viros quoque doctiſſimos interdum in hac re lapſos eſſe, et emphaſin, neſcio quam, in Praepoſitionibus, Verbo iunctis, quaeſiuiſſe, atque adeo in interpretando a vero aberraſſe animaduerterim. Lib. XVIII. Antiquitatt. c. VI. §. 9. εἰσηγεῖσθαι pro ſimplici ἡγεῖσθαι *exiſtimare*: Lib. XIX. C. I. §. 5. διαφέρειν pro φέρειν et C. II. §. 4. ἐξηγεῖσθαι pro ἡγεῖσθαι *praeeſſe*: de Vita Ioſephi p. 7. §. 13. πρόνοιαν εἰσενέγκασθαι pro ſimplici, *curam adhibere*, B. I. Lib. I. C. XIX. §. 2. ἀφηγεῖσθαι πολέμου, pro ἡγεῖσθαι, et eodem ſenſu eſt Lib. I. de B. I. c. XI. §. 4. ἀφήγησις πραγμάτων *rerum adminiſtratio*: Sic Lib. II. C. IX. §. 9. ἀφηγεῖσθαι τῶν πραγμάτων, et C. XIV. §. I. ἐξηγεῖσθαι τῶν πραγμάτων. Alia exempla Praepoſitionis πρὸ, Verbis ſine vlla vi iuncta, attulimus in Commentario noſtro ad *Decret. Athenienſ.* p. 75. Haec, quamquam leuia videntur, minime tamen negligenda videntur, cum harum minutiarum, vti vocant, ignoratio non leues interdum in interpretando errores pepererit.

v. 7. Ἰδὼν πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα) Interpretes plerique omnes τὸ ἐπὶ eo ſenſu accipiunt, vt Phariſaei et Sadducaei eam ob cauſam ad Iohannem confluxiſſe dicant, *VT* ab eo baptizandos ſe curarent. OLEARIVS autem in Obſeruatt. Sacr. ἐπὶ reddi mauult, *contra*, vt ſenſus ſit: Videns Iohannes, Phariſaeos et Sadducaeos eo conſilio accedere, *vt baptiſmum impedirent*, paucos conſentientes nactus. RAPHELIVS in Notis cum Xenoph. tum Polybian. grauiſſimis, vt mihi quidem videtur, rationibus eam interpretationem, paullo inſolentiorem, conuicit, quae mihi vel ſolius linguae ope refelli poſſe videtur. Scilicet, τὸ ἐπὶ, Accuſatiuo iunctum ſignificare *contra*, nihil tritius

A 5 eſt,

eſt, neque adeo probatione indigebat vlla. Sed illud mihi videor in Græcorum lectione obſeruaſſe, longe aliud eſſe ἔρχεσθαι, ἥκειν et ſimilia ἐπί τινα, *cum Accuſatiuo perſonae*, aliud ἔρχεσθαι ἐπί τι, *cum Accuſatiuo rei*. Illud enim, quamquam non ſemper plerumque tamen, denotat, *contra aliquem hoſtili et infenſo animo venire*; hoc autem nunquam, quantum equidem ſciam, eo ſenſu occurrit. Mihi certe, quamuis huius rei curioſo, nullus locus in Graecorum Scriptorum lectione occurrit, neque ab vllo alio vel unum allatum vidi. Hoc fuiſſet OLEARII, eiuſque ſententiae defenſorum, vt, auctoribus Graecis, docerent, ἔρχεσθαι ἐπὶ πρᾶγμά τι ita uſurpari, ut ſignificet, *contra aliquam rem hoſtili animo, ſeu ita venire, vt eam impedias, laedas, damno afficias.* Quoties inueni hanc loquendi rationem ita, vt *Accuſatiuum rei* adiunctum haberet, eam ita vſurpatam deprehendi, vt ſignificet, *alicuius rei cauſa venire*, atque adeo *finem, ſ. conſilium*, quo veneris, nunquam *hoſtilem animum*, indicet. Sic Ioſephus Lib. XII. Antiquitatt. c. IV. §. 3. ἔτυχε δὲ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν πάντας ἀναβαίνειν - - - ΕΠΙ ΤΗΝ ΤΩΝ ΤΕΛΩΝ ΩΝΗΝ, *accidit, vt eo tempore mul proficiſcerentur, - - VT vectigalia conducerent.* In Prooemio Antiquitatt. §. 3. οἱ πεμφθέντες ΕΠΙ ΤΗΝ ΕΞΗΓΗΣΙΝ, *Qui miſſi erant, VT legem in aliam lingam transferrent.* Lib. II. Antiquitatt. c. VI. §. 3. Ἥκομέν τε νῦν ἘΠ' ΑΓΟΡΑΝ σίτου, *venimus nunc AD emendum frumentum.* Lib. XII. c. I. §. 10. Σπεύδων δ' ἐντυχεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων ΗΚΟΥΣΙ πρεσβυτέροις ΕΠΙ ΤΗΝ ΕΡΜΗΝΕΙΑΝ τῶν νόμων· *Ille vero, cupiens alloqui Senatores, qui OB LEGVM INTERPRETATIONEM Hieroſolymis aduenerant*; adeo vt τὸ ἐπὶ, in hac formula, *Accuſatiuo rei* iunctum, non *contra*, ſed *propter* ſignificet; quod cum ſexcentis exemplis confirmari poſſit, mirum ſane, HOOGEVEENIVM, Virum graece doctiſſimum, ad VIGERVM de Idiotiſ. Gr. L. p. m. 449. ſcribere potuiſſe, *rarius id dictum videri.*

Ἀπὸ

ἀπὸ τῆς μελλέσης ὀργῆς) Ad h. l. B. WOLFIVS: *phrasin hanc pure graecam esse, ostendit Pfochenius:* Iuuat ipsum PFOCHENIVM in Diatr. §. 90. audire: *Cauillantur hic quidam textum Graecum, quasi Euangelista non satis graece scripserit, aut fuerit locutus: Non enim graece dicitur, inquiunt,* μέλλεσα ὀργὴ, *verum* μέλλεσα ὀργὴ ἔσεσθαι. *Sed hoc ipso insignem ipsorum peritiam in graecis literis produnt. Sane, si quis accuratius didicerit Coniugationes in Grammaticis, hunc absque dubio tam crassum non errabit errorem.* Sed bonus ille PFOCHENIVS hic σκιαμαχεῖ. Vellem nominasset, qui hic *textum Graecum cavillantur:* Ego enim, qui sint, huc vsque inuenire non potui. Sed fuerint, qui dixerint, pro μελλέσης ὀργῆς accuratius dici, ὀργῆς μελλέσης ἔσεσθαι, num tam crassum errarunt errorem, ut digni essent, qui tam indigne exciperentur? Sed, o bone, ne erres; quoties μέλλων ita, vt hic, ponitur, Infinitiuo omisso, semper is est mente supplendus: cuius rei exempla in Critica Wolfiana dabimus: videndus interim VIGERVS de Idiotism. Gr. L. p. 204. Ed. HOOGEVENII. Neque tamen MATTHAEVS a pure scribendi ratione recessit, cum dixit μέλλεσα ὀργὴ sine Infinitiuo diserte addito. Nam sic optimus quisque auctorum. Iosephus Lib. XI. Antiquitatt. c. 6. §. 8. ἐξελέσθαι ΤΗΣ ΜΕΛΛΟΥΣΗΣ ΣΥΜΦΟΡΑΣ, *vt ex calamitate futura eriperet:* et paullo post: γενέσθαι τὴν ἀπώλειαν αὐτοῖς ΤΗΝ ΜΕΛΛΟΥΣΑΝ, *vt pararent exitium, breui illis occursurum*, et sic saepe alibi. GATAKERVS de stilo N. T. C. XXXIV. putat, vocem μέλλεσα respondere Ebraico הבא *ventura;* quod confirmatur loco Paulli 1. Thess. I. 10. ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης, h. e. μελλέσης ἔσεσθαι.

CAPVT IV.

v. 5. ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ) Omnes omnium sententias de voce πτερύγιον afferre, nec iuuat, nec

nec operae pretium videtur, cum pleraeque a vero quam maxime abhorreant. Communissima, OLEARIO inprimis, et S. R. DEYLINGIO defensa, WOLFIO autem probata, ea est, quae πτερύγιον accipit de *porticibus*, quibus templum circumdatum erat. Sed equidem inueni non vnum, quod huic interpretationi aduersari videatur. Primo enim, valde dubito, an vspiam apud Graecos πτερύγιον occurrat, vt significet *porticum prope aedes vel aedem exstructam;* neque a Viris doctissimis, OLEARIO, DEYLINGIO, aliisque, huius sententiae defensoribus, vel vnum locum allatum video, quo hic significatus, plane insolens, doceatur, cum id vel maxime faciendum fuisset. Quodsi πτερύγιον de eiusmodi *porticibus* vsurpetur, mirum sane, Iosephum, qui tam multis locis loquitur de porticibus, quibus templum Hierosolymitanum circumdatum fuit, ne semel quidem voce πτερυγίε, sed semper ϛοᾶς uti. Vide v. c. Lib. VIII. c. X. multisque locis aliis, in quibus omnibus, vbi de Templi porticibus agitur, nunquam πτερύγια, sed ϛοὰς inuenies. Alterum, quod me ab assensu his Viris Doctiss. praebendo retinet, hoc est, quod Matthaeus dicit, ἐπὶ τὸ πτερύγιον, Vnitatis numero. Iam vero, cum vel ex citatis Iosephi locis constet, non vna, sed multis porticibus Templum fuisse circumdatum; facile apparet, ex linguae ratione Matthaeum scripturum fuisse, ἐφ' ἓν τῶν πτερυγίων, si indicare voluisset, Christum in vnam earum fuisse collocatum; cum autem scripserit, ἐπὶ τὸ πτερύγιον τȣ̃ ἱερȣ̃, facillima coniectura eo ducimur, vt credamus, Matthaeum voce πτερυγίȣ, Vnitatis numero expressa, certum aliquem locum indicare voluisse, qui in Templo Hierosolymitano non nisi vnus fuerit, neque adeo de aliis pluribus intelligi possit. Πτέρυξ enim, et πτερύγιον de vna tantum re, non de pluribus dicitur. Itaque Graeci, cum de auium alis loquuntur, quia binae sunt, non πτέρυξ aut πτερύγιον, sed πτέρυγες, et πτερύγια vsurpant. Vid. SALMASIVS, ὁ πάνυ, ad *Simmii Rhodii* πτέρυγας, in Mu-

Museo Philol. et Histor. CRENII p. 260. Nam quod OLEARIVS in Obseruatt. in Matth. p. 113. contendit, πτερύγιον dici κατ᾽ ἐξοχὴν illam porticum quae ad meridiem spectauit, id facilius dicitur, quam grauis cuiusdam Scriptoris auctoritate confirmatur. Quae igitur vera est huius vocis in hoc Matthaei loco interpretatio? mihi mallem dici: neque tamen dubito meam de ea re sententiam libere proponere, doctiorumque iudicio submittere. Scilicet πτέρυξ et πτερύγιον Graecis dicitur *quicquid in acutum desinit*, aut *cuiuscunque rei summitas et extremitas.* Notum est vel parum graece doctis, πτερύγιον dici *promontorii cacumen*, et *gubernaculi partem extremam.* In auibus πτέρυξ dicitur *ille pinnarum ordo*, *in acutum desinens*, *ab vtraque laterum parte*, *qua maiores eminent pinnae.* Exemplis in eam rem afferendis supersedere possumns, cum ex H. STEPHANI Thes. Gr. L. T. III. p. 1714. peti possint. Porro πτέρυξ et πτερύγιον de *cuiuscunque rei summitate* s. *extremitate* sumitur. Sic πτερύγιον est Exod. XXXVIII. 26. ubi in Ebraeo est קָצָה, quod LXX, Seniores saepe quoque per ἀκρωτήριον reddiderunt: apud Iosephum Lib. VI. Antiquitatt. c. XIII. §. 4. πτέρυξ τοῦ ἱματίου est *lacinia vestis:* inde πτέρυξις de *fastigio templi*, alias πτερὸν, ἀετὸς, ἀέτωμα dicto, vsurpatur. Enarrator Graecus ad Aristophan. Aues v. 1110. notat haec: τὰς τῶν ἱερῶν στέγας, πτερὰ καὶ ἀετοὺς καλοῦσι, *templorum tecta s. fastigia vocant* πτέρα & ἀετούς. Nam illa templorum fastigia erant inclinata more auium alas demittentium, vnde illae voces πτερὰ et ἀετὸς de *fastigiis templorum.* Eustathius ad Ἰλιαδ. ω. ἰστέον, ὅτι ἐκ τοῦ ἀετοῦ τοῦ ζώου καὶ μέρος τι τῶν ναῶν οὐ μόνον ἀέτωμα ἐλέγετο, ἀλλὰ καὶ ἀετὸς, διὰ τὸ ἐοικέναι, φασὶ, πτέρυξιν ἀετοῦ: de hoc ἀετοῦ et ἀετώματος significatu qui plura desiderat, consulat magnum illum SALMASIVM ad Spartiani Pescen. Nigr. T. I. p. 675. sqq. et in Exercitatt. Plinian. p. 853. Itaque πτερύγιον h. l. *de fastigio s. superiori parte templi* accipere malim, quam cum aliis de *portici-*

ticibus. In quo me valde, ni fallor, confirmat Iosephi locus, a nemine, quantum equidem sciam, in hanc rem adductus. Is est Lib. XV. Antiquitatt. c. XI. §. 3. ubi in descriptione templi Hierosolymitani ab Herode M. instaurati, inter caetera tradit haec: Παντὸς αὐτῦ (ναῦ) καθότι καὶ τῆς βασιλικῆς σοᾶς, τὸ μὲν ἔνθεν καὶ ἔνθεν ταπεινότατον, ΥΨΗΛΟΤΑΤΟΝ δὲ τὸ ΜΕΣΑΙΤΑΤΟΝ ὡς περίοπτον ἐκ πολλῶν σαδίων εἶναι τοῖς τὴν χώραν νεμομένοις· *erat totum templum, (quemadmodum porticus regia) utraque parte depressius, MEDIO vero EDITIVS, adeo vt a multis stadiis a regionis incolis conspicuum esset;* et paullo post meminit τῆς ἄκρας s. *verticis templi*. Haec est mea de hoc Matthaei loco sententia; contra quam afferri possit illud OLARII, qui eam ob caussam πτερύγιον de *fastigio templi* accipi posse negat, *quia aditus ad summitatem templi nusquam patuerit, vt adeo supponendum sit, per aërem Saluatorem a Satana raptum, et in istum locum translatum esse*. Sed vnde Vir Doctiss. hoc? vellem monumentorum auctoritate verbis suis fidem fecisset! Equidem contrarium ostendere mihi posse videor ex Iosepho Lib. VIII. Antiquit. 6. III. §. 2. Magis aduersari huic interpretationi meae videtur, quod Iosephus de B. I. Lib. V. c. 5. §. 6. et Lib. VI. c. 5. §. 1. tradit, *fastigio templi* fuisse *obelos ferreos* affixos, vt ne aues ibi considere possent. Sed et haec dubitatio commoda ratione tolli potest.

v. 24. Καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτῦ) *Exiit fama de illo*. Ἀκοὴν de *fama* dici per Hebraismum, quibusdam persuasum esse, hic adnotat WOLFIVS, quem tamen remouerint PFOCHENIVS, VORSTIVS et OLEARIVS. Sed ego quidem, perlectis et diiudicatis locis omnibus adductis, nihil inueni, quod Hebraismi suspicionem tollere possit. Nam PFOCHENII exempla omnia sunt ἀπροσδιόνυσα: quem enim ex Platonis Timaeo locum laudauit, οὐδ᾽ ἂν ἡμῖν λόγον εἰσηγήσατο ἐκ πάλαιᾶς ἀκοῆς, eum non ex Platone ipso, sed ex CONSTANTINI Lexico

xico hauserit necesse est, vbi eodem, quo PFOCHENIVS, modo, quamquam falso, exponitur. Quodsi enim Platonem ipsum consuluisset, totumque illum Dialogum perlegisset, inuenisset sane, ἀκοὴν Σόλωνος non significare *famam s. rumorem de Solone*, *sed relationem* (**Eine Erzählung**) *cuiusdam veteris rei a Solone factam, et aliis impertitam*. Abi nunc, PFOCHENII, et affer istud Platonis tuum, ἀκοὴ παλαιὰ Σόλωνος, ad hoc Matthaei, ἀκοὴ Ἰησοῦ, *fama egressa de Iesu*, et videbis quam inepte! Omnino hic contra PFOCHENIVM legendus MOS. SOLANVS apud RHENFERDIVM p. 295. Eadem ratio est loci Thucydidei a PFOCHENIO allati Lib. I. c. 20. vbi ἀκοὴ nihil aliud est quam *narratio rerum*, *quae olim acciderunt*. Scio, VORSTIVM, OLEARIVM, SCHWARZIVM, et ALBERTIVM in Obseruatt. Philol. p. 27. alia loca in hanc rem adduxisse, quibus multa ex vno Iosepho addere possem: v. c. Lib. V. Antiquitatt. c. 2. §. 9. Lib. VI. Antiquitatt. c. 5. § 2. Lib. VIII. c. 6. §. 5. et alia non pauca. Sed siquis ea loca omnia considerauerit, inueniet sane, vocem ἀκοῆς nihil aliud denotare, quam *relationem*, *narrationem veteris cuiusdam rei*, *quam fando aut legendo cognouimus*: quod quam sit ab hoc Matthaei loco alienum, facile intelligitur, si verba, ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ Ἰησοῦ, reddideris, *exiit relatio*, *commemoratio de Iesu*: cf. Luc. IV. 14. vbi, quod hic ἀκοὴ dicitur, est φήμη. Illud autem, ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ pro *fama emanat*, *diuulgatur*, num forte Hebraismis adnumerandum? ita quidem placere quibusdam video. Sed Iosephus eodem modo loquitur Lib. VIII. Antiquitt. c. 6. §. 5. διῆλθεν φήμη πρὸς ἡμᾶς, *fama ad nos peruenit*. Neque illud insolens, ἀκοὴν αὐτοῦ dici pro ἀκοὴν περὶ αὐτοῦ. Nam sic optimus quisque scriptor, v. c. Iosephus l. c. τῶν σῶν ἀγαθῶν -- ἡ φήμη πρὸς ἡμᾶς διῆλθεν, *fama de tuis bonis*, neque aliter in loco Thucydideo, paullo ante allato.

CAPVT

CAPVT V.

v. 19. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ τῶν ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων, καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους, ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν). Cum non ſtatim appareat, quomodo is dici poſſit *vel minimum locum in regno coelorum obtinere*, qui *legem violarit*, HOMBERGIVS τὸ λύειν idem hic denotare contendit, quod *explicare*, vt ſenſus ſit; *qui interpretando, ac ſoluendo legis difficultates homines doceat, eum laudem aliquam, et locum, etſi minimum, in regno coelorum mereri.* Hanc τοῦ λύειν ſignificationem ſtabilire conatur Marci IV. 34. et Actor. XIX. 30. qui locus vterque inepte adductus eſt, cum vtroque non λύειν, ſed ἐπιλύειν occurrat: quod quemadmodum dubium non eſt, quin *explicare* denotet, ita de eo vocis λύειν ſignificatu merito dubitare quis poſſit, cum is ſit paullo inſolentior, neque adeo facile ſine ſcriptoris grauis auctoritate admittendus. Inueni autem (quod interpretationem HOMBERGII iuuare poſſit) λύειν pro ἐπιλύειν ſ. *explicare* aliquoties apud Ioſephum, v. c. Antiquitatt. C. VIII. §. 6. de Simſone: Ἀλλὰ προβαλόντος ἐμοῦ λόγον, εἰ ΛΥΣΕΤΕ τοῦτον, ἐφ᾽ ἡμέρας ἑπτὰ ποιούμενοι τὴν ζήτησιν, ὀθόνας τε καὶ στολὰς - - φέρεσθε παρ᾽ ἐμοῦ, *Agedum, ſi fabulam, quam vobis propoſuero, mihi intra ſeptem dies EXPLICAVERITIS, lintea et veſtes - - a me accipietis.* et Lib. VIII. Antiquitatt. C. VI. §. 5. de regina Aethiopiae, ad Salomonem profecta: πρὸς αὐτὸν ἐλθεῖν διέγνω, μάλιστα τῆς σοφίας αὐτοῦ βουλομένη λαβεῖν πεῖραν, αὐτὴ προτείνουσα καὶ ΛΥΣΑΙ τὸ ἄπορον τῆς διανοίας δεηθεῖσα, *ad eum venire decreuit, eo praecipue animo, vt ſapientiae eius experimentum faceret, illa ei proponendo, quae intelligere nequiit, rogandoque, vt ea ſibi EXPLICARET:* itaque λύειν paucis verſibus interiectis redditur per ἐπιλύεσθαι: τὰ προβαλλόμενα σοφίσματα - - ΕΠΕΛΥΕΤΟ, *res illas obſcuras propoſitas - - EXPLICABAT.* Sed, vt verum fatear, haec loca ne

docent

docent quidem, τὸ λύειν ſemper et vbique *explicare* ſignificare, ſed tum demum, cum ſermo eſt de *ſolutione* et *explicatione aenigmatis*: de qua re quemadmodum Graeci λύειν, Latini *ſoluere* recte vſurpant, ita neſcio, an vnquam νόμον, βίβλον, ῥῆσιν, etc. de *interpretatione legis* aut *libri*, aut *loci cuiuſdam* adhibeatur. Et fac, λύειν hoc quoque ſenſu interdum occurrere; is tamen in hoc Matthaei loco minime admittendus eſt, propter *legem oppoſitionis*. Nam diſerte ſibi inuicem opponuntur λύειν et ποιεῖν τὰς ἐντολάς· iam, quemadmodum hoc denotat *praecepta legis diuinae obſeruare*, ita illud, vi oppoſitionis, denotet neceſſe eſt, *praecepta non obſeruare*, *negligere*, *contra ea committere:* adeo, vt vel hoc nomine HOMBERGII interpretatio reiicienda videatur. Quamuis igitur hic quoque τȣ͂ λύειν ſignificatus, *violare*, *non obſeruare*, paullo inſolentior ſit, neque facile apud τὰς ἔξω reperiatur; tamen omnino, vel ob legem oppoſitionis, admitti debet. Nam quod B. WOLFIVS ad h. t. ſcribit, BOSIVM et ELSNERVM docuiſſe, λύειν τὸν νόμον pro *violare legem*, *contra eam committere*, apud profanos Scriptores vſurpari, in eo humanitus errat. Si quis enim omnia loca, ab his viris doctis in hanc rem laudata, curatius conſiderauerit, inueniet, λύειν νόμον denotare *abrogare legem*, non autem *violare:* neque enim ſequitur, vt, qui *legem violat*, *eam quoque abroget*. Haec eſt genuina locutionis λύειν νόμον, *abrogare legem*, notio, cuius oppoſitum θέσθαι νόμον. Neque aliter intelligenda ſunt loca ab ALBERTIO in obſeruatt. Philolog. p. 36. allata, qui ipſe quoque recte hunc locum de *violatione legis* accipit. Caeterum KNATCHBVLL. in Animad. N. T. p. 8. reprehendit communem horum verborum interpretationem: *Quisquis ergo ſoluerit vnum ex mandatis hiſce minimis*, et mauult adeo, traiectione facta, ita reddi: *Quisquis ergo ſoluerit unum ex minimis horum mandatorum*, quale illud ſit infra C. XXV. 40. ἑνὶ τȣ́των τῶν ἀδελφῶν μȣ τῶν ἐλαχίςων, *vni ex minimis horum meorum fratrum.* Cui ſententiae, miror ſane,

ALBERTIVM, virum graece doctissimum, assensum praebere potuisse, cum ea nihil sit vanius. Mihi quidem nulla traiectione opus esse, et Matthaeus elegantissime locutus videtur. Scilicet apud Graecos magna vis est in repetitione Articuli, et haec verba τῶν ἐντολῶν τέτων ΤΩΝ ἐλαχ. ita reddenda sunt: *Si quis igitur violarit vnum horum praeceptorum, et EORVM QVIDEM minimorum:* Wenn also iemand eines dieser Gebote, und auch nur der allerkleinsten, übertritt: eadem ratio est illius loci C. XXV. v. 40. ἑνὶ τέτων ΤΩΝ ἀδελφῶν μȣ ΤΩΝ ἐλαχίςων, *vni fratri meorum, et EORVM QVIDEM minimorum s. etiamsi minimus sit:* de qua vi Articuli repetiti pluribus, Θεȣ̃ διδέντος, dicemus in Critica nostra Wolfiana. Caeterum in explicatione verborum ἐλάχιςος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν ȣ̓ρανῶν, assentior WOLFIO, τῷ πάνυ, et aliis, qui reddunt, *iudignus erit regno coelorum:* loquendi ratione scriptoribus sacris non inusitata.

V. 21. Ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις). In diuersas sententias distrahuntur Interpretes, quomodo haec verba reddenda sint, vtrum: *audistis ad Veteres dictum esse*, an: *audistis a Veteribus dictum esse?* et sane linguae ratio vtramque interpretationem admittit. Mihi tamen, huius loci rationem paullo diligentius consideranti, omnino haec verba reddenda videntur, *audistis, a Veteribus dictum esse.* Nam Christus in hac ad Pharisaeos oratione non reprehendit id, quod *ad Veteres dictum erat*, sed potius id, quod *a Veteribus illis Iudaeorum doctoribus* dictum, et ad callidam peruersamque Legis diuinae interpretationem prolatum erat. Traditionibus enim illorum veterum doctorum, crassisque adeo eorum erroribus in praeceptis Legis diuinae interpretandis, opponit Christus suam eiusdem Legis interpretationem: quod vel ex ἀντιθέσει saepius repetita intelligi potest: Ἠκέσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις - - ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν: quae sibi accurate respondent, si reddideris: *audistis, a veteribus dictum esse, s. Veteres dixisse - - ego autem dico vobis*, minime autem, si verteris, *audistis dictum esse*

ad

ad Veteres - - ego autem dico vobis. Praeterea conuenit haec interpretatio rationi Pharifaeorum, qui Seniorum et Maiorum doctrinis placitisque tam tenaciter inhaerebant, vt, fi ab iis vel paullulum difcederent, grave quoddam piaculum commiffuros fe effe putarent. In quam rem egregius eft Iofephi locus Lib. XVIII. Antiquitatt. c. I. §. 3. Οἱ Φαρισαῖοι - - τιμῆς γε τοῖς ἡλικίας προήκουσι παραχωροῦσιν, οὐδὲν ἐπ' ἀντιλέξει τῶν εἰσηγηθέντων ταῦτα θράσει ἐπαιρόμενοι: *Pharifaei exhibent honorem aetate provectioribus, non id fibi fumentes arrogantiae, ut contradicant iis rebus, quas illi induxere.* Praeftat igitur reddere, *audiftis, dictum effe a veteribus*, quam *ad veteres*: neque intelligere poffum, quomodo ALBERTIVS, qui, fi quisquam alius, graece doctiffimus eft, in Obfervatt. Philol. p. 38. fcribere poffit, *hanc phrafin infolentem effe*, cum nihil tritius fit in lingua Graeca, quam verbis Paffivis adiungere Datiuum loco Genitiui cum Praepofitione: adeo, vt fi eius rei exempla afferre velim, et meo et lectoris otio abuti velle videar.

v. 22. Πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ, ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει) Diuerfas virorum doctorum fententias de triplici hoc iudicio, cuius Chriftus mentionem facit, WOLFIVS more fuo, h. e. diligentiffime, recenfuit. Communiffima fere eorum eft, qui κρίσιν de Iudicum confeffu tribus et viginti viris conftante, et per fingulas civitates conftituto accipiunt. In quo quidem non poffum, quin fententiam ab eorum iudicio feiungam meam: rationem, qua commotus id faciam, paullo poft reddam. Me quidem non poenitet fententiae huius, vt putem, per κρίσιν intelligendum effe *illud VII. virorum iudicium minus, in vnaquaque ciuitate conftitutum:* de cuius inftitutione eft apud Mofen Deuter. XVI. 18. בְּכָל שְׁעָרֶיךָ שֹׁפְטִים וְשֹׁטְרִים תִּתֶּן־לְךָ, quod LXX. feniores reddiderunt: κριτὰς καὶ γραμματοεισαγωγεῖς καταςήσεις σεαυτῷ ἐν ταῖς πόλεσί σου. Male SIGONIVS de Republ. Hebraeor, p. m. 700. γραμματοεισαγωγεῖς interpretatur

Principes huius iudicii f. Principes iudicum: Mihi non dubium eſt, quin hi γραμματεισαγωγεῖς, ſeu, vt alibi ab iisdem LXX. Interpretibus vocantur, γραμματεῖς, dignitate inferiores fuerint quam κριταὶ, et munus ſcribarum obierint, qui Acta conficerent: hos Ioſephus, loco mox afferendo, vocat ὑπηρέτας, quos interpretari poſſis, *Miniſtros curiae*, *ſeruientes ad Legem*, aut ex conſuetudine Fori Romani, *Officiales*. Aquila et Theodotio שטרים interpretantur per ἐκβιαςὰς, πράκτορας, *Exactores*, *Quaeſtores*; ſed ea qnidem vox amplioris dignitatis eſſe videtur, adeo, ut Alexandrini Interpretes rectius per γραμματεισαγωγεῖς et γραμματεῖς reddidiſſe exiſtimandi ſint. Videtur autem hoc inſtitutum fuiſſe ad imitationem magni illius Conſilii Hieroſolymitani, in quo duo Scribae Iudicibus aderant, qui Actorum conficiendorum munere fungebantur. Quanquam autem minorum horum Iudicum numerus in ſacris literis non legitur definitus, Ioſepho tamen auctore cognovimus, fuiſſe ſeptem Virorum. Is enim de hac re ita, Lib. IV. Antiquitatt. c. VIII. §. 14. Αρχέσθωσαν καθ' ἑκάςην πόλιν ΕΠΤΑ, οἱ καὶ τὴν ἀρετὴν, καὶ τὴν περὶ τὸ δίκαιον σπȣδὴν προησκηκότες· ἑκάςῃ δὲ ἀρχῇ ΔΥΟ ΑΝΔΡΕΣ ΥΠΗΡΕΤΑΙ διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευϊτῶν φυλῆς. *Qualibet in vrbe praeſint SEPTEM VIRI, et in virtute, et in ſtudio aequitatis exercitati: vnicuique autem magiſtratui tribuantur DVO MINISTRI e tribu Leuitica:* qui locus diſerte docet, *ſeptem* Iudices fuiſſe conſtitutos, et ab iis adeo duos illos ὑπηρέτας ſeiunctos, qui, tantum abeſt, vt *Principes Iudicum* fuerint, quod SIGONIO videbatur, vt potius pro *miniſtris Iudicum* ſint habendi, quod vel ipſa vox ὑπηρέτȣ docet. Huius *ſeptemuiralis iudicii* in eodem cap. §. 38. meminit, vbi de depoſito agit: εἰ δὲ μηδὲν ἐπίβȣλον δρῶν ὁ πιςευθεὶς ἀπολέσειεν, ἀφικόμενος ἐπὶ τȣ̀ς ΕΠΤΑ ΚΡΙΤΑΣ, ὀμνύτω τὸν Θεόν. *quod ſi depoſitarius, nihil dolo malo agens, depoſitum perdiderit, SEPTEM IVDICES adeat, Deumque teſtem citet* etc.

Faci-

Facile autem intelligitur, in his ſeptem virorum iudiciis non niſi priuatas leuiorisque momenti cauſas fuiſſe diſceptatas, publicas autem grauioresque ad Synedrium magnum Hieroſolymitanum delatas. Ad quem morem Flauius Ioſephus, Galilaeae praefecturam nactus, res in Galilaea inſtituendas componendasque putauit: iuuat ipſum audire Lib. II. de B. I. c. XX. §. 5. Ἰώσηπος, εἰς τὴν Γαλιλαίαν ἐλθὼν -- τῶν μὲν γηραιῶν ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ τοὺς σωφρονεστάτους ἐπιλέξας ἐκ τοῦ ἔθνους, κατέστησεν ΑΡΧΟΝΤΑΣ ὅλης τῆς Γαλιλαίας, ΕΠΤΑ δὲ ἐν ἑκάστῃ πόλει ΔΙΚΑΣΤΑΣ τῶν εὐτελεστέρων διαφορῶν· τὰ γὰρ μείζω πράγματα καὶ τὰς φονικὰς ἐφ' ἑαυτὸν ἀναπέμπειν ἐκέλευσε καὶ τοὺς ἑβδομήκοντα, *Ioſephus cum in Galilaeam veniſſet -- de ſenioribus quidem iſtius gentis LXX. prudentiſſimis delectis, eos cum poteſtate omni Galilaeae praefecit, ſeptem vero per ſingulas ciuitates minorum litium iudices conſtituit: nam grauiora negotia cauſasque capitales ad ſe et LXX. viros remitti iuſſit.* Quamquam igitur in ſacris literis numerus iudicum in hoc conſilio minori non diſerte definitus legitur, tamen, auctore Ioſepho, ſine ullo errandi periculo contendere poſſumus, eum ſeptem viros, adiunctis praeterea duobus ſcribis, comprehendiſſe; cum dubitatio ſit nulla, quin Ioſephus, harum rerum curioſiſſimus, ex monumentorum luculentiſſimorum fide et auctoritate id tradiderit. Haec autem duorum iudiciorum genera, non dubium eſt, quin conueniant partim *Conſilio illi magno Hieroſolymitano LXX. Virorum*, quod h. l. Matthaeus per συνέδριον innuit, partim *minoribus illis iudiciis* in vnaquaque ciuitate conſtitutis, de quibus eſt Deuteron. l. c. quod Matthaeus h. l. κρίσιν vocat, h. e. *iudicium VII. virorum*, in quo minorum litium cauſae diſceptabantur. Quod autem quidam Viri docti, et inter eos LEVSDENIVS in Philol. Hebraeo Diſſert. IX. p. 105. et in Philol. Hebraeo-mixto Diſſert. XLVI. contendunt, haec minora iudicia XXIII. viros comprehendiſſe, id merum figmentum eſt Iudaeorum recentiorum, vt docet

cet Praestantissimus WESSELINGIVS in Diatribe de *Archontt. Iudaeorum* p. 100. seqq. Neque ignoro, BERNARDVM, diffusissimae et exquisitissimae doctrinae Virum, ad Iosephum Lib. IV. Antiquitatt. c. VIII. §. 14. vtramque sententiam conciliare studere, cum dicat, fuisse quidem non nisi VII. viros in iudiciis minoribus, eos autem in caussis capitis adsciuisse sibi bis septem Adsessores, adeo vt, adnumeratis duobus scribis, XXIII. viri fuerint. Sed cum hanc sententiam non satis luculentis auctoritatibus confirmarit, ei subscribere non possum. Ex iis autem, quae paullo ante disputauimus, rationem apparere arbitror, quare *κρίσιν* in hoc Matthaei loco de iudicio non XXIII. (quod forte nullum unquam fuit) sed tantum VII. viris constante, accipere malim. Per *συνέδριον* autem cum aliis intelligo magnum illud Consilium Hierosolymitanum: quae quidem differentia duorum horum iudiciorum dilucide perspici potest ex Deuteron. c. XVII. Nam ibi a v. 1. usque ad 8. agitur de minori illo iudicio, in singulis ciuitatibus constituto, quod h. l. *κρίσις* dicitur: a v. 8. autem usque ad 14. sermo est de Synedrio magno: per *γέενναν τοῦ πυρὸς* denique h. l. intelligo poenas infernales, quae infliguntur ob ea delicta et peccata, quae inter homines saepe non innotescunt, certe pro magnis non habentur, neque adeo pro rei ratione puniuntur, sed iudicio divino committenda sunt.

v. 42. *τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῆς*) vertitur vulgo, *ne auertas*, satis obscure, ne dicam inepte! Reddendum erat: *ne recuses*, *ne repudies*, *Ἀποστρέφεσθαι* prima sua et genuina notione est, *se ab aliquo auertere:* qua notione est apud Iosephum Lib. VI. Antiquitatt. c. XIV. §. 3. de Saulo: *ἀντέχοντα δὲ καὶ τελέως ΑΠΕΣΤΡΑΜΜΕΝΟΝ ἐβιάσατο καὶ συνέπεισεν:* *Cum vero ei resisteret, seque prae animi anxietate ab ea AVERTERET, illa maiori vi institit, eique persuasit:* quod cum facere soleant, qui aliquem auersantur, aut eius precibus locum concedere nolunt, inde *ἀποστρέφεσθαι*

σθαι est, *recusare, repudiare.* Apud eundem Lib. II. Antiquitatt. c. IV. §. 3. ubi uxor Potipharae Iosephum ad nefandum amorem pellicere studet: *προσδοκᾶν τε τῶν παρόντων ὄνησιν, ὧν ἤδη μετέχειν, προσθέμενον αὐτῆς τῷ ἔρωτι ἄμυναν δὲ καὶ μῖσος παρ αὐτῆς*, ΑΠΟΣΤΡΑΦΕΝΤΑ *τὴν ἀξίωσιν*: *quare et praesentium bonorum emolumentis frui ex ectaret, quorum iam particeps erat, si eius desiderio annueret, et maiora etiam consecuturum, si suae voluntati morem gereret: vltionem autem et odium ab illa, si* PETITIONEM RECVSARET: Sic Iosephus Lib. IV. Antiquitatt. c. VI. §. 8. *τὴν δέησιν ὑμῶν* ΑΠΟΣΤΡΕΦΟΜΕΘΑ, *preces vestras* REPVDIAMVS, REIICIMVS, quod opponitur illi, quod paullo ante dicitur, *προσηκάμεθα τὴν ὑμετέραν ἀξίωσιν, locum dedimus precibus vestris:* inde pro *auersari* est apud eundem Lib. V. Antiquitatt. c. I. §. 25. *ὡς ἐμμενόντων μὲν τούτοις, καὶ τοῦ Θεοῦ παρέξοντος εὔνουν εἶναι καὶ σύμμαχον ἑαυτόν. ἐκτραπέντων δὲ εἰς ἑτέρων ἐθνῶν μίμησιν*, ΑΠΟΣΤΡΑΦΗΣΟΜΕΝΟΥ *τὸ γένος ὑμῶν*: *quo quidem fiet, vt, dum in his permaneatis, Deus vobis propitius futurus sit et adiutor; si vero ad aliarum gentium mores imitandos descieritis, et ille genus vestrum* AVERSABITVR: Neque aliter Lib. VI. Antiquitatt. c. XIV. §. 4. *οὐκ* ΑΠΕΣΤΡΑΦΗ *τε ὡς ξένον καὶ μηδέποτ' ἐν συνηθείᾳ γεγενημένον, non illum* SPREVIT *et* REIECIT *vt peregrinum, nullaque ex consuetudine sibi notum:* apud eundem Lib. XX. Antiquitatt. c. VIII. §. 5. *διὰ τοῦτο οἶμαι καὶ τὸν Θεὸν, μισήσαντα τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν*, ΑΠΟΣΤΡΑΦΗΝΑΙ *ἡμῶν τὴν πόλιν*, *hanc ob caussam arbitror etiam Deum, impietatis illorum odio*, AVERSATVM *esse vrbem.*

CAPVT VI.

V. 16. ὅταν δὲ νηστεύητε, μὴ γίνεσθε, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ, σκυθρωποί. ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν) Quae vera notio sit vocis *σκυθρωποῦ*, dilucide, opinor, ex

hoc Iosephi loco intelligetur, Lib. XI. Antiquitatt. c. V. §. 6. de Neemia, patriae calamitates lugente: ὁ δ' εὐθὺς ὡς εἶχε, μηδ' ἀπολȣσάμενος, διακονήσων ἔσπευσε τῷ βασιλεῖ τὴν ἐπὶ τȣ̃ ποτȣ̃ διακονίαν. ὡς δὲ μετὰ τὸ δεῖπνον ὁ βασιλεὺς διεχύθη, καὶ ἥδιων αὐτȣ̃ γενόμενος, ἀπέβλεψεν εἰς τὸν Νεεμίαν, καὶ ΚΑΤΕΣΚΥΘΡΩΠΑΚΟΤΑ θεασάμενος, διὰ τί ΚΑΤΗΦΗΣ εἴη, ἀνέκρινεν: *ille vero e vestigio, ita vt erat, ne lotus quidem, regi ministratum ire properauit. Cum vero post coenam rex multa hilaritate esset, solitoque magis se iucunditati daret, Neemiam adspectauit, obseruatoque, quod VVLTVS EI TRISTIS esset, TRISTITIAE caussam percontatus est:* ex quo loco apparet, τὸν σκυθρωπὸν esse hominem *vultu, partim lacrimarum sordibus foedo* (additur enim μηδ' ἀπολȣσάμενος) *partim tristitia deiecto et confuso* (sequitur enim mox: τὸ κατηφὲς τȣ̃ προσώπȣ καὶ συγκεχυμένον ἀπεκάθηρε, *vultum deiectum et confusum coepit attollere* Sic Lib. XIX. c. III. §. 3. Συνεστρέφοντο δὲ περὶ τὸν Γρᾶτον ἤδη καὶ πλείȣς τῶν σωματοφυλάκων, καὶ θεωρȣ̃ντες τὸν Κλαύδιον ἀγόμενον. ΕΣΚΥΘΡΩΠΑΖΟΝ, *Tunc ad Gratum iam coacti erant multi e satellitibus, et Claudium abductum videntes, TRISTEM PRAE SE FEREBANT VVLTVM.* Igitur in hoc Matthaei loco σκυθρωποὶ sunt, *qui tristitiam vultu, data opera a sordibus non purgato, prae se ferunt.* Respondet haec vox Hebraeo זָעַף Genes. XL. v. 6. זֹעֲפִים quod LXX. Seniores reddiderunt τεταραγμένοι, Aquila ἐμβρασσόμενοι, Symmachus autem σκυθρωποί: et enarrator graecus Aristophanis ad Acharn. v. 1068. τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακὼς, exponit ἐσκυθρωπακὼς, h.e. *frontem ex nimia seueritate, austeritate, tristitia adeo contrahens.* Hanc interpretationem confirmant, quae in Matthaei loco mox subiiciuntur: ἀφανίζȣσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν. Ἀφανίζειν proprie est *aliquid abolere ita, vt ne vestigium eius appareat.* Iosephus Lib. I. Antiquitatt. c. XI. §. 1. de excidio vrbis Sodomitarum: Χαλεπήνας ȣ̂ν ἐπὶ τȣ́τοις ὁ Θεὸς, ἔγνω τιμωρήσασθαι τῆς ὑπερηφανίας αὐτȣ̃ς· καὶ τὴν

τε

τε πόλιν αὐτῶν καταςρέψασθαι, καὶ τὴν χώραν ὅτως ΑΦΑΝΙΣΑΙ, ὡς μήτε Φυτὸν ἔτι μήτε καρπὸν ἕτερον ἐξ αὐτῆς ἀναδοθῆναι, *his igitur rebus offenſus Deus, decreuit inſolentiae poenas ab illis repetere, et non ſolum vrbem eorum euertere, ſed et regioni EAM VASTITATEM INFERRE, ut nec amplius plantas, nec fructum ullum ederet.* Sic Lib. V. Antiquitatt. c. VII. §. 10. πόλεις τε ΗΦΑΝΙΣΕ πολλὰς καὶ λείας ἤλασε, *multas vrbes SOLO AEQVAVIT, et multum praedae abegit:* ita Suidas, Ἀφανίζειν, ὅλως τὸ ἀνελεῖν καὶ ἀφανὲς ποιῆσαι. Porro ἀφανίζειν eſt, *alicuius rei formam et ſpeciem deturpare*; ſic eſt apud eundem Ioſephum Lib. IX. Antiquitatt. c. III. § 2. τὰς ἀγροὺς αὐτῶν διήρπασαν, καὶ ΗΦΑΝΙΣΑΝ, πληρϩντες τῶν ἐκ τῶν χειμάῤῥων λίθων, *agros illorum diripuerunt, et DEFORMARVNT, lapidibus e torrentibus eos replentes:* quo ſenſu haec vox in hoc Matthaei loco omnino capienda eſt, adeo ut per τὸ ἀφανίζειν *intelligatur deformatio et deturpatio vultus*, quocunque modo fiat. Eiusmodi fere vultum et cultum deſcribit Cicero Rulli Agrar. II. c. V. *veſtitu obſoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior, quam ante, barbaque maiore.* Apprime in hanc rem Quinctilianus in Prooem. Inſtitutt. Oratoriar. de Philoſophis: *non virtute ac ſtudiis, ut haberentur Philoſophi, laborabant, ſed vultum et triſtitiam et diſſentientem a caeteris habitum peſſimis moribus praetendebant.* Ipſa quoque verba oppoſita, σὺ δὲ νηςεύων ἄλειψαί σϩ τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπον νίψαι, hanc interpretationem confirmant, quae quemadmodum indicant, *caput, faciemque eſſe purgandam et ornandam*, ita vi oppoſitionis ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον eſt *data opera vultum faciemque deformare, et deturpare.* Caeterum, qui data opera, et quodammodo coacte, alium quam naturalem, vultum ſibi induunt, eos eleganter τὸ πρόσωπον βιάζεσθαι Ioſephus dicit Lib. I. de B. I. cap. XXXI. §. 4.

CAPVT VII.

v. 15. *Ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων*) Male PRICAEVS contra omnes Cod. pro *ἐνδύμασι* legi vult, *ἐκδύμασι*, *exuviis:* a quo etsi recte discessit SVICERVS Thes. Eccl. T. I. p. 1112. in eo tamen audiendus non est, quod scribit: *Non necessarium est, vt intelligatur pellis corpori detracta; potest esse adhuc corpori adhaerens, ac proinde ἐν ἐνδύμασι dictum pro ὡς πρόβατα ἐνδεδυμένοι.* Male! *Ἐνδύματα τῶν προβάτων* sunt *vestes ex pellibus ouinis confectae*, alias *μηλωταὶ*, *δέρματα αἴγεια* dicta, qui habitus fere prophetarum veterum fuit; illud autem, *ἔρχονται ἐν ἐνδύμασι προβάτων*, est ex graecismo paullo exquisitiore, et denotat, *veniunt ad vos INDVTI vestibus, confectis ex pellibus ouium.* Hic enim est elegantissimus *τῆς ἐν* vsus. Ita Iosephus Lib. VI. Antiquitatt. c. IX. §. 4. *Σὺ μὲν ἐπέρχῃ μοι* EN *ῥομφαίᾳ, καὶ* EN *δόρατι, καὶ* EN *θώρακι, tu me aggrederis gladio, hasta et lorica INDVTVS et INSTRVCTVS:* ubi quidam Codd. *ἐν*, quoniam non publici saporis erat, omiserunt: Male. Sic enim apud eundem Lib. XVIII. c. VI. §. 7. Agrippa dicitur *ὁ* EN *τῇ πορφυρίδι* h. e. *purpurea veste indutus*, pro quo D. Lucas de eodem Agrippa Actor. XII. 21. ΕΝΔΥΣΑΜΕΝΟΣ *ἐσθῆτα βασιλικήν*. Hunc Graecorum loquendi morem imitati sunt Latini. Ouidius de A. A. Lib. II. v. 292.

Siue erit IN Tyriis, Tyrios laudabis amictus;
Siue erit IN Cois, Coa decere puta.

vbi *IN Tyriis et Cois esse*, denotat, *vestimentis Tyriis et Cois INDVTVM esse.* Virgil. Lib. V. Aeneid. v. 37.

occurrit Acestes
Horridus IN iaculis et pelle Lybistidos ursae.

Neque aliter Florus Lib. I. c. I. *Iuuentus in equis et armis*, h. e. armis, equisque INSTRVCTA. Plura in hanc rem exempla dabunt SALMASIVS ad Trebell. Poll. T. II. p. 344. GRAEVIVS in Lect. Hesiod. c. XVIII. DVKERVS ad Florum l. c. Caeterum in hoc Matthaei loco per

ἐνδύ-

ἐνδύματα προβάτων intelligitur *externa illa species sanctae, innocentis et mansuetae vitae, quam falsi doctores illi prae se ferebant:* de quibus D. Paulus II. Cor. XI. 13. οἱ τοιοῦτοι ψευδαπόστολοι, ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους χριστοῦ.

v. 22. οὐ τῷ σῷ ὀνόματι - - δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν) OLEARIVS interpretatur: *Nonne sub nomine Christianorum, siue a te appellati, adeoque vt tui, patrauimus miracula?* quod, vereor ut huic loco conueniat: malim cum WOLFIO, τῷ σῷ ὀνόματι reddere *iussu et auctoritate tua:* qua notione in sacris literis frequenter occurrit, v. c. Marc. VI. 38. 39. VII. 22. Luc. IX. 49. etc. Eodem sensu est apud Iosephum Lib. IV. Antiquitatt. c. I. §. 1. ΕΠ' ΟΝΟΜΑΤΙ τοῦ Θεοῦ κωλύειν, *AVCTORITATE et IVSSV Dei prohibere.* Lib. VII. Antiquitatt. c. I. §. 5. προσέταξεν αὐτὸν καλεῖν ΕΚ τοῦ Δαυΐδου ΟΝΟΜΑΤΟΣ, iussit *illum reuocari IVSSV et AVCTORITATE Dauidis.* Lib. VIII. Antiquitatt. c. XIII. §. 8. πέμπει γράμματα πρὸς τοὺς ὑπερέχοντας τῶν Ἰσραηλιτῶν, ΕΚ τοῦ Ἀχάβου ΟΝΟΜΑΤΟΣ, *ad primores Israëlitarum mittit literas AVCTORITATE Achabi scriptas.* Sic Lib. XI. Antiquitatt. c. VI. §. 12. γράφειν ἃ βούλεται προσέταξε περὶ τῶν Ἰουδαίων ἐκείνην ΕΚ τοῦ βασιλέως ΟΝΟΜΑΤΟΣ, *iussit Estherem de Iudaeis scribere, quod visum fuerit, AVCTORITATE regis.* Alio denique sensu est Lib. XIV. Antiquitatt. c. VIII. §. 3. μαρτυρεῖ δὲ μου τῷ λόγῳ Στράβων ὁ Καππάδοξ, λέγων ΕΞ Ἀσινίου ΟΝΟΜΑΤΟΣ, *meis verbis testimonium perhibet Strabo Cappadox, ex FIDE Asinii ita docens:* eodem sensu paullo post, ὁ δ' αὐτὸς οὗτος Στράβων καὶ ἐν ἑτέρῳ πάλιν ΕΞ Ὑψικράτους ΟΝΟΜΑΤΟΣ λέγει, h. e. *ex Hypsicratis fide.*

CAPVT VIII.

v. 6. Δεινῶς βασανιζόμενος) Vox βασανίζεσθαι, etsi minus graeca quibusdam visa est (vid. L. BOS ad Thomam

mam Magiſtrum p. 11.) tamen ſenſu et proprio, et translato apud optimum quemque Scriptorem occurrit: vtriuſque exempla vel in Ioſepho inuenies. Et proprio quidem, quo *tormentis cruciari* denotat, eſt Lib. II. Antiquitatt. C. VI. §. 4. ὁ δὲ (Ἰώσηπος) εἰς τὴν εἱρκτὴν αὐτὰς, (ἀδελφὰς) ὡς ἐπὶ σχολῆς ΒΑΣΑΝΙΣΩΝ, ἐνέβαλε, *Ioſephus fratres ſuos in cuſtodiam coniici iuſſit, tanquam per otium QVAESTIONI TORMENTISQVE ADMOTVRVS:* et Lib. XVI. Antiquitatt. C. VIII. §. 1. ΒΑΣΑΝΙΖΟΜΕΝΟΙ δὲ μᾶλλον, καὶ ἐν ταῖς ἀνάγκαις ὄντες, ἐπιτεινόντων ἀεὶ τῶν ὑπηρετῶν, *cum autem acrius CRVCIARENTVR, et in neceſſitatibus eſſent, et a tortoribus crudelius torquerentur:* translato autem, huic Matthaei loco conueniente, pro *grauiter affligere,* eſt Lib. II. Antiquitatt. C. XIV. §. 4. ὐκ ἠπόρει τὸ Θεῖον τὴν πονηρίαν αὐτᾶ (Φαραῶθυ) ποικίλοις κακοῖς καὶ μείζοσι τῶν προενδεδημηκότων μετερχόμενον ΒΑΣΑΝΙΣΑΙ. *Deus non cunctatus eſt, variis malis, et grauioribus iis, quae prius populo inſederant, malitiam Pharaonis PERSEQVI et AFFLIGERE.*

CAPVT IX.

v. 4. Καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησᾶς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν) Proprie εἰδέναι et ἰδεῖν differunt: cum hoc, *oculis aliquid cernere*, illud, *mente et intelligentia aliquid conſequi*, ſignificet. Ex hac igitur differentia recte et accurate Lucas C. VI. 8. αὐτὸς δὲ ΗΔΕΙ τὰς διαλογισμὰς: et C. IX. 17. εἰδὼς αὐτῶν διανοήματα. Neque tamen haec differentia ita a Scriptoribus optimis ſeruata eſt, quin ab ea interdum receſſerint. Nam quamquam ἰδεῖν proprie eſt *videre*, tamen, cum nullius rei certior firmiorque notitia ſit, quam eius, cuius ipſi αὐτόπται fuimus: factum eſt, vt ἰδεῖν *de quacunque rei cognitione certa* vſurparetur. Sic h. l. ἰδὼν (pro εἰδὼς) τὰς ἐνθυμήσεις. Infra C. XXVII. 54. ἰδόντας τὸν σεισμόν. Luc. V. 20. ἰδὼν τὴν πίστιν αὐτῶν.

τῶν: neque curiosius a profanis Scriptoribus ista differentia obseruatur. Iosephus Lib. X. Antiquitatt. C. XI. §. 6. Ὁ βασιλεὺς, ἐ ΣΥΝΙΔΩΝ τὴν κακȣργίαν αὐτῶν, *Rex, cum eorum malitiam non ANIMADVERTISSET:* neque aliter vox θεᾶσθαι adhibetur Lib. XVIII. C. VIII. §. 3. ὁ Πετρώνιος ἐκ τῶν λόγων ΘΕΑΣΑΜΕΝΟΣ δυσκίνητον αὐτῶν τὸ φρονȣ̃ν, *Petronius, cum ex verbis illorum PERSPEXISSET obstinatum et peruicacem illorum animum.* Ex hac differentia non accurate semper obseruata, nata est in multis locis lectionis varietas, v. c. apud Iosephum Lib. V. Antiquitatt. C. I. §. 2. ὅπως ΕΙΔΩΣ τὴν οἰκίαν ὁ ϛρατηγὸς, φυλάττηται κακῶς ποιεῖν, *vt imperator, cum domum nouerit, ab ea laedenda abstineret:* vbi quidem Codd. exhibent ἰδὼν; et BERNARDVS notat: *ἰδὼν et εἰδὼν apud Criticorum priscos valebat cum ὁρῶν, tum etiam μαθών.* Discriminis harum vocum non vbique obseruati exempla ex aliis Scriptoribus suppeditat ABRESCHIVS, V. C. in Animadu. ad N. T. p. 543.

CAPVT X.

v. 23. ȣ̓ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τȣ̃ Ἰσραὴλ) Hic vocis τελεῖν vsus in hoc Matthaei loco, cum paullo insolentior videatur, fecit, vt Viri docti in varias, easque maxime discrepantes, sententias distraherentur. Et STEPHANVS quidem in Thes. Gr. L. h. v. scribit; *haud temere certe talis huius verbi τελεῖν vsus alibi reperitur:* quod, mirum sane, Viro graece doctissimo excidere potuisse. HEINSIVS interpretatur per *doctrina perficere*, OLEARIVS per *cessare*, *desinere*, *auferri*, vterque falsus. RAPHELIVS verum vidit, cum scribebat, τελεῖν τὰς πόλεις esse, *peragrare vrbes;* quomodo autem ἐκπεραίνειν, ἀνύειν, τελεῖν et similia *obeundi, veniendi, peragrandi* sensum obtinere possint, neque is, neque, vt ego quidem sciam, alius docuit. Scilicet neque τελεῖν, neque similia ver-

verba, natura et vi sua, *proficiscendi*, *peragrandi* notionem habent, sed eam accipiunt ab vna et item altera voce, in his loquendi formulis omitti solita. Quid multa? τελεῖν τὰς πόλεις, concisum est loquendi genus, et ita supplendum, τελεῖν ΟΔΟΝ ΔΙΑ τὰς πόλεις· *non conficietis* ITER PER *Vrbes*, s. non *peragrabitis vrbes:* Sed de hoc loco pluribus quondam disputabamus in *Commentario Historico Critic. Philol. ad Decretum Atheniens.* p. 65. sq. vbi hoc loquendi genus illustrauimus, auctoritateque optimorum scriptorum ita confirmauimus, vt nemo insolens, quod H. STEPHANO videbatur, sit existimaturus. Locis, ibi in hanc rem laudatis, adde haec: Iosephus Lib. VIII. Antiquitatt. C. IV. §. 6. τὴν ΟΔΟΝ τὴν ΕΠΙ τὰ οἰκεῖα ἀνύσαι, *Domum proficisci*, *s. viam*, *qua domum irent*, *conficere*. Lib. VII. de B. I. Cap. V. §. 3. Τίτος τὴν προκειμένην ποιούμενος πορείαν, καὶ τὴν ἔρημον ᾗ τάχιστα διανύσας, *Titus propositum iter ad Aegyptum faciens*, *et SOLITVDINE celeriter PERAGRATA:* quae locutio, τὴν ἔρημον διανύειν, huic Matthaei, τὰς πόλεις τελεῖν, ita similis est, vt non ouum ouo similius.

CAPVT XI.

v. 12. ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται) Diligentissime, vt solet, B. WOLFIVS virorum doctorum sententias de hoc loco retulit: quarum vnice vera est, quae exponit, *regno coelorum vis infertur*, h. e. homines summo studio in regnum coelorum s. Ecclesiam ingredi nituntur; eodem modo dictum est, quo supra v. 5. πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, h. e. *pauperibus euangelium annunciatur;* de quo loquendi more dicemus ad Rom. III. 2. Nescio, an ad hunc Matthaei locum Hesychium respexisse dicam, cum βιάζεται exponebat per βιαίως κρατεῖται. Qui exponunt, *regnum Dei vim suam exserit*, omnium minime audiendi videntur, cum is sensus non solum contra linguae graecae rationem sit, sed a sequentibus etiam verbis, καὶ βια-

βιαςαὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν (quae non nisi dilucidiorem antecedentium explicationem continent,) diserte refellatur. Miror, a diligentissimo WOLFIO ad hunc Matthaei locum, paullo obscuriorem, non laudatum esse illum locum parallelum, Luc. XVI. 16. ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται, καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται: quae verba vltima egregie et diserte docent, quomodo haec Matthaei, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιαςαὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν, sint intelligenda. Neque vero, inter Matthaeum et Lucam vllam pugnam esse, existimandum est, cum hic εὐαγγελίζεται habeat, ille βιάζεται; sed amicissime inter se conspirant. Nam cum praedicatio Euangelii omnibus annunciandi, occasionem hominibus praebuerit irrumpendi in regnum coelorum; facile intelligitur, Lucam occasionem exprimere voluisse, Matthaeum autem id, quod ea occasio effecerit, quamque vim habuerit. Βιάζεσθαι autem *de summo studio aliquid conandi et nitendi* extat etiam apud Iosephum Lib. VI. Antiquitatt. C. VI. §. 3. vbi refert, qua ratione Ionathas, solo ipsius armigero comite, per loca praerupta ascensuque difficillima, in Palaestinorum castra ingressus sit: Κἀκεῖθεν ἀνερπύσαντες μετὰ πολλῆς ταλαιπωρίας, ΕΒΙΑΣΑΝΤΟ τὴν τοῦ χωρίου φύσιν, ὡς ἀνελθεῖν ἐπὶ τοὺς πολεμίους: *atque inde cum sursum non sine magno labore erepsissent, CVM SVMMO STVDIO difficultate ex natura loci SVPERATA, in altum euaserunt ad hostes.* Neque minus eleganter idem Iosephus, Lib. VII. Antiquitatt. C. IX. §. 2. Ἐθὶ δ' ὁ Γιτθαῖος συνεξώρμησεν αὐτῷ, ΒΙΑΣΑΜΕΝΟΣ τὴν Δαυίδου βούλησιν, *Ethi quoque Gitthaeus cum eo profectus est, SVMMO STVDIO IMPVLSVS, etiam contra Davidis voluntatem.* Inprimis huc facit Luciani locus in Iud. Vocal. T. I. p. 45. Ed. GRAEVII: ΒΙΑΖΕΣΘΑΙ εἰς ἀλλοτρίαν τάξιν, *SVMMO STVDIO in aliorum ordinem IRRVMPERE.* Nisi nunc hoc ageremus, vt Nouo Testamento lucis aliquid affunderemus non ex aliis Scriptoribus, sed ex solo Iosepho, plura loca in hanc rem afferre possemus. Caeterum

terum vocem βιαςὴς, quam H. STEPHANVS, ALBERTVS, et ipſe WOLFIVS, vix apud profanos reperiri dicunt, inveni apud Philonem de Agricultura p. 200.

CAPVT XII.

v. 7. Ἔλεον θέλω, καὶ ὀ θυσίαν) Facere non poſſum, quin ad haec verba elegantiſſimum Ioſephi locum, tanquam luculentiſſimum commentarium, afferam: qui, etſi paullo longior videatur, non dubito tamen, quin ſua et elegantia et praeſtantia omne Lectorum faſtidium ſit abſterſurus. Is eſt Lib. VI. Antiquitatt. C. VII. §. 4. vbi Samuel Saulum, nomine Dei, contumaciae arguit, quod Amalecitarum gentem non vniuerſam, vti Deus iuſſerat, deleuerit: Ὁ δὲ προφήτης, ΟΥΧΙ ΘΥΣΙΑΙΣ ἔλεγεν, ΗΔΕΣΘΑΙ ΤΟ ΘΕΙΟΝ, ΑΛΛΑ ΤΟΙΣ ΑΓΑΘΟΙΣ καὶ ΔΙΚΑΙΟΙΣ. ὗτοι δ᾽ εἰσὶν οἱ τῇ βȣλήσει καὶ ταῖς ἐντολαῖς αὐτȣ̃ κατακολȣθȣ̃ντες, καὶ μηδὲν ἄλλο πραχθήσεσθαι καλῶς ὑφ᾽ ἑαυτῶν νομίζοντες, ἢ ὅτι ἂν ποιήσωσι τȣ̃ Θεȣ̃ κεκελευκότος· καταφρονεῖσθαι γὰρ, ȣ̓χ᾽ ὅταν αὐτῷ μὴ ΘΥΗ τὶς. ἀλλ᾽ ὅταν ΑΠΕΙΘΕΙΝ δοκῇ· παρὰ δὲ τῶν ȣ̓χ᾽ ὑποτασσομένων, ȣ̓δ᾽ ἀληθῆ καὶ μόνην τῷ Θεῷ κεχαρισμένην θρησκείαν, θρησκευόντων, ȣ̓́τ᾽ ἂν πολλὰ καὶ πιμελῆ ΚΑΤΑΘΥΣΩΣΙΝ ἱερεῖα, ȣ̓́τ᾽ ἂν κόσμον ἀναθημάτων ἐξ ἀργύρȣ καὶ χρυσȣ̃ πεποιημένων προσφέρωσι. δέχεται ταῦτ᾽ εὐμενῶς, ἀλλ᾽ ἀποςρέφεται, καὶ δείγματα τῆς πονηρίας, ȣ̓κ εὐσέβειαν ἡγεῖται· τοῖς δ᾽ ἓν καὶ μόνον τȣ̃θ᾽ ὅ, τιπερ ἂν φθέγξηται καὶ κελεύσῃ ὁ Θεὸς διὰ μνήμης ἔχȣσι, καὶ τεθνάναι μᾶλλον ἢ παραβῆναί τι τȣ́των αἱρȣμένοις ἐπιτέρπεται· καὶ ȣ̓́τε ΘΥΣΙΑΝ ΕΠΙΖΗΤΕΙ παρ᾽ αὐτῶν, καὶ παρὰ θυόντων δὲ, κἂν ᾖ λιτὰ, πενίας ἥδιον τὴν τιμὴν ἢ παρὰ τῶν πλȣσιωτάτων δεξιȣ̃ται. *Tum Propheta, NON VICTIMIS, dicebat, OBLECTARI DEVM, SED VIRIS BONIS et IVSTIS: Hi vero ſunt, qui illius voluntati et iuſſis obſequuntur, et qui*

qui credunt, nihil a se recte fieri, nisi quod Dei iussu fecerint. Eum enim contemni scito, non quando ei NON SACRIFICATUR, sed cum quis NON DICTO AUDIENS esse videatur: ab iis vero, qui ei non obtemperant, nec tribuunt cultum verum, vnicumque Deo gratum, etiamsi multas et opimas victimas immolent, et donaria exquisitissima ex auro et argento conflata afferant, ne haec quidem benigno placatoque animo accipit: sed ab his se auertit, et nequitiae argumenta ducit, non pro pietate habet. At qui vnum, idque solum in memoria tenent, quod ipse pronunciauerit ac praeceperit, mortemque malunt oppetere, quam eiusmodi quidquam violare, his delectatur, ac ne sacrificium quidem ab ipsis requirit; verum, etiamsi rem diuinam fecerint, munere licet viliori, pauperem honorem libentius ab his accipit, quam a quocunque alio vel locupletissimo.

v. 20. *ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν*) In tam diuersis, tamque discrepantibus Virorum doctorum de hoc loco sententiis, mihi haec verba videbantur et huic loco, et loquendi rationi sacrae conuenientissime reddenda: *vsque dum causam*, de qua disceptatur, *obtinuerit*, atque adeo ex illo certamine victor discesserit. Ἐκβάλλειν hic idem est, quod alias *ἐξάγειν*, v. c. Ioh. X. v. 4. et alibi: *ἐξάγειν* autem *εἰς νῖκος τὴν κρίσιν* s. *κρῖμα* dicitur is, *qui in iudicio causam vicit.* Sic saepe apud LXX. Seniores. Iob. XXIII. 7. *ἐξαγάγοι δὲ εἰς τέλος μου κρίμα.* Habac. I. 4. *καὶ οὐ διεξάγεται εἰς τέλος κρίμα.* Ἐις τέλος autem et *εἰς νῖκος* vnum idemque esse constat, atque adeo promiscue vsurpari. Quod Psalm. IX. 9. dicitur *εἰς τέλος ἐπιλησθήσεται*, id Thren. V. 20. per *εἰς νῖκος ἐπιλήσῃ* editur, sensu eodem: ideoque saepissime iis locis, vbi LXX. Seniores Ebraicum לנצח *εἰς τέλος* reddiderunt, eam vocem Aquila et Symmachus per *εἰς νῖκος* expresserunt. Vid. v. c. Psalm. IV. 1. XII, 1. XLVIII. 8. *Κρίσιν* autem dici de *re, de qua disceptatur*, vel Iosephus docet, Lib. VII. Antiquitatt. C. II. §. 2. *ταύταις ταῖς ἡμέραις* ΚΡΙΣΙΣ *ἐπ' αὐτὸν ἤχθη δυσχερής*: *hisce diebus ad eum delata est RES quaedam*

C

dam DIIVDICANDA, eaque perquam ardua: et paullo post, *μηδενὸς ἐπινοῦντος* ΤΗΝ ΚΡΙΣΙΝ, *cum nemo rem diiudicandam satis intelligeret*, f. non inueniret, quomodo disceptanda, dirimendaque esset.

v. 42. *Βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει)* IO. OLEARIVS in Libro de Stilo N. T. p. 282. Ed. Schwarz. vocem *βασίλισσα* refert inter *ἰδιωτικὸν* et *χυδαῖον* dicendi genus: Reiicit quoque eam, tanquam minus probam, Phrynichus, et loco eius *βασίλειαν* vel *βασιλίδα* dicendum esse contendit. Equidem de puritate huius vocis dubitare nolim. Nam etiamsi apud scriptores Atticos non inueniatur, occurrit tamen apud eos, quibus pure diligenterque scribendi laus ab omnibus harum rerum intelligentibus tribuitur. Vel vnum Iosephum huius rei testem excitabimus. Lib. XI. Antiquitatt. C. VI. §. 1. *Ὀυδεμία τοῦ συνοικοῦντος ἀνδρὸς αἰδῶ ποιήσεται, παράδειγμα τῆς* ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ *ὑπερηφανίαν πρός σε τὸν κρατοῦντα ἁπάντων ἔχουσα:* Cap. eodem §. 7. *ὡς δ᾽ ἀπήγγειλάν τινες τῇ* ΒΑΣΙΛΙΣΣΗι. §. 9. *τὸ σχῆμα μεταβάλλει, κοσμησαμένη δ᾽ ὡς ἐχρῆν τὴν* ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ, §. 10. *ὧν παρόντων, διηγεῖται τὴν τιμὴν, ἧς οὐ παρὰ τοῦ βασιλέως ἀπολαύοι μόνου. ἀλλὰ καὶ παρὰ τῆς* ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ: de B. I. Lib. I. C. III. §. 3. *πρὸς τοῦτο πάνυ πανοῦργος ἡ* ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ *συντάσσεται:* Lib. V. C. IX. §. 4. *οὐ μετὰ μίαν ἑσπέραν ἄχραντος μὲν ἡ* ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ *ἀνεπέμφθη πρὸς τὸν ἄνδρα:* et sic innumerabilibus aliis locis apud vnum Iosephum, cuius auctoritatem in his rebus equidem defugere nolim. Caeterum bene SALMASIVS in Commentar. de Ling. Hellenist, p. 106. huius ipsius vocis occasione scribit: *Nec secius apud alios auctores exoticos. Multi enim sunt etiam ex probatissimis, qui non refugiunt vti huiusmodi vulgo receptis vocibus.*

CAPVT

CAPVT XIIII. XIV.

v. 3. Ὁ γὰρ Ἡρώδης, κρατήσας τὸν Ἰωάννην, ἔδησεν αὐτὸν, καὶ ἔθετο ἐν φυλακῇ) Caufam, quare Iohannes ab Herode in carcerem fuerit coniectus, affert Matthaeus hanc, quia ob inceftum, et alia flagitia fceleraque Herodem reprehenderit: Iofephus autem de hac re paullo aliter: quem locum, etfi paullo longiorem, inftituto tamen meo perquam conuenientem, non grauabor huc, fed latine tantum, transferre. Iofephus igitur Lib. XVIII. Antiquitatt. C. V. §. 2. *Hunc* Iohannem *Herodes necari iuffit, cum effet vir bonus, Iudaeofque ad virtutis ftudium excitaret, praecipiens, vt iufte quidem inter fe, erga Deum autem pie agentes, ad lauacrum accederent. - - Cumque multi ad eum vndique confluerent (huiufmodi enim fermonibus mirum in modum capti erant,) Herodes, veritus, ne tanta hominis auctoritas fubditos ad defectionem impelleret, (videbantur enim omnia de confilio ipfius facturi effe) fatius effe duxit, priusquam noui quid ex illo oriretur, illum e medio tollere, quam vt, mutatione rerum facta, ipfe, in difcrimen adductus, poenitentiam ageret. Atque ille quidem, ob hanc Herodis fufpicionem, in vincula coniectus, miffufque ad caftellum Machaeruntem, cuius fupra meminimus, ibidem caefus eft.* Cum autem Iofephus aliam caufam poenae Iohanni inflictae afferat, quam Matthaeus; B. WOLFIVS ad h. l. fcribit: *Iofephum aut mala fide egiffe, aut eam caufam attuliffe, quae tunc temporis vulgo ferretur.* Sed prior ratio, a Viro doctiffimo allata, quam maxime a vero abhorrens mihi videtur, cum ne leuiffima quidem appareat caufa, qua commoti, fufpicari poffimus, Iofephum hac in re *mala fide egiffe*, qui l. c. Iohannis laudes mirifice extollat, aliis autem locis multis Herodis vitia grauiffime reprehendat, adeo vt nihil hac in re neque odio Ioannis, neque gratiae Herodis dediffe exiftimandus fit. Pofterior WOLFII ratio probabilior eft, qua Iofephum putat *ea attuliffe, quae tunc facinori huic praetexerentur;* vt adeo dicendum fit, Iofephum in-

terfecti Ioannis attulisse causam, quam non ex sua ipsius, sed aliorum opinione, tunc temporis apud Iudaeos obtinente, protulerit; Quod si fecerit, aeque minus reprehendendus Iosephus mihi videtur, ac Herodotus, aliique Historici, qui multa ex aliorum relatione et opinione retulerunt. Sed mihi videtur alia ratione fides Iosephi, Historici grauissimi et maximi, cum hic, tum saepe alibi in suspicionem temere adducta, defendi posse. Scilicet, qui in cognoscendis Veterum monumentis paullo diligentius versati sunt, ii ignorare non possunt, multos Historicos saepe vnam eandemque rem narrare, sed ita, vt, etiamsi in rei summa amicissime inter se conspirent, in aliis tamen, caput rei non attinentibus, (*circumstantias* vulgo vocant) non per omnia consentiant, cum diuersum fere consilium in scribendo sequantur. Itaque suam quisque narrationem ita instituit, vt consilio conuenire putat suo. Quid mirum igitur, si Matthaeus et Iosephus in vna eademque re tradenda diuersam causam caedis Iohannis afferant, cum vterque haud dubie diuersum sit secutus consilium. Neque enim a vero abhorret, si dicamus, duas fuisse causas, quibus commotus Herodes Iohannem in vincula conîici necarique iusserit, *exprobrationem* nempe *incestus*, et *metum rebellionis a plebe imminentis*, ita vt alteram Matthaeus, alteram Iosephus tradiderit, adeoque neuter ab altero discrepare, sed vterque diuersum in narrando consilium spectasse censendus sit. Neque illud, ad tuendam Iosephi fidem, ineptum, opinor, erit dixisse, Matthaeum loqui de causa, ob quam Ioannes in carcerem detrusus sit: Iosephum autem de ea, ob quam interfectus sit. Scilicet Herodes Ioannem ob exprobratum incestum in carcerem quidem coniecit, vt tradit Lucas C. III. 19. non autem statim interfecit: postea autem necari quoque iussit, cum precibus importunis filiae Herodiadis, iurisiurandique religione coactus, tum metu rebellionis, a Iudaeis imminente, compulsus, quod posterius refert Iosephus. Quicquid horum elegeris, appa-

ret,

ret, Iosephum non egisse mala fide, et cum Matthaeo facile componi posse.

Τὴν γυναῖκα Φιλίππου) Recte nomen *Φιλίππου* Matthaeo, tanquam suum, iustis vindiciis Viri docti asseruerunt, et HARDVINI audaciam, vti saepe alias, ita hic, fidem Iosephi suspectam reddere conantis, castigarunt. *Sed tamen intercedere hic iterum videtur*, scribit ad h. l. WOLFIVS, *Iosephus, qui Lib. XIIX. Antiquitatt. C. VII. fratrem illius Herodis Tetrarchae, qui Herodiadem deinde duxit, non Philippum, sed Herodem vocat.* Sed nulla hic quidem inter Iosephum et Scriptorem sacrum intercedit pugna. Nam dubium non est, quin *Philippus*, quo hoc loco vtimur, idem sit, qui Iosepho l. c. dicitur *Herodes*. Scilicet, vt NOLDIO, aliisque Viris doctis dudum obseruatum est, inter filios Herodis M. duo fuerunt *Philippi* nomine insigniti; quorum alter constitutus est *Tetrarcha Trachonitidis*, alter, famae paullo obscurioris, priuatus vitam transegit, cuius h. l. Matthaeus mentionem facit. Neque vero Iosephus a Matthaeo discrepat, cum fratrem Herodis Tetrarchae, qui *Herodiadem* abduxit, non *Philippum*, sed *Herodem* vocet. Auctore enim Iosepho, et aliis, satis constat, multos Herodis M. filios, etsi suo quisque nomine proprio, quo ab aliis distinguerentur, insigniti fuerint; tamen Herodis nomen quasi commune quoddam habuisse, adeo vt nunc proprio, nunc communi a Scriptoribus appellentur. Filio natu maximo Herodis M. proprium nomen fuit *Archelaus*: idem tamen vocatur interdum *Herodes*. Dio Cass. Lib. LV. p. 567. Ed. Leuncl. ὅ, τε Ἡρώδης ὁ Παλαιστίνος, αἰτίαν τινα ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὸ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη. *Herodes Palaestinus, accusatus a fratribus, vltra Alpes fuit relegatus*: quo loco per *Herodem* nullum alium esse intelligendum, quam *Archelaum*, historia testis grauissima est, vt PAGIVS in Critica Baron. T. I. p. 13. luculentissime docet. Et ne longe abeamus, ipse *Philippus*, quo hoc loco vtimur, mox *Philippus*, mox *Herodes* ab ipso Iosepho vocatur. Nam quem Lib. XIIX.

Antiquitatt. C. IV. vocat *Philippum*, eundem C. V. appellat *Herodem:* quid? quod eodem C. V. nunc *Philippum* eum, nunc *Herodem* dicat, vt totum illud caput attente perlegenti patebit. Alia in hanc rem exempla dabit NOLDIVS *de Vita et gestis Herodum* §. 215. Non igitur satis accurate ad h. l. B. WOLFIVS scribit, *Herodis Tetrarchae fratrem non* Philippum, *sed* Herodem *a Iosepho vocari*, cum vtroque nomine promiscue eundem hominem insignire soleat. Quae cum ita sint, nulla fere hic apparet difficultas, a Viris doctis mota, Iosephi cum Matthaeo conciliandi; adeo vt mirum videatur, CASAVBONVM, acerrimum alias, felicissimumque Iosephi vindicem, nihil defendendo Iosepho suo afferre potuisse, sed erroris eum postulasse, cum in Exercitatt. Anti-Baron. XIII. §. 26. scribit: *Haec discrepantia* Iosephi a scriptoribus sacris *cum nullam conciliationem admittat, nullum est dubium, Iosephum errasse, et quidem grauiter. Error enim est et mendacium, quicquid diuinis repugnat Oraculis.* Verum id quidem, o bone! sed nihil ad Iosephum.

v. 6. Γενεσίων δὲ ἀγομένων) In voce γενεσίων B. WOLFIVS subintelligi vult συμποσίων: ego malim ἡμερῶν, cum ita diserte apud Iosephum loco mox laudando occurrat. Quae autem SALMASIVS in Commentar. de Lingua Hellenist. p. 104. scribit, Matthaeum ex more Atticorum non locutum esse, cum, auctore Phrynicho, γενέσια de *die natalitio* minus recte dicatur, id, nescio an vere dictum sit. Nam vox γενέσιος eo sensu est apud Philonem, optimum sane loquendi auctorem, de Mundi Opif. p. 20. et Iosephum Lib. XII. Antiquitatt. C. IV. §. 7. πάντες οἱ πρῶτοι τῆς Συρίας καὶ τῆς ὑπηκόου χώρας, ἑορτάζοντες τὴν ΓΕΝΕΣΙΟΝ ΗΜΕΡΑΝ τοῦ παιδίου (τοῦ βασιλέως) *Omnes primores Syriae, et regionis subiectae, celebrantes pueri regis diem natalitium:* paullo post §. 9. idem dies dicitur ἡ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ ΓΕΝΕΘΛΙΟΣ: adeo vt Grammaticorum differentia inter has voces ab Auctoribus non semper videatur obseruata.

v. 24.

v. 24. τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν) Elegans hoc est loquendi genus, quo Adiectiuum μέσος, relatum ad praecedens Substantiuum, post se regit Genitiuum eius rei, in cuius medio versatur: Sic, τὸ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν, ad verbum est, *nauis iam media maris*, pro, τὸ πλοῖον ἤδη ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης ἦν, *nauis iam erat in medio maris*. Sic apud Iosephum Lib. VI. Antiquitatt. C. IV. §. 5. de Samuele, Saulum in medium populi collocante: παραγενόμενον ἵστησι ΜΕΣΟΝ τοῦ πλήθους, *postquam venit, in medio populi eum collocauit*. Lib. XIII. Antiquitatt. C. I. §. 3. ὁ δὲ, παρορμήσας τοὺς ἑταίρους, καὶ περὶ τῶν ψυχῶν αὐτοῖς εἶναι τὸν κίνδυνον, εἰπὼν, ΜΕΣΟΙΣ ἀπειλημμένοις τοῦ τε ποταμοῦ καὶ τῶν πολεμίων *Ille vero socios adhortatus est, additoque insuper, quod vita illis in periculo sit, in medio hostium fluuiique inclusis*. Lib. XIV. Antiquitatt. C. II. §. 1. στὰς ΜΕΣΟΣ αὐτῶν, *Stans IN MEDIO ipsorum*. et Lib. XI. Antiquitatt. C. V. §. 5. ὁ δὲ ΜΕΣΟΣ τοῦ πλήθους σταθεὶς, *hic vero IN MEDIO Concionis stans*.

v. 25. Τετάρτῃ δὲ φυλακῇ) Auctoribus Veteribus edocti, scimus, Graecos noctes in quatuor, easque aequales, diuisisse partes. Cf. Suidas in voce φυλακή. Romani, vt in multis aliis, ita in hoc, Graecorum morem secuti, ipsi quoque noctem in quatuor vigilias distinxerunt: vnde saepe apud Scriptores mentio *vigiliae primae*, *secundae*, *tertiae*, *quartae*. Vid. Pomponius Mela Lib. I. C. 20. et ibi SCHOTTVS. Iudaei, quamdiu, sua libertate vsi, non multum commercii cum aliis gentibus habebant, noctem non nisi in tres partes secernebant; postea quam vero, a Pompeii M. inde temporibus, Romanorum potestati subiecti paruerunt, hanc Romanorum consuetudinem secuti, noctem ipsi quoque in quatuor partes, quarum quaeque tres horas, nunc breuiores, nunc longiores, pro anni tempestate complectebatur, distinguebant: adeo vt hac ratione sententiae discrepantes Auctorum facillime componi possint, quorum alii noctem a Iudaeis non nisi in tres, alii autem in quatuor, vigi-

lias distinctas volunt. Ex posteriorum igitur temporum ratione locutus est Matthaeus, cum mentionem facit τετάρτης φυλακῆς: quamquam Iosephus *quartae vigiliae* mentionem facit eo loco, vbi de Iudaeis loquitur, longo tempore ante, quam Romanae potestatis iugum subire coacti sunt, scilicet Lib. V. Antiquitatt. c. VI. §. 5. κατὰ ΤΕΤΑΡΤΗΝ μάλιστα ΦΥΛΑΚΗΝ προσῆγε τὴν αὐτῦ στρατιὰν Γεδεὼν, *sub quartam fere vigiliam copias suas educebat Gedeon* vbi *RELANDVS: Et inter Iudaeos* 4. φυλακαὶ *fuerunt noctis:* nisi velimus dicere, Iosephum ibi locutum esse ex ratione suorum temporum, more Historicis frequentissimo. Et Lib. XVIII. Antiquitatt. c. IX. §. 6. περὶ ΦΥΛΑΚΗΝ ΤΕΤΑΡΤΗΝ ἐπιπεσὼν, *circa quartam vigiliam eos adortus.* Cf. de hac noctis in vigilias divisione Ill TRILLERVS in Commentario, omnis exquisitioris doctrinae cultu politissimo, ad H. GROTII Christum Patient, p. 211. seq. et qui ibi laudantur.

CAPVT XVI.

v. 22. Ἵλεώς σοι κύριε) Haec loquendi formula, a LXX. Senioribus petita, Hebraeis debetur. Nam qui vnicus a MAIO in hanc rem laudatur Aristaeneti locus, est maxime ἀπροσδιόνυσος. Respondet autem Ebraico חָלִילָה *absit, Deus prohibeat, auertat.* II. Samuel. XX. v. 20. Ἵλεώς μοι, ἵλεώς μοι. εἰ καταποντιῶ, καὶ εἰ φθερῶ; *absit, absit, ut* etc. et c. XXIII. v. 17. Ἵλεώς μοι, κύριε, τῦ ποιῆσαι τῦτο. I. Paralip. c. XI. v. 19. Ἵλεώς μοι, ὁ Θεὸς, τῦ ποιῆσαι τὸ ῥῆμά τῦτο, vbi diserte additur Θεὸς, uti in aliis locis, v. c. Genes. XLIII. 23. Esai. LIV. 10. Neque aliter apud Iosephum Lib. VII. Antiquitatt. c. XI. §. 8. vbi Ioabus mulierculae cuidam, quae his verbis eum allocuta erat: σὺ σπεδάζεις μητρόπολιν Ἰσραηλιτῶν καταβαλεῖν καὶ πορθῆσαι, μηδὲν ἐξαμαρτῦσαν, *tu conaris vrbem primariam, quae nihil deliquerit, expugnare et depopulari,* narratur respondisse: ὁ δ' ΙΛΕΩ μὲν εὔχετο

τὸ ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΑΥΤΩΙ ΔΙΑΜΕΝΕΙΝ· *Atque ille quidem Deum propitium ſibi permanere precabatur:* quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, μὴ γένοιτο τοῦτο, *hoc abſit!* amovet a ſe criminationem, quam in ipſum mulier coniecerat: ſequitur enim mox: αὐτὸς δ' οὕτως ἔχειν, εἶπεν, ὡς μηδένα τοῦ λαοῦ φονεῦσαι, οὐχ' ὅτι πόλιν ἐξελεῖν βούλεσθαι τηλικαύτην, *illud non ita ſe habere dixit, vt e populo quemquam perditum iret, nedum ſibi in animo eſſe, vt vrbem adeo magnam exciſam velit.* Ex quo apparet, hanc loquendi formulam apud Matthaeum ita ex Ioſepho ſupplendam eſſe: Ἵλεώς σοι, κύριε, ὁ ΘΕΟΣ ΔΙΑΜΕΝΗΙ. *Tibi, Domine, DEVS PROPITIVS PERMANEAT!* ſ. abſit, vt, quod dicis, tibi contingat! Caeterum, quod veretur *Elſnerus*, ne ellipſis vocis Θεὸς in hac formula loquendi inſolens ſit, is metus vanus et inanis eſt, ut vel ex allatis exemplis intelligi poteſt.

v. 26. τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ) *quod pretium homo dabit, quo animam ſuam redimere poſſit?* Ita haec verba reddenda mihi videntur. Sic diſerte ἀντάλλαγμα eſt apud Ioſephum Lib. I. de B. I. c. XVIII. §. 2. vbi Herodes Romanos ab vrbis Hieroſolymorum direptione avocare conatur his verbis: ὡς ἐπὶ τοσούτων πολιτῶν φόνῳ, βραχὺ καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης ἡγεμονίαν ΑΝΤΑΛΛΑΓΜΑ κρίνοι: *Vel totius orbis imperium tam multorum ciuium caede non REDIMENDVM ESSE.* vbi Ill. SPANHEMIVS ex Euripid. Oreſt. v. 1159. laudat τὸ πλῆθος, ἀντάλλαγμα γενναίου φίλου, ſenſu eodem.

CAPVT XIX.

v. 3. Κατὰ πᾶσαν αἰτίαν) *propter ullam cauſam*, Ita κατὰ ſaepe apud optimos ſcriptores. Ioſephus Lib. I. Antiquitatt. c. XVIII. §. 2. ὑποδέχεται δ' αὐτὸν ὁ βασιλεὺς Ἀβιμέλεχος· ΚΑΤΑ ξενίαν καὶ φιλίαν τὴν Ἀβράμου. *Rex autem Abimelechus ipſum excepit, PROPTER hoſpitium et amicitiam Abrami*; et eodem Lib. c. XIX. §. 1. Ἰάκωβος

εἰς τὴν Μεσοποταμίαν ςελλόμενος ὑπὸ τῆς μητρὸς, ΚΑΤΑ γάμον τῆς Λαβάνε θυγατρὸς, *Iacobus in Mesopotamiam missus a matre propter Labani filiam ducendam.* Caeterum haec quaestio Christo disceptanda et solvenda posita est, ad componendam controversiam, quae tunc temporis Iudaeorum animos in duas, easque maxime discrepantes, sententias distrahebat: cum alii contenderent, licere vxorem tantum ob *gravissima crimina* dimittere, alii contra ea, *ob quamcunque caussam*, atque adeo vel *levissimam* eam potestatem esse concessam, modo ea dimissio fiat *libello repudii misso:* quorum partibus se adiunxit Iosephus, quod intelligitur ex iis, quae scribit Lib. IV. Antiquitatt. c. VIII. §. 23. γυναικὸς τῆς συνοικέσης βελόμενος διαζευχθῆναι ΚΑΘ ΑΣ ΔΗΠΟΤΟΥΝ ΑΙΤΙΑΣ, πολλαὶ δ' ἂν τοῖς ἀνθρώποις τοιαῦται γίνοιντο· γράμμασι μὲν περὶ τῦ μηδέποτε συνελθεῖν ἰσχυριζέσθω· λάβοι γὰρ ἂν ὅτως ἐξεσίαν συνοικεῖν ἑτέρῳ· πρότερον γὰρ ἐφεκτέον· *qui a coniuge, QVASCVNQVE OB CAVSAS (multae autem tales hominibus accidunt) disiungi velit, scripto ei fidem faciat, se nunquam cum ea amplius rem esse habiturum; sic enim habebit potestatem alterius coniugis quaerendae: nam priusquam hoc fiat, illud non permittendum est.* Caeterum haec disputatio orta est ex schola *Hillelis* et *Sammaei*, qui locum Deuter. XXIV. 1. *Si inuenerit maritus in uxore* ערות דבר *turpitudinem rei*, interpretationibus quam maxime sibi contrariis explicabant. Qui disciplinae erant *Hillelis*, eos non poenitebat eius sententiae esse, vt dicerent, uxorem eiici posse cum *ob crimen aliquod turpius et gravius*, tum etiam על כל דבר κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, *ob quamcunque caussam*, etiam *levissimam:* qui autem *Sammaei* placita sequebantur, ii disertis Scripturae S. verbis pressius inhaerebant, et contendebant, ob caussam non *quamcumque*, sed *turpem* tantum, v. c. μοιχείαν, πορνείαν etc. coniugii vinculo coniunctos seiungi posse. Hanc igitur rem, quae tunc temporis in controversia versabatur, disceptandam, etsi animo maligno, detulerunt Pharisaei ad Chri-

Christum. Vid. HOTTINGERVS de vsu Scriptt. Hebraic. in N. T. p. 404. in *Syntagm. Rhenferdiano.* Quod autem apud Matthaeum paullo post est, βιβλίον ἀποστασίε, Iosepho, loco paullo ante citato, γράμματα, et Lib. XV. Antiquitatt. c. VII. §. 10. γραμμάτιον dicitur. Caeterum βιβλίον ἀποστασίε, s. *libellus diuortii*, eleganter et molliori nomine vocari videtur HOMBERGIO: ἀφίστημι enim, dicit, proprie et communiter significare *abstinere*, et adhiberi, vbi de abstinentia a mulieribus sermo sit: ut adeo Moses Iudaeis non diuortii potestatem, sed tantum abstinentiam ab vxoribus concessisse censendus sit. Sed a diobolaribus et Lexicis, et Grammaticis, male fidis graecae linguae magistris, deceptus est HOMBERGIVS. Nunquam enim ἀφίστημι per se, *abstinere* significat, nisi Pronomine Reciproco aut addito, aut subintellecto; etsi plerumque in vulgaribus et Grammaticis et Lexicis ita quoque redditur, cum haec vox Composita, vti et Simplex ἵστημι, in Praesenti et aliis Temporibus, exceptis *Perfecto*, *Plusquamperfecto*, et *Aoristo secundo*, nunquam significationem *Neutralem*, sed semper *Activam* habeat. Ἀφίστημι igitur sua vi et indole denotat, *seorsum statuo*, *procul colloco*, *dirimo*, *seiungo*, interdum, *ad defectionem sollicito*, semper significatione Activa. *Aoristus* autem *Secundus* habet significationem Neutralem, et significat *discedere*, vt in hac ipsa re ea voce vtitur Iosephus Lib. XV. Antiquitatt. c. VII. §. 10. ἡ Σαλώμη πρὸς τὸν ἀδελφὸν Ἡρώδην ἔλεγεν, ὑπὸ τῆς εἰς ἐκεῖνον εὐνοίας ἈΠΟΣΤΗΝΑΙ τἀνδρός: *Salome ad fratrem Herodem dixit, se propter suam in eum beneuolentiam a marito suo discessisse.* Cum igitur ἀφίστημι nunquam denotet *abstinere*, ruit illa altera HOMBERGII coniectura, ei significationi fictitiae superstructa, quae penitus subuertitur ab adiecta voce ἀπολῦσαι. Caeterum huius libelli frequentissimus usus apud Iudaeos erat; גט vocatur, qui constabat ipsius duodecim lineis: Formula autem diuortii indicandi erat haec: *Habe tibi libellum hunc, ecce repudiata est a me, et cuique alii viro concessa.* Vid. HOTTINGERVS l. c. v. 28.

v. 28. ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ) Aſſentior B. WOLFIO et aliis, qui hanc παλιγγενεσίαν interpretantur de *reſurrectione mortuorum, et proxime iudicandi incredulos poteſtate, ſed ita, ut conſecutura praemia non excludantur.* Occurrit haec vox apud Ioſephum ſenſu, huic loco Matthaei perquam accommodato, pro *priſtini ſtatus inſtauratione.* Locus eſt Lib. XI. Antiquitatt. c. III. §. 9. vbi exponit de reditu Iudaeorum e Babylone in patriam, liberalitate Cyri ipſis conceſſo: οἱ δὲ ἀκούσαντες ἐυχαριστοῦσι μὲν τῷ Θεῷ, πάλιν αὐτοῖς ἀποδιδόντι τὴν πάτριον γῆν· εἰς δὲ πότον καὶ κώμους τραπέντες, ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ διήγαγον εὐωχούμενοι καὶ τὴν ἀνάκτησιν καὶ ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΝ τῆς πατρίδος ἑορτάσαντες. *Hi autem, iſtis auditis, Deo quidem gratias egerunt, qui iterum ipſis reditum in patriam dediſſet: in compotationes vero et comiſſationes verſi, ſeptem dies multa hilaritate exegerunt, ob patriam receptam et inſtauratam feſta celebrantes.* Cicero ad Attic. Lib. IV. 6. conditionem ſuam, qua, revocatus ab exilio, priſtinam dignitatem, accepto etiam proconſulari imperio, recuperaverat, vocat παλιγγενεσίαν, quod quid aliud eſſe poteſt, quam *priſtini ſtatus inſtauratio?* Porro ipſa orationis Matthaei συνάφεια docet, τὴν παλιγγενεσίαν non tam ad Chriſtum eſſe, quam ad Apoſtolos referendam. Loquitur Chriſtus de eo tempore, quo praemia, pro iactura in bonis et facultatibus huius vitae facta, reportaturi ſunt: quod futurum eſſe dicit ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, quando Filius hominis in throno ſuo, maieſtatis pleno, ſederet, Apoſtolos quoque in duodecim thronis ſeſſuros, iudicaturosque eſſe duodecim tribus Iſraelis. Promittit igitur h. l. Apoſtolis, ceterisque fidelibus coeleſtis vitae vſum, nunquam interiturum; quod dilucidius apparet ex locis Parall. Marc. X. 30. et Luc. XXII. 30. Caeterum male quidam Viri docti huc vocarunt παλιγγενεσίαν Pythagoricam, aut Stoicam, quae plane ab hoc loco abhorret.

CAPVT XXI.

Καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν) Cum BEZA et HOMBERGIVS non videant, qui *αὐτῶν* dici possit, cum *ὄνος* et *πῶλος* praecesserit; *αὐτῶν* referri volunt ad sequentem vocem *ἱμάτια*, vt Christus super *vestimenta* collocatus dicatur: sed hoc est omnium durissimum, et contra omnem fere loquendi vsum. Alii cum GLASSIO et CLERICO Enallagen hic statuunt, qua Pluralis loco Singularis Numeri ponatur. Sed ne hoc quidem opus est, cum alia ratione haec, quae esse videtur, difficultas tolli possit. Scilicet vox *αὐτῶν*, in multitudinis numero, commode de *vno* explicari potest, et ita reddi: *collocarunt ipsum super vnam illarum bestiarum*, adeo vt nomen *εἷς* ommissum dicendum sit: in quam rem iam B. Wolfius exemplum adduxit, Iudic. XII. 7. vbi Iephta sepultus dicitur *in vrbibus* Gilead, h. e. *in una illarum*: neque vero Hebraeis hic loquendi vsus ita proprius est, quin apud alios quoque inueniatur. Sic apud Iosephum, Lib. II. Antiquitatt. c. VI. §. I. *ἄγεται Πετεφρῆ θυγατέρα ΤΩΝ ἐν Ηλιυπόλει ΙΕΡΕΩΝ*, *accepit in matrimonium filiam Petephrae, VNIVS ex sacerdotibus Heliopolitanis*. Lib. III. Antiquitatt. c. XI. §. 6. de vxore, adulterii suspecta, *τὴν γυναῖκα στήσας τὶς τῶν ἱερέων κατὰ ΤΑΣ ΠΥΛΑΣ*, *vxorem vero sacerdotum aliquis statuens ad PORTAS*, h. e. ad vnam portarum. Sic Lib. XX. Antiquitatt. c. V. §. 3. cohors Romana, diebus festis, dicitur collocata esse, *ἐπὶ τῶν τοῦ ἱεροῦ στοῶν*, h. e. *in VNA PORTICVVM templi*, scilicet in porticu occidentali, contra templum sita: vti diserte exponitur eod. Lib. c. VIII. §. 11.

CAPVT XXII.

v. 3. *Ἀπέστειλε τοὺς δούλους αὐτοῦ καλέσαι τοὺς κεκλημένους*) Mihi non displicet HACKSPANIVS, qui *κεκλημένους* reddendum putat *vocandos*, seu *convivas*, ut sensus sit,

domi-

dominum misisse seruos suos, inuitaturos conuiuas. Et sic optime cum Luca conspirabit Matthaeus. Nam quod B. WOLFIVS ad h. l. scribit, ita tulisse Veterum mores, vt futuri conuiuae bis inuitarentur, primum iusto tempore ante conuiuium nuptiale, vt conuiuae rite se praeparare possent, deinde breui ante epulas ipsas, vt opportune adessent; id, vereor vt Veterum auctoritate confirmari possit. Nam κεκλημένοι sunt *conuiuae*, siue semel sint, siue bis inuitati, vti diserte est apud Lucam c. XIV. contra ea ὁ κεκληκώς, est *dominus conuiuii*, qui alios inuitandos curauit, eodem cap. v. 14. neque aliter apud Iosephum locis mox citandis. Caeterum differentia inter κλητὸς et κεκλημένος a SCHMIDIO ad h. l. tradita, WOLFIO autem ad Rom. I. 1. probata, est nulla, et ab vsu loquendi refellitur. Scilicet SCHMIDIVS scribit, et κλητὸν et κεκλημένον significare *vocatum*, sed hoc discrimine, quod κλητὸς denotet eum, qui *vocationi paruerit*, κεκλημένος autem, qui *eam neglexerit*, et hanc ipsam causam esse, quare Paullus ad Rom. I. 1. se non κεκλημένον, sed κλητὸν vocet, quia non solum vocatus, sed vocationi etiam obsequutus fuerit. Sed humanitus errat Vir ille doctissimus, eaque differentia, auctoritate Veterum, vanitatis conuincitur. Nam v. c. Luc. XIV. v. 7. κεκλημένοι non solum sunt, qui ad conuiuium fuerunt vocati, sed etiam, qui ei intersunt, vt ipsius loci consideratio docet. Eodem modo apud Iosephum Lib. VI. Antiquitatt. c. IV. §. 1. Σπεύδειν παρεκελεύσαντο, πρὶν αὐτὸν εἰς τὸ δεῖπνον κατακλιθῆναι· πολλὺς γὰρ ἑστιᾶν, καὶ προκατακλίνεσθαι ΤΩΝ ΚΕΚΛΗΜΕΝΩΝ, *iusserunt eum properare, antequam Samuelus mensis accumberet: accidit enim, vt multos conuiuio excipiat*, morisque est, *vt prius quam CETERI CONVIVAE discumbat:* et paullo post: ὁ δὲ προφήτης ἀγαγὼν αὐτὸν ἐπὶ τὴν ἑστίασιν, κατακλίνει, καὶ ἀκόλουθον, ἐπάνω ΤΩΝ ΚΕΚΛΗΜΕΝΩΝ, *at propheta ipsum ad conuiuium deducens, accumbere facit, eiusque famulum, supra alios INVITATOS s. CONVIVAS.* Lib. VII. Anti-

qui-

quit. c. XIV. §. 6. τȣ͂ δ᾽ Ἀδωνία θεασαμένȣ etc. ὅ, τε Ἀδωνίας καὶ οἱ ΚΕΚΛΗΜΕΝΟΙ πάντες ἔφευγον. Et eo sensu fere semper οἱ κεκλημένοι, *conuiuae*. In epistola autem ad Rom. I. 1. κλητὸς non id denotat, quod SCHMIDIVS vult, sed *constitutus ad Apostolatum*, vt alio loco docebimus.

v. 12. Ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμȣ) Cum inhumani et iniusti domini conuiuii videatur, hunc hominem, ex triuiis in conuiuium adductum, atque adeo sine sua culpa male vestitum, ex conuiuio hanc ob rem praecipitem dare; hanc difficultatem ita tolli posse putat B. WOLFIVS, si dixeris, eiusmodi vestes nuptiales ipsos conuiuii dominos exhibere conuiuis solitos fuisse, vt hic conuiua pretiosam aliquam vestem non tam suo sibi sumptu comparare, quam a conuiuii domino sponte oblatam accipere debuerit, quam cum induere voluerit, meritas huius suae contumaciae poenas eum dedisse, dicendum esse. Quodsi hic ritus veterum, vti vulgo iactatur, ita gravi aliqua monumentorum Veterum auctoritate confirmari posset; non dubitarem sane huic Virorum doctorum sententiae subscribere: nunc vero, cum haec omnia facilius dicantur quam probentur; ignoscent mihi illi Viri docti, si ipsis non prius accessero, quam, hunc ritum apud Veteres viguisse, cognoverim; quod, vereor vt unquam doceatur, cum iste ritus, qui fingitur, tam multum incommodi, ne dicam inepti, habeat, vt vix credi possit, tale quid in more apud Veteres positum fuisse. Et miror sane, Viros quosdam doctos scribere potuisse, hunc ritum aliquatenus ex Iudic. XIV. 12. probari posse, vbi Samson sociis, problema soluturis, *triginta vestes*, *et triginta tunicas* promittit. Nam eo quidem loco, ne vestigium quidem istius ritus animadvertitur. Audiamus Iosephum, qui eandem rem refert, Lib. V. Antiquitatt. c. VIII. §. 6. ὀθόνας τε καὶ στολὰς, γέρας τῆς συνέσεως, κατ᾽ ἄνδρα ἕκαστον φέρεσθε παρ᾽ ἐμȣ͂: *lintea et vestes*, *sapientiae praemium*, *singuli a me accipietis*. Nihil igitur in hac historia inveniunt praesidii, qui istum ritum

ex

ex ea stabilire conantur. Nam illae vestes ne exhibitae quidem sunt in ipso conuiuio, sed aliquo tempore post. Et quae fuerunt illae vestes, quas, diebus aliquot post, iis, qui aenigmatis difficultatem sustulerant, Samson dedit? nempe eae, quas Ascalonitis quibusdam, per viam obviam ei factis, detraxerat, vt ex locis citatis dilucide apparet. Hae sunt illae vestes nuptiales Samsonis! Sed quomodo, inquis, huius loci difficultas tollitur? Nempe ita, vt in parabolarum explicatione non omnia curiose scrutemur, et ad viuum resecemus, cum raro parabola per omnia ipsi rei comparatae conueniat. Egregie in hanc rem Eustathius ad Homer. Ιλιαδ. β'. v. 87. p. 176. Edit. Rom. vbi eleganter de parabolis disputat, inter caetera haec, quae ad rem praesentem apprime faciunt: ὀλιγάκις παραβολὴ ὅλη δι' ὅλυ ἐφαρμόττει τῷ πράγματι, *raro parabola tota per omnia rei comparatae conuenit:* Commode quoque huc transtuleris, quod B. WOLFIVS supra ad C. XX. v. 1. simili in re ex DIONYS. PETAVIO obseruauit: *in parabolae explicatione non omnia curiose esse scrutanda.*

Ὁ δὲ ἐφιμώθη) Non dubium mihi est, quin haec translata loquendi ratio petita sit ex more Veterum, quo noxii damnati, inter caetera ludibria, frenati capistratique trahebantur, adeoque prohibebantur, quo minus vllum verbum proferre possent: de quo more docte, vt omnia solet, exponit I. F. GRONOVIVS, ὁ πάνυ, Lib. II. Obseruatt. c. 22. p. 405. sq. Caeterum voce φιμῦσθαι eodem, quo Matthaeus, sensu vtitur Iosephus Lib. I. de B. I. Prooem. §. 5. de Graecis, πρὸς τὴν ἱςορίαν, ἔνθα χρὴ τἀληθῆ λέγειν, καὶ μετὰ πολλῦ πόνυ τὰ πράγματα συλλέγειν, ΠΕΦΙΜΩΝΤΑΙ, *ad historiam, in qua verum dicendum est, multoque cum labore res colligendae, MVTI sunt.* Et C. XXII. eiusdem Libri §. 3. διὰ ταῦτα Ἡρώδην τε ἀνείδιζεν ἡ Μαριάμνη, καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῦ, καὶ τὴν μητέρα δεινῶς ἐξύβριζε λοιδορίαις· ἀλλ' ὁ μὲν ΕΠΕΦΙΜΩΤΟ τοῖς ἱμέροις, *ob ista, probra iaciebat in Herodem Mariamne, sororemque eius et matrem atrocibus* con-

conuiciis proscindebat. *Sed ille quidem prae amore M V-TVS erat.*

v. 17. Ἔξεςι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, ἢ οὔ;) Quae B. WOLFIVS ad huius loci illustrationem ex aliis attulit, ea referre, et refellere nec iuuat, nec otium est. Breuibus meam de hac re sententiam, doctioribus diiudicandam, proponam. Scilicet κῆνσος h. l. nihil aliud mihi esse videtur, quam *tributum, prouinciis impositum:* ideoque diserte vocatur a Luca loco parallelo C. XX. v. 22. φόρος: hanc autem vocem ordinarie de tributo, a populis victis quo annis soluendo, usurpari, innumerabilia fere Veterum loca docent. Iosephus Lib. VII. Antiquitatt. C. V. §. I. de Palaestinis a Dauide deuictis, φόρους τε αὐτοῖς ἐπιτάξας κατ' ἔτος τελεῖν, *iniunxit iis tributum, quotannis soluendum:* eodem Cap. §. 3. πᾶσαν τὴν Συρίαν ὑπήκοον ἐποιήσατο - - καὶ φόρους αὐτοῖς τελεῖν ὁρίσας, *omnem Syriam suae potestati subiecit, tributumque persoluendum ei imperauit,* et paullo post, τὴν Ἰδουμαίαν ἅπασαν φρουραῖς διαλαβὼν ὁ βασιλεὺς, φόρους ὑπέρ τε τῆς χώρας, καὶ τῆς ἑκάστης κεφαλῆς παρ' αὐτῶν ἐδέχετο, *toti Idumaeae praesidiis impositis, rex cum pro regione, tum vnius cuiusuis capite tributum recipiebat;* vnde apud eundem Lib. XII. C. IV. §. I. φορολογεῖν *de horum tributorum exactione.* Porro ipsius temporis ratio docet, de tributo, a prouincialibus soluendo, hic sermonem esse. Tunc temporis enim Iudaea, quippe iam ab anno Vrbis Romae DCCLIX, Archelao in exilium eiecto, Romanis prouinciis adiecta, et Syriae inprimis prouinciae addita, parebat imperio et potestati Caesaris. Nam BARONIVS in illo Apparatu suo n. LXXXVII. grauissime errat, cum scribit: *nec, licet ea prouincia a Romanis Herodi, ac caeteris principibus concessa esset, desiit tamen aliquando tributum soluere. Nam ex Euangelio compertum est, eosdem Iudaeos, tempore Herodis Regis, Romano Imperatori censum persoluisse, Matth. XXII.* Sed in utraque re egregie fallitur. Nam tunc temporis et Herodes Rex mortuus erat, et Iudaea facta erat prouincia tributaria. Vid. PAGIVS in Apparatu

D Chro-

Chronol. ad BARONII Annales p. p. 31. Et sic capiendus locus Lucae XXIII. 2. vbi Iudaei calumniantur Christum, κωλύοντα Καίσαρι φόρυς διδόναι. De hoc tributo, Imperatori Rom. a Iudaeis soluendo, agit Iosephus Lib. II. de B. I. C. VIII. §. 1. vbi narrat, Galilaeum quendam, nomine Simonem, rebellionis fuisse accusatum, quod Iudaeos acriter reprehenderit, εἰ φόρον Ῥωμαίοις τελεῖν ὑπομένυσι, *si sustinerent Romanis tributum pendere*: et Cap. XVI. §. 4. eiusdem Lib. in oratione Agrippae, hoc tributum vocatur φόρος ἐνιάυσιος, *annuum;* et in eadem oratione Agrippa Iudaeos docet, eos sua sibi culpa Romanorum iram concitasse, quia imperatori Rom. tributum non soluerint, ὔτε γὰρ τῷ Καίσαρι δεδώκατε τὸν φόρον. *Non enim Caesari pependistis tributum.*

CAPVT XXIII.

v. 35. Ἕως τῦ αἵματος Ζαχαρίυ υἱῦ Βαραχίυ) Solliciti fuerunt doctissimi Viri in definiendo, quis hic Zacharias sit intelligendus: quae res diuortiis sententiarum occasionem praebuit. Mihi quidem, rem paullo accuratius consideranti, animus inclinat eo, vt putem, hic intelligendum esse Zachariam, Baruchi filium, paullo ante excidium Hierosolymitanum, a Zelotis in medio templo nefarie interfectum. In quam rem, operae pretium fuerit, Iosephi locum inspicere Lib. IV. de B. I. C. V. §. 4. Καὶ δή τινα τῶν ἐπιφανεςάτων ἀποκτεῖναι προθέμενοι, ΖΑΧΑΡΙΑΝ υἱὸν ΒΑΡΟΥΧΟΥ· Δύο δὲ τῶν τολμηροτάτων προσπεσόντες, ἐν μέσῳ τῷ ἱερῷ διαφθείρυσι τὸν Ζαχαρίαν. *Cum illustrium quendam, ZACHARIAM, BARVCHI FILIVM, interficere constituissent, duo ex audacissimis ZACHARIAM IN MEDIO TEMPLO adorti interficiunt.* De hoc igitur Zacharia, quam de alio quocunque, Matthaei locum intelligere malim, vt Christus nefandas Virorum proborum caedes, a Iudaeis commissas, summatim hic comprehensurus, ab Abele, omnium prima furoris

roris Iudaeorum hostia, incipiat, et in Zacharia, Baruchi filio, paullo ante Hierosolymorum excidium occiso, desinat. Sed huic interpretationi obstare illud aliquis dicat, quod Christus non de re futura, sed praeterita loquatur. Sed facile potest illi dubitationi occurri. Scilicet Christus, vt Propheta, praedixit hic caedem Viri sancti futuram, ipsiusque verba per anticipationem quandam Temporis intelligenda sunt, adeo vt *Aoristus* loco *Futuri* sumatur, et, ὃν ἐφονεύσατε reddendum sit, *quem occideritis*. Est autem hic Aoristi vsus non solum scriptoribus sacris, sed Iosepho etiam et Polybio vsitatus, vt a hunc dudum obseruauit CASAVBONVS p. 222. Edit. GRONOVII.

CAPVT XXIV.

v. 7. Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος etc.) Quae Christus Iudaeis hic praedixit, ea omnia, paullo ante Hierosolymorum excidium, accidisse, confirmat Iosephus. De seditionibus, B. I. Lib. IV. C. III. §. 2. ἐκινεῖτο ἐν ἑκάστῃ πόλει ταραχὴ καὶ πόλεμος ἐμφύλιος, etc. De fame et pestilentia, ibid. IV. C. VI §. 1. ἀναιρούμενος ὁ Νίγερ, τιμωροὺς Ῥωμαίους αὐτοῖς ἐπηράσατο, ΛΙΜΟΝ τε καὶ ΛΟΙΜΟΝ ἐπὶ τῷ πολέμῳ etc. De σεισμοῖς γῆς porro, ibid. c. IV. §. 5. et de ψευδοπροφήταις denique Antiq. XX. C. VIII. §. 5.

v. 13. Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται) Vulgo haec ita redduntur: *qui ad finem vitae perseuerat, is saluabitur*. Neque ego is sum, qui neget, extra contextum ita capi posse; sed, si totius orationis συνάφειαν spectes, vereor, vt ita intelligi possint. Mihi quidem dubium non est, quin τέλος h. l. de *fine Reipublicae Iudaicae, et destructione Hierosolymorum* capiendum sit; quo sensu haec vox in hoc ipso capite v. 6. et 14. occurrit. Malim itaque interpretari: *Qui ad excidium vsque Hierosolymorum, atque adeo ad finem Reipublicae Iudaicae, in fide, sanctitateque vitae permanserit, is seruabitur, s. singulari Dei prouiden-*

uidentia incolumis saluasque euadet: quam Christi praedictionem euentum suum habuisse, docet historia de Pella, vrbe Decapoleos, et locis montanis, quo homines pii, in ipso illo funestissimo bello Hierosolymitano, se contulerunt, stragemque communem euitarunt, auctore Eusebio H. E. Lib. III. C. V. Idem confirmat egregius Iosephi locus de B. I. Lib. VI. Cap. II. §. 2. vbi tradit, quam plurimos Iudaeorum nobiles, communium scelerum, flagitiorumque contagione non tactos, sed sceleratorum moribus detestandis infensos, ad Romanos clanculum transfugisse, et singulari Dei cura a Vespasiano e communi clade fuisse ereptos. Huic interpretationi stabiliendae accedit illud, quod haec ipsa verba a Christo supra C. X. v. 22. afferuntur, vbi tota oratio docet, τὸ τέλος de fine Reipublicte Iudaicae esse sumendum.

v. 12. Καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν, ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν) Egregie haec Christi verba et illustrant, et confirmant ea, quae tempore belli Iudaici inter ipsos Iudaeos acciderunt: de quo Iosephus de B. I. Lib. IV. C. VI. §. 3. Ὀυδὲν οὕτως ἀπωλώλει χρηστὸν πάθος ἐν ταῖς τότε συμφοραῖς, ὡς ΕΛΕΟΣ· ἃ γὰρ ἐχρῆν οἰκτείρειν, ταῦτα παρώξυνε τοὺς ἀλιτηρίους. *Nulla boni animi affectio adeo extincta erat in istis calamitatibus, ac misericordia: quae enim maxime miseranda erant, illa ipsa nefarios istos homines ad crudelitatem excitabant.* Sed legendus est totus ille locus.

v. 15. Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου) Mihi non dubium est, quin horum verborum facillimus certissimusque sensus sit hic, vt βδέλυγμα ἐρημώσεως sit *abominatio desolans*, quod verbis Danielis C. XII. v. II. שִׁקּוּץ שֹׁמֵם optime respondet. Illa autem *abominatio* est exercitus Romanus, vt ex loco parallelo Lucae C. XXI. v. 20. intelligitur, qui Iudaeis abominandus et detestandus videbatur ob superstitiosum Deorum cultum: quare autem ille exercitus Romanus dicatur *desolatio*, *s. desolator*, eius rei ratio

tio per ſe patet, quippe qui venit ad deſolanda et deſtruenda cum Hieroſolyma, tum templum. Sic apud Ioſephum Lib. XII. Antiquitatt. C. VII. §. 6. direptio et profanatio templi Hieroſolymitani, ab Antiocho Epiphane facta, *ἐρήμωσις* vocatur. Haec ſimpliciſſima, eaque certiſſima huius loci interpretatio mihi videtur. B. WOLFIVS, qui ad Marc. I. 4. ſcribit, *βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως* dictum eſſe pro *βδέλυγμα καὶ ἐρήμωσιν. abominationem et deſolationem*, hic non audiendus videtur. Sed age, Ioſephum excitabimus, vt teſtimonio ſuo interpretationi noſtrae vim auctoritatemque addat. Nam is diſertis verbis docet, hoc Danielis vaticinium de Romanis Hieroſolyma deuaſtantibus, exponendum eſſe, Lib. X. Antiquitatt. C. XI. §. 7. *Δανιῆλος καὶ περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἐρημωθήσεται, Danielus etiam de Romanorum imperio ſcripſit, illosque magnam vaſtitatem genti noſtrae illaturos eſſe.* Quamquam negari nequit, hanc quoque traditionem, per manus quaſi propagatam, viguiſſe inter Iudaeos, quae hoc Danielis vaticinium de Zelotis, Dei templum, horrendum in modum, polluentibus et profanantibus, exponendum eſſe, affirmaret: in quam rem videndus Ioſephi locus de B. I. Lib. IV. Cap. VI. §. 3. Sed prior illa interpretatio vnice vera mihi videtur huius Matthaei loci, eaque omnium facillima; vt mirer, Viros doctos de alia, neſcio qua, re cogitaſſe, et in opiniones, hiſtoriae repugnantes, incidiſſe. Sic v. c. qui hanc *abominationem* de ſtatua Caligulae, in templo collocata, accipiunt, non cogitant, ſe afferre aliquid, quod ab ipſa hiſtoria refellatur. Nam ſtatua Caligulae debebat illa quidem, ex imperio ipſius, in templo Hieroſolymitano poni; ſed cum conſtantia Iudaeorum id recuſantium, tum Petronii, Praeſidis, fauore erga Iudaeos, tum denique deprecatione Agrippae, illud Caligulae conſilium irritum factum eſt, vt iſta Caligulae ſtatua ne collocata quidem vnquam in templo fuerit, vt diſerte tradit Ioſepus Lib. XIIX. Antiquitatt. C. VIII. §. 8. et Philo *de Legat.* ad Cai. p. 1038.

In caeteris ſententiis, a B. WOLFIO ad h. l. allatis, refellendis operam collocare nolo, ne quis putet, me ex aliorum erroribus caſtigandis gloriolam aliquam velle aucupari.

v. 24. et 26. Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα -- Ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν· Ἰδοὺ, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστὶ, μὴ ἐξέλθητε) Omnia haec tunc temporis, quo excidium Hieroſolymorum imminebat, accidiſſe iti, uti Chriſtus praedixerat, hiſtoria dilucide docet. Ioſephus Lib. XX. Antiquitatt. c. VIII. §. 6 Οἱ γόητες καὶ ἀπατεῶνες ἄνθρωποι τὸν ὄχλον ἔπειθον αὐτοῖς εἰς ΤΗΝ ΕΡΗΜΙΑΝ ΕΠΕΣΘΑΙ, δείξειν γὰρ ἔφασαν ΕΝΑΡΓΗ ΤΕΡΑΤΑ καὶ ΣΗΜΕΙΑ, κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν γενόμενα etc. *Impoſtores et fallaciis pleni homines ſuadebant multitudini, vt ipſos in DESERTVM SEQVERENTVR: Se enim ipſis oſtenſuros eſſe dicebant MANIFESTA PRODIGIA et SIGNA, quae Dei cura et providentia evenirent* etc. et de B. I. Lib. II. c. XIII. §. 4. Συνέστη στῖφος ἕτερον πονηρῶν, χειρὶ μὲν καθαρώτερον, ταῖς γνώμαις δὲ ἀσεβέστερον, ὅπερ οὐδὲν ἧττον τῶν σφαγέων τὴν εὐδαιμονίαν τῆς πόλεως ἐλυμήνατο. ΠΛΑΝΟΙ γὰρ ἄνθρωποι καὶ ΑΠΑΤΕΩΝΕΣ, προσχήματι θειασμοῦ, νεωτερισμοὺς καὶ μεταβολὰς πραγματευόμενοι, δαιμονᾷν τὸ πλῆθος ἀνέπειθον, καὶ προῆγον εἰς ΤΗΝ ΕΡΗΜΙΑΝ, ὡς ἐκεῖ τοῦ Θεοῦ δείξοντος αὐτοῖς σημεῖα ἐλευθερίας. *Conflata eſt alia nefariorum turma, quibus manus erant a caede puriores, ſed ſceleratiora conſilia, quique non minus quam ſicarii ciuitatis felicitatem perditum ibant. Nam homines SEDVCTORES et FALLACIIS PLENI, ſpecie divini afflatus, nouis rebus et mutationibus ſtudentes, vulgo, ut inſanirent, perſuadebant, et prolicicbant IN SOLITVDINEM, ac ſi illic Deus oſtenſurus eſſet eis ſigna libertatis.* Cf. §. 5. huius cap.

v. 20. Προσεύχεσθε δὲ ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος, μηδὲ ἐν σαββάτῳ) Accedo ad B. WOLFII, aliorumque ſententiam, qui σάββατον de Iudaico Sabbato

to

to accipiunt, in quo, Iudaei dubitabant, an fas esset fugam capessere, et, si in fuga ab hoste oppressi essent, cum eo pugnare. Multi enim religionem Sabbati sancte obseruantes, ab omni omnino opere cessandum, ac ne hosti quidem iugulanti resistendum esse censebant. In quam rem egregius est Iosephi locus, Lib. XII. Antiquitatt. c. VI. §. 2. vbi Antiochi duces narrantur, hostili manu inuasisse Iudaeos, duce Mattathia, in solitudinem dispersos, pugnamque, ob Sabbati religionem, detrectantes. Huius Mattathiae consilium postea secutus videtur Ionathas, qui Bacchidem, Sabbati occasionem insidiose captantem, armata manu aggressus, repulit et fugauit, auctore Iosepho, Lib. XIII. Antiquitatt. c. I. §. 3. Ex hoc igitur Mattathiae praecepto de obseruatione Sabbati, Iudaei non semper cessandum sibi die Sabbati, sed pro vitae periculo repellendo pugnandum esse putabant. Ita diserte Iosephus de B. I. Lib. I. cap. VII. §. 3. *ὑπὲρ μόνου τοῦ σώματος ἀμύνονται καὶ τοῖς σάββασιν*, h. e. *in solo vitae periculo vim repellere, etiam diebus Sabbati licet.* Antequam enim legis huius de religione Sabbati, obseruatio apud Iudaeos obtinuerat, non dubitarant diebus Sabbati millies prius mortis periculo se obiicere, quam hosti, vitam iis erepturo, vi resistere. Ista igitur legis interpretatio, a Mattathia auctore profecta, eam vim habebat, vt non nisi in praesentissimo vitae periculo vim vi repellere liceret. Quodsi autem hostis arietem, aut alias quascunque bellicas machinas admoueret, fossam duceret, cuniculos ageret, aut simile quid moliretur, Iudaeis cessandum, nec ullo modo ei resistendum erat. Diserte in hanc rem Iosephus Lib. XIV. Antiquitatt. c. IV. §. 2. de machinis bellicis, a Pompeio templo Hierosolymitano expugnando admotis, *εἰ μὴ πάτριον ἦν ἡμῖν ἀργεῖν τὰς ἑβδομάδας ἡμέρας, οὐκ ἂν ἠνύσθη τὸ χῶμα, κωλυόντων ἐκείνων· ἄρχοντας γὰρ μάχης καὶ τύπτοντας ἀμύνασθαι δίδωσιν ὁ νόμος, ἄλλο δέ τι δρῶντας τοὺς πολεμίους οὐκ ἐᾷ*: *nisi nobis patrium fuisset septimo quoque die cessare, non perfectus esset agger,* illis

illis prohibentibus. Praelio enim lacessentes et ferientes hostes repellere permittit lex, sed aliud quidpiam agentes impedire non patitur. Suadet igitur Christus, orandum, ne fuga incidat in Sabbato, quo non eadem salutis expediendae ratio daretur, ac diebus aliis. Accedit et illud, quod diebus Sabbati, et aliquo Festo, Iudaeis non licebat iter suscipere. Ita Iosephus Lib. XIII. Antiquitatt. c. VIII. §. 4. Οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἐν τοῖς Σάββασιν οὔτε ἐν τῇ ἑορτῇ ὁδεύειν, *Nobis non licet aut Sabbatis aut festo quodam patrio iter suscipere:* quod quidem etsi non ita capiendum est, ac si omnis omnino itineris potestas ipsis fuerit adempta, cum in ipsis Actis Apostol. c. I. v. 12. τῆς ὁδοῦ σαββάτου mentio fiat; illud tamen satis constat, illud *Sabbati iter* perquam angustis interuallorum spatiis fuisse definitum; quod cum fugae capessendae minime sit aptum, salutique suae per eam consulendo accommodatum; monet Christus, vt precentur, ne fugae adornandae necessitas imponatur Sabbato, quia vix, ac ne vix quidem, fieri possit, vt manus violentas Romanorum persequentium effugerent.

v. 22. Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ) Sensum horum verborum hunc esse puto: *Nisi Deus, singulari quadam benignitate, ei calamitati, quae Hierosolymam pressura erat, paullo citius finem imponeret, vrbisque expugnationem accelararet, futurum esse, vt, propter intestinas seditiones, mutuasque caedes, nullus mortis periculum euadat, sed aut vi hostium, aut mutuis caedibus pereat.* Haec omnia egregie illustrat et confirmat illius temporis historia, tradita a Iosepho in praestantissimo de B. I. opere. Tunc temporis Iudaei, ipsa vrbis oppugnatione, non solum a Romanis, hostibus externis, passim caedebantur, sed multo magis ab intestinis, rabiosorum canum instar, in suos ciues furentibus, Zelotis, Sicariis, Simonis et Iohannis impiis satellitibus, tam misere crudeliterque, pecudum instar, trucidabantur, ut, nisi singularis Dei prouidentia vrbis Hierosolymorum expugnationem accelerasset, vix vnus et item alter

alter violentas manus euafurus fuiffet. Caeterum ἡμέρα apud Scriptores cum Sacros, tum profanos eleganter dicitur pro *ipfa re, quae die aliquo accidit*, et h. l. pro *calamitate*: de quo loquendi more, alio et tempore et loco commodius. Vide interim GRONOVIVM Parentem in Obferuatt. Lib. I. c. 2. et ad Senec. de Ira, Lib. III. c. 36. et CASAVBONVM ad Sueton. Auguft. c. 23.

CAPVT XXVI.

v. 31. Πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης) Elegantiffima haec eft locutio, qua indicatur, populum aliquem, duce defenforeque fuo orbatum, metu hoftium hinc inde difpergi. Simillimus huic eft locus Iofephi, Lib. VIII. Antiquitatt. c. XV. §. 4. vbi Michaeas, diuina auctoritate commotus, Achabo infeliciffimum euentum expeditionis bellicae, contra Syros fufcipiendae, his verbis praedicit: δεῖξαι τὸν Θεὸν αὐτῷ τοὺς Ἰσραηλίτας φεύγοντας, καὶ διωκομένους ὑπὸ τῶν Σύρων, καὶ διασκορπιζομένους ὑπ᾽ αὐτῶν εἰς τὰ ὄρη, καθάπερ ποιμένων ἀνῃρημένων τὰ ποίμνια: *Sibi Deum oftendiffe Ifraëlitas fugientes, Syris eos infequentibus, difperfosque per montes, quafi greges, fublatis paftoribus.*

v. 35. Κἂν δέῃ με σὺν σοὶ ἀποθανεῖν) Haec loquendi formula, apud profanos quoque Scriptores obuia, fere παροιμιακῶς fumitur, et tum adhiberi folet, *vbi aliquis, quamuis homo, atque adeo naturae infirmae, tamen fuftinet, nefcio quid magnificum, iactare, et, quodcumque demum fit, fe praeftiturum promittit.* Sic apud Iofephum Lib. VI. Antiquitatt. c. VI. §. 2. vbi armiger Ionathae, audaci confilio in Palaeftinorum praefidium irrupturi, ita Dominum fuum alloquitur: ἐφέπεσθαι ὅποι ποτ᾽ ἂν ἡγῆται, ΚΑ'Ν ΑΠΟΘΑΝΕΙΝ ΔΕΟΙ, *fe illum, quocunque duxerit, fecuturum effe, etiamfi mortis periculum effet aditurus.* Lib. XI. Antiquitatt. c. VI. §. 7. vbi Efther, Iudaeorum caufam apud Regem actura, ita: προσελεύσεσθαι τῷ Βα-

βασιλεῖ παρὰ τὸν νόμον ὑπισχνεῖτο, ΚΑΙ'Ν ΑΠΟΘΑΝΕΙΝ ΔΕΗι, *τοῦτο ὑπομένειν*, *se Regem etiam contra legem adituram esse pollicebatur*, *et*, *si perire necesse habeat*, *hoc ipsum non recusare:* et Lib. XVIII. Antiquitatt. c.VI. §. 8. de militibus Germanici, *τοῖς τε ἄλλοις καὶ μάλιστα τὸ στρατιωτικὸν ἦρτο, αἱρετὸν ἀριθμοῦντες τὸ περὶ τῆς ἀρχῆς ἐκείνῳ περιγενησομένης, εἰ δεήσει καὶ τελευτᾶν*, *interque alios maxime etiam milites adeo deuincti tenebantur, vt in lucro deputarent, si necesse esset, ut mortem oppeterent, modo ei imperium possent asserere.* Cf. Ariſtophanem in Plut. v. 216. Lyſiſtrat. v. 123. et IENSIVM in Lect. Lucian. p. 59.

v. 38. Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου) Facio cum BEZA, qui περίλυπος reddi vult *valde tristis.* Eſt enim ſaepe, vbi περὶ in Compoſitione ſignificationem adauget. Ioſephus Lib. I. Antiquitatt. c. XIX. §. 2. Περιχαρὴς γενόμενος, *laetitia gestiens*, c. XX. §. 1. περιχαρὴς γίνεται, et paullo poſt, ἦν περίφοβος, *ingenti timore percussus erat*, et Lib. II. Antiquitatt. c. II. § 4. περιδεὴς ὤν, eodem ſenſu: apud Diod. Sicul. Lib. I. p. 65. περιώδυνος. Sed haec ὅσα κόνις.

v. 45. Καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε) Siue interrogatiue, ſive aliter haec verba ſumas, manum non verterim, cum idem ſenſus ſit. Si accipias ſine interrogatione, τὸ λοιπὸν reddendum eſt *interim*, et συγχωρήσει ironica verba exponenda ſunt hoc ſenſu: *Dormite interim et quiescite !* Schlaffet ihr immer unterdessen und ruhet! Sic τὸ λοιπὸν occurrit ſaepe apud Ioſephum, v. c. Lib. XVIII. Antiquitatt. c. VIII. §. 3. τοῦ γεωργεῖν ἀπερίοπτοι ΤΟ' ΛΟΙΠΟΝ ἦσαν, *interim a terra colenda abstinebant:* Sin autem cum interrogatione legas, τὸ λοιπὸν exponendum eſt per *iam*, hoc ſenſu: *Num iam* (cum omnium minime opportunum dormiendi tempus eſt) *dormitis et quiescitis?* Ea notione apud eundem eſt Lib. XI. Antiquitatt. c. VI. §. 12. itaque in eodem cap. §. 11. τὸ λοιπὸν et ἤδη coniunguntur ἐκ παραλλήλου.

v. 63.

v. 63. Ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ ζῶντος) Ἐξορκίζειν τινα apud auctores Graecos nihil aliud est, quam *iureiurando aliquem adigere, iusiurandum ab aliquo exigere.* Ne aliis nunc testimonium denunciemus, vnus Iosephus testis prodeat. Is igitur Lib. II. Antiquitatt. c. VIII. §. οὕτως αὐτοὺς ὁ Ἰώσηπος ΕΞΩΡΚΙΣΕ, *ad hoc Iosephus ipsos iureiurando adstrinxerat.* Et Lib. XI. Antiquitatt. c. V. §. 4. ἔπειθε δ' αὐτὸν ΕΞΟΡΚΙΣΑΙ πάντας, *suasit ei, ut omnes iureiurando adigeret*, vbi mox τὸ ἐξορκίζειν per ἐποίησεν ὀμόσαι redditur: neque aliter Lib XVIII. Antiquitatt. c. V. §. 3. simplex ὁρκίζειν. Cf. eundem de vita sua T. II. p. 24. §. 49. Eodem sensu *adiuro* apud Livium est Lib. XLIII. c. 16. Qua notione si hanc loquendi formulam sumas h. l. sensus erit: *Iusiurandum, inuocato nomine Dei concipiendum, a te exigo, ut dicas nobis* etc. Sed haud scio, an praestet. Matthaei verba cum BEZA ita interpretari; *Interposito iureiurando, et Dei auctoritate, praecipio, vt intelligas, te coram Deo consistere, et velut a Deo ipso interrogari:* qui huius loquendi formulae significatus, etsi nescio, an apud profanos auctores occurrat, apud LXX. Seniores tamen saepe inuenitur. Sic Ebraicum הֵעִיד Genes. L. v. 16. per ὁρκίζειν reddiderunt. Inprimis huc facit locus 1. Regg. XXII. 16. עַד־כַּמֶּה פְעָמִים אֲנִי מַשְׁבִּיעֶךָ *quoties adiuro te*, h. e. interprete COCCEIO in Lex. Hebr. voce נִשְׁבַּע, *quoties te rogabo, vt verum dicas, commemorato nomine et lege Dei.* Hac notione sumenda illa Paulli, 1. Thess. V. 27. ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Κύριον, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν, *adhortor vos Dei nomine et auctoritate interposita.* Caeterum in his Matthaei verbis illud paullo insolentius videtur, quod dicitur ὁρκίζω σε ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, cum ὁρκίζειν τινὰ vsitate coniungatur cum Accusativo rei aut Personae, per quam aut ipsi iuramus, aut alios iurare iubemus, vt Marc. V. 7. ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν, et 1. Thessal. V. 27. Neque scio, an Graeci ὀμνύειν κατά τινος, et ὁρκίζειν τινά κατά τινος eo sensu dicant. Apud LXX. Seniores autem haec loquendi ratio est frequentissima,

v. c.

v. c. Paralip. XXXVI. 13. ὥρκισεν αὐτὸν κατὰ τȣ̃ Θεȣ̃. I. Regg. III. 24. Οὐχὶ ὥρκισά σε κατὰ τȣ̃ κυρίȣ; Apud Philonem tamen Lib. II. ALLEGOR. p. 99. eſt, ὀμνύναι κατὰ Θεȣ̃, *per Deum iurare*.

v. 65. Τότε ὁ ἀρχιερεὺς διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτȣ̃) Non vna cauſa erat apud veteres veſtium ſcindendarum. Omnium frequentiſſima fere erat grauis luctus. Sic apud Ioſephum Lib. II. Antiquitatt. c. VI. §. 7. de luctu fratrum Ioſephi, ob repertum in ſarcina Beniaminis poculum concepto, εἰς οἰμωγὰς καὶ θρήνȣς εὐθὺς ἐτράπησαν, καὶ τὰς ςολὰς ΕΠΙΚΑΤΑΡΡΗΞΑΝΤΕΣ, ἔκλαιον etc. *Confeſtim ad lamenta et ploratus verſi ſunt, et DILACERATIS VESTIBVS fratrem deflebant*, Lib. VI. Antiquitatt. c. XIV. §. 6. idem facit Dauid, vbi Sicellam vaſtatam, omnia ibi direpta, duasque vxores ſuas captiuas abductas, cognouerat: neque aliter eſt Lib. VII. Antiquitatt. c. I. §. 1. In hoc autem Matthaei loco non luctus, ſed ira et indignatio cauſa fuit, quare Summus Pontifex veſtes dilaceraret: cuius rei exemplum apud eundem Ioſephum eſt Lib. IX. Ant. c. VII. §. 3. de Gotholia, cum cognoverat, Ioaſum ope Iodai, Summi Pontificis, Iudaeae regem eſſe conſtitutum, ἰδȣ̃σα Γοθολία τὸν παῖδα ἐπὶ τῆς ςήλης ἑςῶτα, καὶ τὸν βασιλικὸν περικείμενον ςέφανον, ΠΕΡΙΡΡΗΞΑΜΕΝΗ, καὶ δεινὸν ἀνακράζȣσα, φονεύειν ἐκέλευσε etc. *Gotholia, conſpicata puerum in ſuggeſtu ſtantem, regiaque corona redimitum, DISCISSA VESTE, magnoque clamore ſublato, iuſſit eum occidi*, etc. Iſta autem veſtium ſciſſio Pontificis M. de qua Matthaeus, ita intelligenda videtur, vt eam veſtimentorum partem, qua pectus tegitur, lacerarit, nudumque adeo pectus oſtenderit: cuius rei exemplum eſt apud Ioſephum Lib. II. de B. I. cap. XV. §. 4. τȣ̀ς ἀρχιερεῖς αὐτȣ̀ς ἦν ἰδεῖν καταμωμένȣς μὲν τῆς κεφαλῆς κόνιν, ΓΥΜΝΟΥΣ δὲ ΤΑ ΣΤΕΡΝΑ, ΤΩΝ ΕΣΘΗΤΩΝ ΠΕΡΙΕΡΡΗΓΜΕΝΩΝ, *videre erat ipſos Pontifices cum cineribus capiti inſperſis, PECTORE vero NVDO, VESTIBVS DILACERATIS.*

CAPVT

CAPVT XXVII.

V. 2. Παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι) Cum huius vocis significatus maxime varius sit, et potestatem nunc ampliorem, nunc augustiorem denotet: non operam, opinor, lusisse videbor, si, in tironum gratiam, paullo accuratius de ea hic disputauero; praesertim cum ex ea disputatiuncula illi quaestioni disceptandae facilius satisfacere possimus, an, et quo iure Pilatus Seruatorem nostrum optimum morti addicere potuerit? Scilicet voces ἡγεμὼν, ἡγεμονία, ἡγεμονέυειν de omni, inprimis autem paullo maiori, potestate adhibentur. Sic ipsi Imperatores Romani interdum dicuntur ἡγεμόνες, apud Iosephum Lib. XVIII. Ant. C. VI. §. 9. et ibidem ἡγεμονία de eorundem imperio, aeque ac apud Lucam C. III. 1. ἡγεμονία de Tiberii principatu et imperio vsurpatur; adeo vt IO. BAPTIST. OTTIVM memoria destituisse videatur, cum in *Spicilegio* ex Iosepho p. 152. scribit, se ἡγεμόνα pro *supremo Domino* apud Iosephum non legisse. Porro Legati Caesaris, qui nomine et auctoritate Caesarum in prouincias illorum mittebantur, saepe dicuntur ἡγεμόνες, eorumque præsidatus et imperium ἡγεμονία. Vid. v. c. Joseph. Lib. XVIII. Ant. C. IV. §. 2. Duplicis autem inprimis generis ii erant, qui mittebantur in Caesarum prouincias, quorum illi, *Legati Caesaris s. Propraetores* dicebantur, qui toti prouinciae regendae praeficiebantur, Graecis appellati ἡγεμόνες, vt auctor est Strabo Lib. XVII. p. 840. Edit. ALMELOVEENII: hi autem, *Procuratores*, qui reditibus Caesaris, in ipsorum prouinciis, exigendis et colligendis operam dabant, militibus stipendia distribuebant, et reliqua in Principis rationes referebant, dicti διοικηταὶ, et ἐπίτροποι. Vid. Illustr. SPANHEMIVS de Vsu et Praest. Numismatt. T. II. p. 597. Quid? quod ipsi *Procuratores Caesaris* interdum ἡγεμόνες dicuntur, vt Felix Actor. XXIII. 24. et apud Iosephum Lib. XVI. Antiquitatt. C. X. §. 8. Saturninus et Volumnius τῆς Συρίας ἡγεμό-

γεμόνες vocantur, cum Volumnius tantum Procurator esset, vti diserte ab eodem B. I. Lib. I. Cap. XXVII. §. 2. ἐπίτροπος dicitur. Neque vero Matthaeus solum Pilatum, etsi Procuratorem tantum Iudaeae, ἡγεμόνα dixit, sed et alii. Sic diserte apud Iosephum Lib. XVIII. Ant. C. III. §. 1. Πιλάτος δὲ, ὁ τῆς Ἰουδαίας ἡγεμών. Cf. PERIZONIVS in Dissertatt. de Orbis Rom. descriptione Augustea §. 19. Cum igitur Matthaeus Pilatum vocet ἡγεμόνα, eius vocis significatus autem maxime varius et diuersus sit; ex voce ipsa non possemus intelligere, quod munus Pilati, quae potestas fuerit, nisi, vti in multis aliis, ita et in hac re lucem affunderet, omnemque dubitationem tolleret historia. Ea enim Magistra edocti, scimus, Pilatum fuisse *Procuratorem*. Ita enim diserte Tacitus Lib. XV. Ann. C. 54. *Christus, Tiberio imperante, per Pontium Pilatum, PROCVRATOREM, supplicio affectus est:* cuius auctoritate freti, ἡγεμόνα in hoc Matthaei loco sine vllo errandi periculo *procuratorem* interpretari possumus. Quid? quod Iosephus, a quo paullo ante dicebamus Pilatum vocari ἡγεμόνα, voce paullo latius sumpta, alio loco eundem proprio et solemni vocabulo ἐπίτροπον dicit? Ita enim de B. I. Lib. II. C. IX. §. 2. Πεμφθεὶς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ὑπὸ Τιβερίου Πιλάτος, *Pilatus autem a Tiberio in Iudaeam PROCVRATOR missus.* Hoc autem Procuratorum genus, quo hic vtimur, originem suam debet illi instituto Augusti, quo prouincias Imperii Rom. cum populo partitus est, sibique amplissimam quamque addixit: Vid. Dio Cassius Lib. III. p. 503 sq. et SALMASIVS ad Spartiani Adrian. C. XXII. Cum enim ipsarum quoque prouinciarum Caesaris non eadem dignitas esset, sed alia praestantior alia: in prouincias maiores mittebantur Praesides, dicti *Legati Caesaris* aut *Propraetores:* in alias autem, vbi minus fere negotii curandum expediendumque erat, *Procuratores.* Et primis quidem temporibus hi Procuratores in prouincias Caesaris mittebantur sine potestate, h. e. sine iuris dicundi facultate, nisi in rebus, quae

ad

ad fiscum Caesaris spectarent, et eo tantum consilio fere mittebantur, vt reditus et tributa Caesaris exigerent, militibus stipendia soluerent, et omnia, quae Fiscum Caesaris attingerent, curiose fideliterque administrarent. Dignus est, qui in hac rem legatur, Dio Cassius Lib. LII. p. 480. et inprimis Lib. LIII. p. 509. Proprium igitur munus horum *Procuratorum* erat, reditus Caesaris colligere, eiusque Fiscum curare, minime autem, iurisdictionem exercere, et si quis iuris dicundi potestatem sibi arrogauerat, istius licentiae poenas dabat. Cuius rei exemplum insigne edidit Tiberius Imperator in Capitone, de quo Dio Cassius Lib. LVII. p. 618. et Tacitus Lib. IV. Ann. c. 15. His finibus *Procuratorum* munus et potestas inclusa ab Augusti inde temporibus mansit vsque ad imperium Claudii, qui, maxima hominum indignatione, *Procuratoribus* id iuris concessit, vt in prouinciis de aliis quoque rebus, praeter quam iis, quae ad fiscum spectarent, iurisdictionem exercerent. Insignis est in hanc rem locus Taciti Lib. XII. Annal. c. 60. vbi videndus THEOD. RYCKIVS. Cum igitur supra, auctore Tacito, dixerimus, Pilatum fuisse Procuratorem Iudaeae, qui nullam, nisi in rebus, ad Caesaris Fiscum pertinentibus, iurisdictionem, Tiberii temporibus, habuerit; non inepte quis quaerat, quomodo Pilatus, Procurator Caesaris Tiberii, grauiter aliquando procuratorem quendam, iurisdicundi munus insolenter sibi arrogantem, punientis, iurisdictionem in re capitali exercere, Christumque adeo, auctoritate sua, morti addicere potuerit? Cui dubitationi tollendae ita occurrendum est. Scilicet Procuratores Caesaris interdum in prouincias missi sunt, vt non solum Caesaris reditus curarent, et exigerent, sed iurisdictionem etiam in causis capitis exercerent. De huius generis Procuratoribus, et Pilato inprimis, docte, vt solent, disputant BYNKERSHOECK in Obseruatt. Iur. Rom. Lib. II. c. 21. et S. R. DEYLINGIVS Obseruatt. Sacr. P. I. Obseru. XXXIV. Coponium certe, omnium primum Iudaeae procuratorem, satis constat, in prouinciam cum hac potestate

ſtate fuiſſe miſſum, vt auctor eſt Ioſephus Lib. XVIII. Antiquitatt. C. I. §. 1. Κωπώνιός τε αὐτῷ συγκαταπέμπεται, τάγματος τῶν ἱππέων, ἡγησόμενος Ἰουδαίων ΤΗι ΕΠΙ ΠΑΣΙΝ ΕΞΟΥΣΙΑι, *Mittitur etiam cum eo* (Quirinio) *Coponius, vir ordinis equeſtris, QVI SVMMA CVM POTESTATE IVDAEIS PRAEESSET.* Et dilucidius de B. I. Lib. II. Cap. VII. §. 1. Τῆς δὲ Ἀρχελάου χώρας εἰς ἐπαρχίαν περιγραφείσης, ἐπίτροπός τις, ἱππικῆς παρὰ Ῥωμαίοις τάξεως, Κωπώνιος πέμπεται, μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν, *Archelai autem regione in prouinciam redacta, procurator quidam, ordinis apud Romanos equeſtris, Coponius, mittitur, VITAE NECISQVE POTESTATE A CAESARE ACCEPTA.* Neque dubium eſt, quin, quae poteſtas ſumma primo Iudaeae Procuratori, Coponio, conceſſa fuerit, ea ſucceſſoribus quoque illaeſa, nec imminuta remanſerit. Pilatum certe, auctore Ioſepho edocti, ſcimus, non ſolum iurisdictionem rerum, ad Fiſcum Caeſaris pertinentium, ſed aliarum quoque rerum poteſtatem habuiſſe, v. c. exercitus educendi, atque adeo belli gerendi, Lib. XVIII. Antiquitatt. C. III. §. 1. cf. de B. I. Lib. II. C. IX. §. 2. ita tamen, vt Vitellii, Praeſidis tunc temporis Syriae, poteſtati ſubiectus fuiſſe videatur; vid. Ioſephus Lib. XVIII. Antiq. C. IV. §. 2. Cum igitur prope verum ſit, vti Coponium, ita et caeteros Iudaeae Procuratores, *ius vitae et necis* habuiſſe, ad intelligendum perquam facile eſt, qua auctoritate Pilatus in iudicio capitis de Saluatore noſtro Optimo cognoſcere et ſtatuere potuerit. Ex hac autem diſputatiuncula lux quaedam affundi poteſt loco Lucae C. XXIII. v. 1. vbi Chriſtus duplicis criminis apud Pilatum poſtulatus dicitur; quorum alterum hoc erat, quod populum Iudaicum ad rebellionem concitaret; alterum, quod auctor ſuaſorque ei eſſet, ne tributum Caeſari penderet. Quo loco Viri docti quaerunt, quare duplicis huius criminis apud Pilatum inprimis Chriſtus fuerit accuſatus? Quae huc vſque de duplici officio Procuratorum Caeſaris diximus, ſatis dilucide, opinor, docent,

docent, vtriusque rei cognitionem ad Pilatum pertinuisse. Nam, cum a Tiberio in prouinciam missus esset cum potestate praesidiali, sustinebat id muneris, vt, quantum fieri posset, securitati quietique prouinciae prospiceret, seditionemque gliscentem oppressam extingueret: cum autem idem id curandum haberet, vt reditus Caesaris in Fiscum ipsius redigerentur, ratio in promtu est, quare Iudaei Christum apud Pilatum inprimis eo nomine accusarint, quasi populum et ab obsequio, Caesari praestando, et a tributo, eidem pendendo, auocare studuerit. Quae hic diximus, ea quondam copiosius disputabamus in Libello *de Vsu et Praestant. Rom. Historiae in Interpretatione N. T. p. 51. sqq.* quem, si tanti videbitur, confer. Caeterum vox *παρέδωκαν* accurate, et ex vsu loquendi optimi cuiusque auctoris a Matthaeo vsurpata est. Nam *παραδοῦναι* dicuntur, *qui alterum alteri eo consilio tradunt, vt supplicio afficiatur.* Sic apud Iosephum Lib. VII. de B. I. C. 3. de filio Antiochi, qui patrem suum apud populum magnorum criminum postulauit: *καὶ* ΠΑΡΕΔΙΔΟΥ *ξένους Ἰουδαίους τινὰς, ὡς κεκοινωνηκότας τῶν βεβουλευμένων: et peregrinos quosdam Iudaeos, vt eius consilii conscios, TRADIDIT.* Et mox subiicit: *ταῦτα δ' ἀκούων ὁ δῆμος, τὴν ὀργὴν οὐ κατεῖχεν, ἀλλ' ἐπὶ μὲν τοὺς* ΠΑΡΑΔΟΘΕΝΤΑΣ *πῦρ εὐθὺς ἐκέλευον κομίζειν: cum autem ista audiret populus, iram cohibere non poterant, sed in eos, qui TRADITI FVERANT, ignem statim afferri iusserunt.*

v. 3. *Τότε ἰδὼν Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, ὅτι κατεκρίθη, μεταμεληθεὶς*) Sunt quidam Viri docti, qui inter *μεταμεληθῆναι* et *μετανοεῖν* id discriminis intercedere contendant, vt hoc poenitentiam salutarem, illud autem quamcunque aliam denotet. In quo quidem egregie illi falluntur, cum vsus loquendi scriptorum cum sacrorum, tum profanorum doceat, eam differentiam esse nullam. Vel vnus Iosephus eius rei testis nobis prodeat grauissimus. Lib. VI. Ant. C. VI. §. 4. *ὡς οὖν ἀπεῖπεν ὁ Θεὸς τῇ τοῦ προφήτου δεήσει, καὶ δῆλος ἦν μὴ* ΜΕΤΑΜΕΛΟΜΕΝΟΣ,

cum igitur Deus preces prophetae non admitteret, et certum esset, cum nolle SENTENTIAM MVTARE: quod hic μεταμέλεσθαι est, idem paullo ante per μετανοεῖν exprimebatur. Et VIII. C. XIII. §. 8. Ἀχάβῳ δὲ λύπη τῶν πεπραγμένων εἰσῆλθε, καὶ ΜΕΤΑΜΕΛΟΜΕΝΟΣ, *Tum demum Achabum dolor subiit, cumque facinorum poenituit;* paullo post autem de eodem, ἐπεὶ τοῖς τετολμημένοις ΜΕΤΑΝΟΕΙ, *quoniam eorum, quae commisisset, eum poeniteret;* vt adeo μεταμέλεσθαι et μετανοεῖν pro Synonymis merito sint habenda.

v. 4. Σὺ ὄψει) *Tu videris.* H. STEPHANVS in Dissertat. *de Insidis Gr. Linguae Magistris* ita: *Magis Graeco-Latine, aut Latino Graece, quam graece loquuntur, qui σὺ ὄψει, hac notione vsurpant.* B. WOLFIVS quidem Lectorem remittit ad SCHWARZIVM, disputantem contra eos, qui Latinismum hic agnoscunt. Ego autem, perlectis omnibus exemplis, a SCHWARZIO in hanc rem allatis, et probe consideratis, fateor, ne vnum quidem me inuenisse, qui Latinismi suspicionem ex hoc Matthaei loco tollat. Ellipses autem, ad quas postea decurrendum idem Vir doctus monet, tam durae, tamque longe petitae mihi videntur, vt malim cum Viris summis Latinismum hic agnoscere, quam rei defensionem suscipere, quae vix videtur posse defendi. Caeterum accommodatissime in hanc rem laudare potuisset SCHWARZIVS locum Iosephi de Maccabaeis p. 509. Τί μέλλεις, ὦ τύραννε; ΣΥ ΟΨΕΙ τί ποιεῖν προαιρῇ. *Quid cunctaris tyranne? Tu, quid agas, VIDERIS.* Sed nec is locus Latinismi suspicione caret; ne dicam, haec verba in quibusdam Codd. desiderari.

v. 5. Ἀπήγξατο) Satis nota sunt, quae Viri docti ad h. l. Matthaeo cum Luca conciliando attulerunt. Ego, omnibus fere Interpretum sententiis perlectis, rationibusque subductis, tandem summam cogitationum feci hanc, vt putem, omnibus aliis praeferendam esse sententiam eam, qua statuitur, Iudam, ex animi desperatione et angustia, mortem laqueo sibi quaesiuisse et inuenisse, quod Mat-

Matthaeus indicet voce ἀπάγχεσθαι; Petrum vero, et Lucam mortis genus accuratius definiisse, cum dicunt, eum praecipitem pronumque esse delapsum, laqueo infelici, quo suspensus erat, siue fortuito, siue Dei voluntate, rupto. Neque vero est, quod quis putet, veram esse inter Matthaeum et Lucam pugnam, cum hic alio, quam Matthaeus, modo Iudam interiisse tradat. Nihil enim fere frequentius est, quam vt Scriptores, de alicuius morte exponentes, in ipso mortis genere varient, et alius, proposito genere, relinquat speciem subintelligendam, alius autem speciem diserte indicet, cum alter, pro suo scribendi consilio, satis habuerit, grauitatem tantum mortis significasse, alter autem officii sui ducat, proprium mortis genus diserte exprimere. Neque vlla historiae lege historico necessitas imponitur, mortem, qua quis perierit, diserte indicandi; sed libertatem potius eidem concedit, mortem tantum in vniuersum narrandi, eius proprie genere non significato, nisi forte historici consilium, quod in scribendo sequitur, eiusmodi quid ab eo exigit. Sic v. c. saepe reperias, duos historicos de aliquo, qui interfectus est, ita exponere, vt alter tantum eum *mortuum esse* dicat, alter vero *occisum* eum commemoret, proprio scilicet mortis genere indicato. Hic vero quid impedit, quo minus huic loco quibusdam exemplis, iisque maxime illustribus, allatis, lucis aliquid affundere studeamus? Antiochi, cognomine Illustris, mors in Maccabaeorum libris duobus locis commemoratur: quorum alter est Lib. I. c. VI. v. 8. sqq. Sed ibi ita, vt prae moerore aegritudineque animi mortuus dicatur Antiochus; alter est Lib. II. C. IX. v. 9. vbi mortis causa traditur, primo insanabilis viscerum dolor, deinde vehementissimus cruciatus intestinorum, denique erumpentes ex impio corpore vermes. Quid autem Iosephus de huius Antiochi morte Lib. XII. Antiquitatt. C. IX. §. I. nempe, eum ex moerore, aegritudineque animi mortuum esse, non indicato proprio mortis genere. Idem Iosephus bis meminit mortis Mithridatis, sed ita, vt priori loco, de B. I. Lib. I.

 C. VI.

C. VI. §. 6. tantum *θανάτῳ* voce vtatur, altero autem, Lib. XIV. Antiquitatt. C. III. §. 4. diserte, quo mortis genere perierit, significet, scilicet, eum a Pharnace, filio suo, peremptum esse. Sic quidem Viri docti dissensum inter Iosephum et Scriptores Sacros fingunt in calamitatis genere tradendo, quo Samaritani ob idololatriam acerbe castigati sunt, cum is Lib. IX. Antiquitatt. C. XIV. §. 3. eam calamitatem *λοιμὸν* seu pestem fuisse dicat, in sacris literis autem, 2. Reg. XVII, 25. leones immissi narrentur, qui homines interfecerint. Sed nullus hic quidem dissensus est. Quid enim impedit, quo minus Iosephus in hac calamitate indicanda generaliori illa voce *λοιμȣ̃* (quae, vti Latinorum *pestis*, de quacunque re exitiali vsurpatur) vsus dicatur? cuius calamitatis speciem disertius exprimunt literae sacrae, quae *leones immissos* tradunt. Cf. LEVSDENIVS in Philologo Hebr. Mixto, Differt. VIII. p. 60. Sic in hoc ipso Capite v. 26. Matthaeus speciem ignominiosae poenae, Christo infligendae, diserte per *φραγελλώσας* exprimit, cum contra ea Lucas C. XXIII. 16 et 22. eandem non nisi generaliori voce *παιδεύσας* indicet. Neque aliter poena, infligenda iis, qui Christum pro vero Messia non agnituri sint, non nisi in vniuersum Deuteron. XVIII. 19. his verbis exprimitur, אָנֹכִי אֶדְרֹשׁ מֵעִמּוֹ, *ego reposcam ab ipso*, vt etiam LXX. Seniores, *ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτȣ̃*: Petrus autem in his verbis laudandis Actor. III. 23. exprimit diserte speciem huius poenae, cum dicit, *ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τȣ̃ λαȣ̃*. Aliud huius rei exemplum illustrissimum afferemus infra ad Actor. XII. 23. Ex iis igitur, quae huc vsque disputata sunt, satis dilucide, opinor, apparet, nullam esse inter Matthaeum et Lucam, diuersimode mortis genus Iudae tradentes, pugnam, sed vtrumque suum quemque in narrando consilium esse secutum. Matthaei enim consilio satis fuit, indicasse, Iudam, aegritudine animi, desperationeque paene confectum, laqueo ex his miseriis expedire se voluisse: Petri autem et Lucae consilium exigere videbatur hoc, vt paullo disertius grauitatem mor-

mortis, non sine diuino nutu, impio isti proditori immissae, notarent. Neque enim dubium est, quin Iudas, nefario illo scelere commisso, in grauissimam animi aegritudinem desperationemque inciderit (quod et τὸ μεταμεληθεὶς indicat) quae causa mortis consciscendae fuit, postea, acerrimis malae conscientiae stimulis, tanquam furiis, ita agitatus, vt, vbi consisteret, non haberet, abierit, et ab his conscientiae suae tanquam tortoribus se liberaturus, ad laqueum, paratissimum fere omnium sceleratorum, et ad desperationem adactorum hominum confugium, decucurrerit et haec quidem Matthaeus; quae ipsius consilio sufficere videbantur: porro, non abhorret a vero, istum laqueum, quo Iudas infelicem vitae exitum quaesiuerat, diuina sapientia dirigente, esse disruptum, Iudamque adeo praecipitem datum, ita vt, corpore diffisso, intestina sint effusa: quod dirum et horrendum mortis poenaeque genus, Lucas consilio suo conueniens putauit dilucide adnotare. Verum igitur est, Iudam, aegritudine animi, desperationeque ex tam nefando scelere orta compulsum, laqueo sibi ceruicem fregisse: verum et illud, siue rupto laqueo Iudam ex altiore loco esse delapsum, siue ab aliis praecipitem datum, eiusque intestina, corpore disrupto, effusa: prius tradit Matthaeus; posterius Lucas: vterque consilio suo conuenienter. Sed paucis videamus, in vtriusque loci, Matthaei et Lucae, interpretatione nihil esse, quod non linguae quoque rationi optime conueniat. Et Matthaei quidem ἀπάγξασθαι cum, *aegritudine angoreque animi confici*, tum, *laqueo sibi ceruicem frangere*, denotare, vel haec pauca docent. Sic v. c. Tob. III. 10. ἀπάγξασθαι diserte est pro *angoribus confici*: ταῦτα ἀκούσασα, ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ΑΠΑΓΞΑΣΘΑΙ, καὶ εἶπε κ. τ. λ. Quo spectant illa in Glossario Cyrilli, ἄγχομαι *angor*, ἄγχω, *angor*. Sed multa in hanc rem exempla dudum attulit PERIZONIVS in Respons. II. ad Notitiam GRONOVII II. p. 42 sqq. Eandem autem vocem significare, *laqueo sibi mortem consciscere*, vix opus est vt probetur,

Sic ἄγχειν pro *strangulare*, *fauces comprimere*, est apud Iosephum Lib. V. Antiquitatt. C. VIII. §. 5. de Samsone, συντυγχάνει λέοντι, καὶ γυμνὸς ὤν, ἐκδεξάμενος αὐτὸν, ΑΓΧΕΙ ταῖς χερσὶ, *in leonis occursum incidit*, *et cum inermis esset*, *eum excipiens*, *manibus strangulat:* et apud eundem Lib. VII. Antiquitatt. C. IX. §. 8. ΑΓΧΟΝΗ dicitur laqueus, quo semet ipsum Achitophelus suspenderat. Plura in hanc quoque rem suppeditabit laudata PERIZONII Responsio, p. 30. Sed interpretatio illorum verborum, πρηνὴς γενόμενος, quam esse diximus *praeceps datus s. factus est*, paullo luculentius confirmanda videtur, praesertim cum videam, RAPHELIVM, Virum eleganter accurateque doctum, in Notis Polybianis p. 103. sq. multis ita disputare, vt contendat, πρηνὴς γενόμενος ex vsu loquendi non posse significare *praeceps factus*, seu *praecipitatus est*, sed *pronus in faciem lapsus*. In quo quidem concedendo etiamsi liberalis esse, et Viro illi doctissimo, quod postulat, largiri vellem; tamen vel sic interpretatio nostra locum habere posset. Quid enim? nonne Iudas, posteaquam, angore animi compulsus, laqueo mortem sibi ipse consciuerat, isque, siue prouidentia diuina ita dirigente, siue alia quacunque causa, disruptus erat, nonne, inquam, Iudas commode dici potest πρηνὴς γενόμενος h. e. *de loco superiori delapsus*, seu *ab aliis praeceps datus?* Atque ego non is sum, qui neget, πρηνῆ γενέσθαι, *pronum in faciem labi*, de eo quoque dici, qui in plano procidat. Sic apud Iosephum Lib. XVIII. Antiquitatt. C. III. §. 1. de Iudaeis enixe Pilatum rogantibus, ne Caesaris imaginem Hierosolyma inferret, οἱ δὲ ΠΡΗΝΕΙΣ ῥίψαντες ἑαυτοὺς, *illi autem PRONI in terram procidentes*: et de B. I. Lib. I. C. XXXII. §. 1. de Antipatro, πεσὼν ΠΡΗΝΗΣ πρὸ τῶν ποδῶν τοῦ πατρὸς, *PRONVS prolapsus ad patris pedes:* neque aliter apud Philon. Iud. de Agricultura p. 204. de luctatore, ὁ καταπαλαίσας τινα καὶ ὕπτιον ἢ ΠΡΗΝΗ τείνας ἐπὶ γῆν, *Luctator aduersarium supinum aut PRONVM in terram prosternens:* et apud Porphyrium

rium de Vita Pythagorae p. 19. Ed. KVSTERI: ἕωθεν μὲν παρὰ θαλάττῃ ΠΡΗΝΗΣ ἐκταθεὶς, *mane quidem ad mare PRONVS extentus:* Sed non minus πρηνὴς γενόμενος f. πεσὼν dici poteſt, *qui de loco ſuperiore pronus et praeceps delabitur.* Sic diſerte eſt apud Ioſephum de B. I. Lib. VI. C. I. §. 1. de Sabino, inſigni audacia murum cum paucis aggreſſo: ὁ ἀνὴρ οὗτος, ὅτε ἐκράτησε τῆς ἐπιβολῆς, ἐσφάλη· καὶ πταίσας πρός τινα πέτραν, ΠΡΗΝΗΣ ἐπ' αὐτῆς μετὰ μεγίστου ψόφου κατέπεσεν, *Hic vero, cum, quod aggreſſus erat, ſuperaſſet,* de muro *lapſus eſt, ſaxoque cuidam impactus, cum maximo* armorum *ſonitu PRONVS in illud decidit.* Neque aliter apud Homerum Odyſſ. ε. v. 374. de Vlyſſe ΠΡΗΝΗ καππεσέειν, *ex loco altiori praecipitem pronumque delabi.* Summa igitur a me huc vſque diſputatorum haec eſt: *Iudas, aegritudine animi, angoreque compulſus, laqueo ſibi ipſe mortem conſciuit: laqueo autem, ſiue ſua ſponte, diuina iuſtitia vltrice ſic dirigente, ſiue ab aliis diſrupto, ex loco altiore praeceps pronuſque delapſus eſt, ita, vt, diſſiſſo corpore, inteſtina effuſa ſint.* Et ſic haec interpretatio narrationi et Matthaei, et Lucae optime, ni fallor, conueniet, et ad ſententiam a CASAVBONO Exercitatt. Anti. Baron. XVI. §. 69. prolatam, GERHARDO autem in Harmonia p. 1848. multisque aliis probatam, quam proxime accedit, qua *Matthaeus ſupplicii initium, Lucas vero finem et exitum deſcribit.* Haec paullo fuſius de nobiliſſimo hoc, multisque diſceptationibus agitato loco, diſputata, ex *Critica noſtra Wolfiana* transferre huc placuit. Aliam huius loci Matthaei interpretationem, eiusque cum Luca conciliandi rationem nuper protulit Pl. Rev. NEVNHOEFERVS, in Proluſione *de Iuda ruptis ingraui, praecipitique lapſu ilibus extincto,* de qua alio et tempore et loco commodius.

v. 23. Ὁ δὲ ἡγεμὼν ἔφη· τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν;) MALDONATVS et GROTIVS in oratione Pilati verba, *non faciam,* intellecta volunt, vt τὸ γὰρ commodius habeat, cuius rationem reddat, hoc ſenſu: Non poſſum

eum, quod postulatis, crucis supplicio addicere; *quid ENIM mali commisit?* Sed RAPHELIVS in Notis Xenoph. p. 63. hoc argute magis, quam necessario, aut *graecae linguae conuenienter* fieri dicit: quae verba posteriora nollem excidissent Viro graece doctissimo. Optimo enim cuique auctori nihil fere usitatius est, quam vt ante τὸ γὰρ, eam orationis partem, ab vnoquoque facile mente supplendam, omittant, cuius rationem ea particula reddat. In quam rem, iuuat pauca exempla ex Iosepho, in tironum gratiam, afferre. Lib. VI. Antiq. c. XI. §. 2. vbi Ionathas Dauidem interrogat, num qua in re ei gratificari possit; cui Dauides respondet: Οἶδα ΓΑΡ πάντα σε χαρίζεσθαί μοι καὶ παρέχειν ἐθέλοντα, vbi supplendum: agnosco amicissimum tuum erga me animum: *NAM noui, omnia te mihi conferre, meique in gratiam conferre velle.* Sed cum RAPHELIVS, auctoritate H. STEPHANI forte inductus, contendat, inprimis in interrogationibus τὸ γὰρ suam vim amittere, planeque otiosum esse; in eo Viros hos doctissimos humanitus errare, aliquot exemplis adductis, ostendemus. Iosephus Lib. IX. Antiq. c. IV. §. 6. cum narrasset, Elisaeum, auctoritate diuina, regnum praedixisse Azaelo, pergit: τοῦ δ' Ἀζαήλου λέγοντος, τίνα ΓΑΡ ἰσχὺν ἐν ἐμοὶ τηλικαύτην εἶναι συμβέβηκεν, ὥστε ταῦτα ποιῆσαι; vbi manifestum est, τὸ γὰρ non esse otiosum, sed rationem reddere huius propositionis omissae, et lectoris mente supplendae: *Mira mihi et incredibilia narras: quae ENIM tanta in me sit potestas, vt haec facere possim?* Sic de B. I. Lib. I. c. XXX. §. 3. τοῦ δὲ εἰπόντος, τί ΓΑΡ αὐτὸν ἐβλάπτομεν; vbi eodem modo oratio supplenda: *eo autem dicente*, mira et incredibilia narras, *qua ENIM re ipsum laesimus?* vt adeo ne in interrogationibus quidem τὸ γὰρ suam significationem amittat, vt H. STEPHANO, RAPHELIO, et quibus non? videtur. In quam rem, non difficile foret, ingentem exemplorum aceruum congerere, nisi id Viri docti iam dudum facere occupassent. Vid. inprimis acutissimus CLARKIVS ad Homeri Ἰλιάδ. ά

v. 152,

v. 152. Ἰλιαδ. ἑ v. 22. multisque locis aliis. Non igitur contra linguae graecae rationem, vt RAPHELIO videtur, haec Matthaei verba plenius ita reddas; non possum Iesum crucis supplicio addicere: *quid ENIM mali commisit?* Caeterum in omnibus locis a RAPHELIO l. c. ex Xenophonte allatis, ne vnus quidem est, qui doceat, τὸ γὰρ otiosum esse, cum in omnibus significet, *igitur*. Non ergo erat, quare WOLFIVS hac in re RAPHELIO fidem haberet.

v. 24. Ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος) Locutio est mere hebraica. Sic v. c. II. Samuel. III. v. 27. vbi Davides, נָקִי אָנֹכִי מִדְּמֵי אַבְנֵר quod verbo tenus LXX. Seniores reddiderunt, Ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τῶν αἱμάτων Ἀβεννήρ. In hac autem loquendi forma quidam Viri docti duplicem invenerunt hebraismum, alterum in τῷ αἷμα pro *caede:* alterum in τῷ ἀπὸ cum voce ἀθῶος. Vid. opus praestantissimum VORSTII, Philologia Sacra, Part. I. c. XIX. Et priorem quidem Hebraismum WOLFIVS ad h. l. scribit amovisse PFOCHENIVM et VORSTIVM, quibus addere potuisset CVPERVM Obseruatt. Lib. III. c. 19. vbi docet αἷμα Graecis interdum denotare *caedem*. Sed nescio sane, an hi Viri docti hebraismi suspicionem satis sustulerint, cum omnia fere loca, ab iis in hanc rem laudata, ex Poetis petita sint, cum solutae orationis auctores semper fere, quantum equidem sciam, φόνον in ea re adhibere soleant. Quod autem idem Wolfius scribit, alterum Hebraismum sublatum esse ab HORAT. VITRINGA, in eo, vereor ne falsus sit. Nam non nisi vnum locum in hanc rem attulit, et quidem eum, in quo vox ἀθῶος ne occurrit quidem. Si quis meam in hac re sententiam quaesiverit, ingenue fatear, mihi nondum satis liquere, Hebraismisne haec loquendi ratio adnumeranda sit, an ex eorum numero eximenda. Nam apud Iosephum, quo auctore cum maxime vtimur, obseruaui, voces ἀθῷος, καθαρὸς et similes, modo τὸ ἀπὸ adiunctum habere, modo nude, modo ita esse positas, ut neque Praepositionem,

neque Genitiuum habeant adiunctum. Afferamus primo exempla, vbi ἀθῷος nude et simpliciter pro *insonte* ponitur. Lib. IV. Ant. c. VIII. §. 27. κτείνας ἐπὶ τοῖς κατ' οἶκον κλεπτομένοις τις ΑΘΩΙΟΣ ἔστω, *si quis eorum aliquem, qui res e domo furto eat ablatum, occiderit, INSONS est.* Cap. eodem §. 33. ΑΘΩΙΟΣ ἔστω ὁ πλήξας, *INSONS esto, qui percussit:* et sic plane LXX. Seniores Exod. XXI. v. 19. qui vnus locus est ex omnibus, in hanc rem adducendis, vbi Iosephus cum LXX. Senioribus loquitur. Est porro, vbi ἀθῷος Genitiuum adiunctum habet, Praepositione ἀπὸ neglecta. Lib. VII. Ant. c. XV. §. 6. ὁ δὲ ἡμέρως πάνυ καὶ σωφρόνως τῆς μὲν τότε ἁμαρτίας αὐτὸν ἀφῆκεν ΑΘΩΙΟΝ. *At ille clementer admodum prudenterque ob istud quidem peccatum ei veniam impunitatemque concessit.* Lib. VIII. Ant. c. I. §. 4. τῆς Ἰωάβου τελευτῆς αὐτός τε καὶ ὁ πατὴρ ΑΘΩΟΙ τυγχάνωσι, *ut ipse et pater, Ioabi morte INSONTES sint.* Denique est, vbi ab eodem τὸ ἀπὸ additur iis locis, vbi non quidrm ἀθῷος, similes tamen, idemque denotantes voces leguntur. Lib. IV. Ant. c. VII. §. 16. ΚΑΘΑΡΑΣ τὰς χεῖρας ἔχειν ΑΠΟ τοῦ φόνου. *manus a caede puras habere.* Lib. IX. c. IV. §. 5. νόμος ἦν ἐν τῇ Σαμαρείᾳ, τοὺς λέπραν ἔχοντας καὶ μὴ ΚΑΘΑΡΟΥΣ ΑΠΟ τῶν τοιούτων τὰ σώματα, μένειν ἔξω τῆς πόλεως. *Lege cautum erat apud Samaritanos, vt, qui lepra scaterent, et corpora non haberent ab isto morbo pura, extra vrbem manerent.*

CAPVT XXVIII.

V. 1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων) Notae sunt virorum de hoc loco sententiae, tam diuersae et discrepantes, vt quasdam earum non notas esse praestaret. Multi enim in hoc loco difficultates quaesiuerunt potius et intulerunt, quam inuenerunt. Recte huc transtuleris, quod magnus ille CASAVBONVS in Exercitatt. Anti-Baronian. p. m. 673. scribit: *Illud animaduerto, doctos Viros, dum in scirpo*

po nodum quaerunt, dum alienis inuentis vti reformidant, absurdissima quaeque sine pudore pronunciare, ac persaepe ad illustranda, quae putant esse obscura, sepiae atramentum adhibere. Non animus est, omnium huius loci interpretationum, a WOLFIO allatarum, censuram agere; sed dixisse iuuabit, quae optima, eaque vnice vera huius loci sit interpretatio. Scilicet ὀψὲ σαββάτων reddendum est, ex Graecismo paullo reconditiore, *post Sabbatum, Sabbato transacto*, seu *in fine Sabbati*, quod dilucidissime Marcus c. XVI. 1. exprimit verbis διαγενομένου τοῦ σαββάτου: vbi intelligendus est dies Sabbati cum nocte sequenti. Neque insolens est optimo cuique Scriptori is, τοῦ ὀψὲ, Genitivo iuncti, significatus. Thucydides Lib. IV. c. 93. τῆς ἡμέρας ὀψὲ ἦν, *erat serum diei*, seu *in fine diei*. Demosthenes adv. Midiam p. 397. Ed. Wolf. ὡς τῆς ὥρας ἐγίγνετο ὀψὲ, *cum iam advesperasceret*. Commode quoque huc vocauit L. BOS in Exercitatt. p. 13. illud Philostrati in Vita Apoll. Lib. IV. c. 18. ὀψὲ μυστηρίων, *peractis mysteriis*. Adiecta autem verba, τῇ (ἡμέρᾳ) ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *die illucescente*, f. *oriente*, *qui futurus erat dies primus bebdomadis*, explicant dilucide priora. Μίαν pro *primo* in sacris literis usurpari, neminem, paullo humaniorem, esse putem, qui ignorare possit. Sic apud Iosephum Lib. I. Ant. c. I. §. 1. αὕτη μὲν ἂν εἴη ἡ πρώτη ἡμέρα· Μωϋσῆς δ' αὐτὴν ΜΙΑΝ εἶπε, *haec quidem dies prima exstitit: Moses autem eam VNAM dixit:* ad quem locum RELANDVS haec: Idem Philo notat de κοσμοπ. Sic μία Σαββάτων, pro πρώτη in N. T. Videntur Graeci μία pro πρώτη aliquando dixisse, quod πρώτη etiam pro προτέρα vsurparetur, vitandi ambigui causa. Solebant Aegyptii et Chaldaei primum diem hebdomadis μίαν appellare, vti Parrhasius obseruat de septenario dierum numero. Inde, reor, et Interpretes Alexandrini μίαν habent hoc loco et alibi, ut Gen. XVIII. 13. μιᾷ τοῦ μηνός. Diodorus Siculus Lib. XVI. ἀπὸ τῆς μιᾶς τεσσαρακοστῆς ἄχρι τῆς τρίτης καὶ τεσσαρακοστῆς, *a prima*

ma et quadragesima usque ad tertiam et quadragesimam. Haec ille Vir longe Doctissimus. Esse autem in hoc Matthaei loco μίαν idem, quod πρώτην, ex loco parallelo Marci XVI. apparet. Nam quod v. 2. dicitur, πρωὶ τῆς μίας σαββάτων, id v. 9. exprimitur per πρωὶ, πρώτῃ σαββάτων. Σάββατα autem pro *tota hebdomade* in sacris literis sumi, tritius, opinor, est, quam vt exemplis sit confirmandum. Nam ἐπιφώσκειν, etsi proprie de sideribus, iubar emittere incipientibus, dicitur, tamen de die quoque illucescente saepe usurpatur. Igitur ἡ ἐπιφώσκουσα (ἡμέρα) est *ipsum diluculum*, nuncius diei. Non igitur secum ipse pugnat Matthaeus, ut nescio quis, opinionis errore deceptus, contendit; sed, per alteram loquendi formulam, priorem, paullo obscuriorem, illustrat. Neque ulla pugna Matthaeo est cum reliquis Evangelistis. Ex omnium enim narratione constat, Mariam Magdalenam, aliasque mulieres, quae, emptis aromatibus, Christi corpori ungendo, ad sepulchrum, noctis tenebris venerant, diluculo primi diei in iudaica hebdomade, (quae est dies nostra Dominica) Dominum, qui sepulchro conditus fuerat, non invenisse. Neque id in ea narratione quemquam morabitur, quod ceteri Euangelistae plurium mulierum, Iohannes autem c. XX. 1. unius tantum mentionem facit. Nam id dictum est vel ex Syllepsi, figura cum sacris, tum profanis Scriptoribus usitatissima, vel ita intelligendum, ut plures accessiones nunc ab vna, nunc a pluribus mulieribus factae dicantur. In definiendo denique tempore, quo ad sepulchrum accessisse dicuntur, omnes inter se consentiunt, nisi quod Marcus a se ipso paullulum discrepare videtur: qui, cum dixisset, id factum esse, λίαν πρωὶ τῆς μιᾶς σαββάτων, *valde mane prima die hebdomadis*, addit, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *orto Sole*. Quomodo igitur *valde mane*, si *Sol iam ortus fuerat?* Hic quoque habemus, quod respondeamus. Scilicet illud ipsum λίαν πρωὶ necessario exigit, vt τὸ ἀνατέλλειν intelligamus non de ortu Solis supra Horizontem, sed de media nocte superata, cum iam in-

incipiunt fidera afcendere, et iubar quoddam emittere. Commodiffime genuinam Aorifti vim ita exprimere licet: *cum Sol oriri inciperet*; neque adeo neceffe eft, cum quibusdam Editt. ante τὸ ἀνατείλαντος inferere ἔτι. Haec fimpliciffima, eaque veriffima huius loci Matthaei interpretatio, eiusque cum caeteris Euangeliftis conciliandi ratio mihi videtur: Cf. in eandem fententiam CASAVBONVS in Exercitatt. Anti Baron. XVI §. 113. p. m. 672. feqq.

v. 14. Καὶ ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, ἡμεῖς πείσομεν αὐτὸν) Quidam, notante WOLFIO, πείσομεν, *perfuadendi* notione fumunt, voluntque fubintelligi, μὴ ἀγανακτεῖν ὑμῖν. Sed haec ellipfis nimis longe petita, et quam maxime infolens eft. Mihi quidem dubium non eft, quin πείθειν h. l. fit, *pecunia corrumpere*, atque adeo *placare*, fubintellecto τῷ ἀργυρίῳ, aut χρήμασι, quae voces interdum adduntur. Ingentem eius rei exemplornm aceruum ex optimo quoque auctore congerere poffem; fed nunc uno Iofepho, huius rei auctore maxime idoneo, vtamur. Is igitur Lib. XIV. Ant. c. XI. §. 4. de Malicho, infidias ftruente Antipatro, ΠΕΙΣΑΣ ἀργυρίῳ τὸν Ὑρκανοῦ οἰνοχόον, παρὰ ᾧ ἑκάτεροι εἱστιῶντο, φαρμάκῳ κτείνει τὸν ἄνδρα, *Cum PECVNIA CORRVPISSET pincernam Hyrcani, apud quem vterque epulabatur, veneno necabat hominem:* et eodem Lib. c. XVI. §. 4. Ἡρώδης, ταῦτα φοβούμενος, ΠΟΛΛΟΙΣ ΧΡΗΜΑΣΙ ΠΕΙΘΕΙ τὸν Ἀντώνιον, ἀνελεῖν τὸν Ἀντίγονον, *Herodes, ifta metuens, magna pecuniae vi corrupit Antonium, vt Antigonum tolleret.* Lib. XX. Antiquitt. c. VI. §. 1. de Cumano, ὁ δὲ, ΧΡΗΜΑΣΙ ΠΕΙΣΘΕΙΣ ὑπὸ τῶν Σαμαρέων, ὠλιγώρησεν, *Ille vero, a Samaritis pecunia corruptus, Iudaeorum nullam rationem habuit:* effe autem hanc huius loquendi formulae vim, ex eodem cap. §. 2. apparet, vbi, qui hic dicitur χρήμασι πεισθεὶς, vocatur δώροις ὑπὸ Σαμαρέων φθαρείς. Eodem Lib. c. VIII. §. 9. ΠΕΙΘΟΥΣΙΝ ΠΟΛΛΟΙΣ ΧΡΗΜΑΣΙΝ, *Ingenti pecuniae vi eum corrumpunt.* Et fic innumerabilibus aliis locis. Eft tamen etiam apud Iofephum

fephum πείϑειν fimpliciter pro *flectere*. Locus eft Lib. IV. Ant. VI. §. 5. vbi Balamus vates. *φέρε, βωμὲς τε ἑτέρες αὖϑις ἐγείρωμεν, καὶ ϑυσίαις ταῖς πρὶν παραπλησίαις ἐπιτελέσωμεν· εἰ ΠΕΙΣΑΙ τὸν Θεὸν δυνηϑείην, age, alias aras erigamus, atque munera et victimas fimiliter ac antea offeramus, fi forte Deum flectere, f. commouere poffim.* Quamquam haec fignificatio huic Matthaei loco non conuenit, fed ea, quam in prioribus locis obferuauimus.

* *

IN EVANGELIVM S. MARCI.

CAPVT I.

v. 9.

Καὶ ἐβαπτίσϑη ὑπὸ Ἰωάννε εἰς τὸν Ἰορδάνην) Poffit quis fufpicari, εἰς hic pofitum effe pro ἐν, enallage Scriptoribus cum Sacris, tum profanis vfitatiffima, quae et BEZAE ad h. l. eft fententia: fed mihi fecus videtur, et haec loquendi ratio ex Graecifmo paullo elegantiori exponenda. Dictum enim eft pro, κατέβη εἰς τὸν Ἰορδάνην, ἵνα βαπτισϑῇ, *defcendit in Iordanem, vt baptizaretur.* Quae interpretatio, ne cuiquam, dictionis graecae elegantioris non fatis perito, infolens et falfa videatur, vno et item altero loco confirmanda eft. Ioh. IX. 7. νίψαι εἰς τὴν κολυμβήϑραν, vulgo reddunt, *ablue te in pifcina*, τῷ εἰς pro ἐν fumpto: Elfnerus autem ita: *ablue*, fc. fordes, *in pifcinam*; quorum neutrum placet; reddendum erat: *abi*, feu *defcende in pifcinam, vt te abluas;* vt ad illum locum pluribus, Θεῦ διδόντος, docebimus. Et hac loquendi ratione optimus quisque auctorum vtitur. Sic Ariftophanes Plut. v. 1169. τὰς κοιλίας πλύνειν πρὸς f. εἰς τὸ φρέαρ, *Ire ad puteum, vt vifcera laues*, vbi HEMSTERHVSIVS,

HVSIVS, V. C. ex Ptol. Everg. commodissime affert, λοῦσθαι ΕΙΣ τοὺς κοινοὺς λουτρῶνας, *abire in communia balnea, vt ibi te laues:* quae duo loca huic Marci sunt simillima. Sed cum Iosepho inprimis auctore ▪tamur, ex eo vel duo exempla iuuabit attulisse. Lib. VIII. Antiquitt. c. II. §. 4. ὁ δ' αὐτὸς ἡγεμὼν, ὁ τὴν τοῦ βασιλέως δαπάνην πεπιστευκὼς, καὶ τοῖς ἵπποις ἐχορήγει τὰ ἐπιτήδεια, συγκομίζων ΕΙΣ ὃν ὁ βασιλεὺς διέτριβε τόπον· quam loquendi elegantiam non cepit Interpres, cum vltima verba redderet, *in eum locum aduecta, vbi Rex erat*; tu autem redde: *necessaria conuehens in eum locum, in quem Rex venit, vt ibi aliquamdiu commoraretur.* Nam εἰς ὃν διέτριβε τόπον, dictum est pro εἰς ὃν τόπον ἦλθε, ἵνα ἐκεῖ διατρίβῃ. Lib. XI. Ant. c. IV. §. 3. οἱ αἰχμαλωτισθέντες ΕΙΣ Βαβυλῶνα, h. e. *qui capti et ducti Babylonem erant*, quod paullo post §. 4. exprimitur his verbis: τὸν λαὸν μετῴκισεν, αἰχμάλωτον μεταγαγὼν εἰς Βαβυλῶνα.

v. 38. Εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις) Fallitur HAMMONDVS, qui significatum τοῦ ἐχόμενος, pro *vicinus, propinquus*, ex Hebraica loquendi ratione repetit. Nam apud optimum quemque auctorem ita occurrit, vt nunc *de tempore proxime insequenti*, nunc *de loco propinquo vsurpetur.* Illius significatus exempla haec sunto. Iosephus Lib. V. Ant. c. IX. §. 2. ἐξῄει πάλιν ταῖς ἐχομέναις ἡμέραις, *rursus exiuit sequentibus diebus.* Lib. XI. Ant. c. VI. §. 13. ἡ ἐχομένη ἑορτάσιμος, *sequens dies festus.* Lib. XII. Ant. c. VII. §. 5. τῷ ἐχομένῳ ἔτει, *anno sequenti.* De *loci* autem *propinquitate* est apud eundem Lib. XI. Ant. c. VIII. §. 6. ἐξεστράτευσεν ἐπὶ τὰς ἐχομένας πόλεις, *in proximas vrbes exercitum duxit*; vbi ἐχόμεναι πόλεις, eodem sensu dicuntur, quo hic ἐχόμεναι κωμοπόλεις.

CAPVT II.

v. 18. Οἱ δὲ σοὶ μαθηταὶ οὐ νηστεύουσι) Suspicetur quis, pro σοὶ dicendum fuisse σοῦ. Sed frustra. Dariuus

enim,

enim, qui pendet a subintellecto verbo Substantivo, saepissime ab optimo quoque scriptore ita ponitur, vt Genitiui vicem sustineat, vt h. l. οἱ σοὶ (sc. ὄντες) μαθηταὶ, *discipuli tui.* Sic Luc. VII. 12. υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτῆ. Sic Iosephus Lib. VIII. Ant. c. VIII. §. 3. Ἡ δὲ γυνὴ, περὶ ἧς πρὸ τούτων εἴπομεν, ἡ τὸν προφήτην διατρέφουσα, τοῦ παιδὸς ΑΥΤΗι καταπεσόντος, pro αὐτῆς. Neque aliter apud auctorem argumenti Pluti Aristophanici, ὁ τῷ Χρεμύλῳ θεράπων, *qui seruus est Chremylo*, f. *Chremyli*: vbi vid. Praestantissimus HEMSTERHVSIVS. Interdum Participium γενόμενος subintelligendum est, vt in illo Thucydidis Lib. IV. c. 23. ἐπιδρομὴ τῷ τειχίσματι, *oppugnatio muro*, sc. facta. Nec huc aduocare iam placet tritissima illa, χάλινον τῷ ἵππῳ, ἡ κεφαλὴ τῷ ἀνθρώπῳ, pro ἵππου, ἀνθρώπου· de quibus, praeter caeteros, SALMASIVS de Lingua Hellen. p. 147.

v. 23. Ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς σταχύας) Audiendus hic erat BEZA, qui, permutata verborum collocatione, hoc dictum putat: pro ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τίλλειν τοὺς σταχύας, ὁδὸν ποιοῦντες, *uellebant spicas, dum iter faciebant per sata.* Huius autem permutatae verborum collocationis multa sunt cum apud sacros, tum profanos exempla. Vid. GLASSIVS in Philol. Sacr. Lib. IV. tr. 11. p. m. 1241. et VOSSIVS in Institutt. Orat. P. II. p. 254. Quod autem WOLFIVS, ὁ πάνυ, hic scribit, τὸ τίλλοντες non ab ἤρξαντο, sed ποιεῖν regi, id, videat, vt cuiquam persuadeat. Nam si τίλλοντες a τῷ ποιεῖν pendere dixeris, nullus nisi hic sensus elicietur: *viam faciebant et aperiebant sibi, dum spicas euellebant*, *f. spicis evellendis*, adeo vt ὁδὸν ποιεῖν significaret, *viam sibi facere et aperire*, quod ne ipse, opinor, WOLFIVS admiserit, qui pro *iter facere*, *proficisci* accipit: deinde totius loci ratio non admittit hunc sensum: *discipuli viam sibi faciebant*, *dum euellebant spicas*, seu *euellendis spicis*. Nam paullo post Pharisaei dicuntur reprehendisse Discipulos ob rem, quam *tantum* die Sabbati

facere

facere non liceret: atqui, per aliorum sata transgredi, sibique viam facere euellendis spicis, id aeque minus aliis diebus, ac Sabbato, iustum erat. Itaque id reprehendunt, quod Discipuli die Sabbati spicas euellerint comedendi causa: quod diserte confirmat Lucas loco parallelo, c. VI. 1. qui simpliciter habet, ἔτιλλον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τὰς στάχυας, καὶ ἤσθιον, ψώχοντες ταῖς χερσί. Sensus igitur est, *Discipuli iuxta agros frugibus consitos ibant* (ita enim omnino reddendum, non vt vulgo, *per agros*) *et praetereuntes, spicas euellebant et comedebant:* quod Pharisaica illa turba, pietate fallax, Sabbato nefas ducebant. Caeterum, quod Praestantissimus WOLFIVS loquendi formulam ὁδὸν ποιεῖν, pro *proficisci*, a Latinismi suspicione liberare conatur, adducto loco Iosephi Lib. III. Ant. c. V. §. 7. in eo non satis accurate versatus est, cum ibi non ὁδὸν ποιεῖν, sed ἄνοδον ποιεῖσθαι occurrat, quae duo loquendi formae non parum inter se differunt. Et vereor sane, vt haec Marci loquendi ratio, ὁδὸν ποιεῖν pro *proficisci*, a Latinismi suspicione vindicari possit, cum, ex linguae ratione, dicendum fuisset, ποιεῖσθαι. Sciunt interioris linguae graecae periti, quantum discriminis in his loquendi formulis sit inter Vocem Actiuam et Mediam: et multum is falleretur, qui ὁδὸν ποιεῖν et ποιεῖσθαι vnum idemque crederet. Nam ὁδὸν ποιεῖν, vel ὁδὸν ὁδοποιεῖν est *aperire viam, qua iri queat, sublatis impedimentis.* Sic v. c. apud Xenoph. Lib. IV. Ἀναβάσ. p. m. 233. εὐθὺς οἱ Μάκρωνες τὰ δένδρα συνεξέκοπτον, τήν τε ΟΔΟΝ ΩΔΟΠΟΙΟΥΝ ὡς διαβιβάσοντες, *statim Macrones arbores exscindebant, et VIAM SIBI APERIEBANT, traiecturi:* unde apud Iosephum Lib. II. Ant. c. XVI. ὁδὸς πεποιημένη, *via aperta* Israelitis, scisso mari. Contra ea *iter facere, proficisci.* Graeci semper, quantum equidem sciam, Voce Media, ποιεῖσθαι ὁδὸν exprimunt. Sic in loco Iosephi Lib. III. Ant. c. V. §. 7. paullo ante adducto, est ἄνοδον ποιεῖσθαι, non ποιεῖν, de *adscensu Mosis in montem.* Sic *iter facere,* Graecis dicitur, non ποιεῖν, sed ποιεῖ-

ϑαι πορείαν, vt apud Iosephum Lib. II. Ant. C. XVI. §. 2. Τὰς Ἑβραίους ἐκέλευσεν ἕπεσθαι διὰ θείας ὁδὰ ΠΟΙΟΥΜΕΝΟΥΣ τὴν πορείαν, *iussit Hebraeos sequi, incedentes via a Deo patefacta.* Lib. VI. Antiquitatt. C. I. §. 2. ΠΟΙΩΝΤΑΙ τὴν πορείαν: et apud Xenophontem Lib. IV. Αναβάσ. p. 217. χαλεπῶς ΕΠΟΙΟΥΝΤΟ τὴν πορείαν, et sic semper, Voce Media, nunquam, rarissime certe, Voce Actiua. Vid. ad Actor. VII. 24. Ex iis autem, quae diximus, satis apparere putem, ex loquendi more Graecorum, Marco dicendum fuisse ὁδὸν ποιεῖσθαι, non autem ποιεῖν; quae loquendi ratio pro *iter facere, proficisci*, nescio an a Latinismi suspicione liberari possit.

CAPVT III.

V. 21. Οἱ παρ' αὐτῦ, λέγοντες) Non conuenit inter Viros doctos, quomodo verba οἱ παρ' αὐτῦ capienda sint. Et WOLFIVS quidem, RAPHELIVM secutus, putat, illam dictionem complecti *omnes, quocunque modo cum aliquo coniunctos*, ipseque RAPHELIVS τὰς παρ' αὐτῦ h. l. sumit *de propinquis seu fratribus Iesu et matre*. Huic sententiae quoque subscribit ALBERTI, Vir graece doctissimus, in Obseruatt. Philolog. p. 166. Ego sane miror, et RAPHELIVM in hanc interpretationem incidere potuisse, et Viros doctos ei subscripsisse, cum et linguae rationi non satis conueniat, et totius textus συναφεία aduersetur. NORTONVS KNATCHBVLLVS interpretatur, *aliqui ab eo missi:* quae interpretatio linguae rationi optime conuenit; adeo vt mirum sit, non solum RAPHELIVM in Notis Polybian. p. 121. sed ALBERTIVM etiam l. c. de hoc significatu dubitare potuisse. Quid enim clarius in hancrem illo Thucydidis loco Lib. VII. c. 10. p. 471. Edit. Duker. τῦ δ' ἐπιγιγνομένυ χειμῶνος ἥκοντες ἐς τὰς Ἀθήνας ΟΙ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΝΙΚΙΟΥ, *Hieme autem ineunte, QVI A NICIA MISSI ERANT, Athenas peruenerunt.* Atque ita necessario haec verba exponenda esse,

se, docent antecedentia C. VIII. ἔπεμψε καὶ αὐτὸς (Νικίας) εἰς τὰς Ἀθήνας ἀπαγγέλλοντας. Sic apud Xenoph. Disciplina Cyri, Lib. III. p. 52. Edit. Basil. ταῦτα μὲν Ο ΠΑΡ ΕΜΟΥ λέξει, *Haec LEGATVS, s. QVI A ME MISSVS EST, dicet;* quam interpretationem, quae praecedunt, non tam postulant, quam exigunt. Interpres Latinus ibi nihil vidit. Quemadmodum autem οἱ παρά τινος sunt *legati*, *s. missi ab aliquo*, sic τὰ παρά τινος sunt *mandata* (die Commißion) *ab aliquo data*. Sic apud Iosephum Lib. XIII. Ant. C. V. §. 8. οἱ δὲ πρέσβευταὶ ὡς ἦλθον εἰς Ῥώμην, παρελθόντες εἰς τὴν βουλὴν αὐτῶν, καὶ ΤΑ ΠΑΡΑ ΙΩΝΑΘΟΥ τοῦ ἀρχιερέως εἰπόντες, *cum autem Legati Romam venissent, et in Senatum ingressi, MANDATA IONATHAE, Pontificis M. exposuissent.* Neque aliter Lib. V. C. VIII. §. 3. Ἡ δὲ τἀνδρὶ παραγενομένῳ ΤΑ ΠΑΡΑ ΑΓΓΕΛΟΥ ἐκδιηγήσατο, *Illa vero marito reuerso renunciat, quae ab Angelo acceperat:* et sic innumeris locis aliis. Quamquam igitur ex loquendi Graecorum more οἱ παρ' αὐτοῦ significare possit, *missi ab eo*, tamen vereor, vt is significatus huic Marci loco conueniat. Quinam igitur sunt οἱ παρ' αὐτοῦ? Rev. RAPHELIO quidem dubium non est, quin intelligendi sint *Christi propinqui, fratres, et ipsa mater.* Sed quemadmodum id linguae ratio vix concedit, (nam loca Polybii, a RAPHELIO in hanc rem laudata, rem minime conficiunt) ita vereor, vt orationis συνάφεια patiatur. Nam v. 31. demum mentio fit fratrum Christi, eiusque matris, ita quidem, vt foris stetisse, Christumque euocasse dicantur. Quomodo igitur domo exire potuerunt, qui foris steterunt? Scio quid RAPHELIVS in Notis Xenophont. p. 68. hic regerat: Sed ea ratio nimis longe petita, atque adeo coacta mihi videtur. Mea quidem sententia, verba, οἱ παρ' αὐτοῦ, reddenda sunt, *qui vna cum Christo in domo erant.* Quinam autem illi? nempe Apostoli, a Christo tunc constituti, de quibus v. 19. ἔρχονται εἰς οἶκον. Verba autem οἱ παρ' αὐτοῦ (sc. ὄντες) significare, *qui cum eo*

F 2 *erant,*

erant, tritius, opinor, eſt, quam vt exemplis probandum ſit. Vide v. c. 2. Samuel. c. II. v. 31. Quid? quod ipſe WOLFIVS, qui antea RAPHELII ſententiae ſubſcribere videbatur, ad v. 31. ſententia retractata, diſerte dicit, qui v. 21. οἱ παρ' αὐτȢ vocentur, eos intelligendos eſſe *diſcipulos, et alios tunc Chriſto praeſentes*, atque a matre ipſius, et fratribus ſeiungendos.

CAPVT VI.

V. 26. Ὀυκ ἤθελεν αὐτὴν ἀθετῆσαι) Vertente SCHVRZFLEISCHIO, *noluit ei negare;* ſed preſſius reddideris, *noluit eam reiicere*, h. e. nolebat irritum facere, quod ei promiſerat, cum iuraſſet, quodcunque rogaſſet, id ſe ei daturum. Quae interpretatio melius, opinor, reſpondet primae huius vocis ſignificationi, *reiicere, irritum aliquid facere.* Caeterum ἀθετεῖν eodem fere ſenſu eſt apud Ioſephum Lib. XV. Ant. C. II. §. 6. θεασαμένȢ γὰρ, ȢδὲνὲϚ ΑΘΕΤΗΣΕΙΝ ὧν ἀξιοῖ, *fore enim, vt Antonius, his imaginibus viſis, nihil eorum, quae peteret, ei denegaret.*

v. 52. Ὀυ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις) Elegans eſt τῆς ἐπὶ vſus cum Datiuo: ſcilicet denotat *poſt*, et *recens aliquod factum indicat;* nec cum Participio ſolum, vt apud Latinos *poſt Vrbem conditam*, ſed cum adiectiuo quoque et Subſtantiuo. Senſus igitur horum verborum eſt: *Ne nunc quidem intelligebant* miraculoſam Chriſti potentiam, *quum, quod paullo ante panibus acciderat, vidiſſent.* Sic apud Ioſephum Lib. V. Ant. C. I. §. 26. εὖ ποιήσετε σωφρονήσαντες καὶ ΕΠΙ νεαροῖς μετατιθέμενοι ἁμαρτήμασι, *Bene agetis, ſi POST peccata modo commiſſa reſipiſcatis.* Et eodem Lib. C. XI. §. 4. de Phineeſis vxore, μὴ καρτερήσασα ΕΠΙ τῇ τἀνδρὸς δυςυχίᾳ, *non ſuſtinens viuere, POSTQVAM maritus occubuerat.* Caeterum in his Marci verbis inſigne βραχυλογίας exemplum eſt. Nam Ȣ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, dictum eſt pro, οὐδὲν γὰρ συνῆκαν

καὶ ἐπὶ

κατὶ τῷ θαύματι τοῖς ἄρτοις γενομένῳ, Nibil enim intelligebant, ne tunc quidem, cum recens adhuc de panibus miraculum esset. Scilicet ex tam stupendo miraculo, paullo ante in panibus edito, cognoscere potuissent, Christum in omni periculo suis praesentem esse.

CAPVT VII.

V. 4. **Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, ὀκ ἐσθίεσιν)** Subscribo praestantissimo WOLFIO, reiicienti quorundam Codd. Supplementum, post ἀπὸ ἀγορᾶς interferentium ὅταν ἔλθωσιν: nam ea verba haud dubie profecta sunt ex verbis ἀπὸ ἀγορᾶς male intellectis. In eo autem eidem Viro summo subscribere non possum, quod putat, verba ἀπὸ ἀγορᾶς reddenda esse, *cum ex foro redierint.* Laudat quidem RAPHELIVM et ELSNERVM, quasi hunc paullo insolentiorem τῆς ἀπὸ significatum auctoritate Veterum confirmarint: Sed ex omnibus locis allatis ne vnus quidem esse videtur, qui, quod debet, probet et conficiat. Mihi quidem hic locus ita interpretandus videtur, vt, sine intellectis verbis γενόμενοι, ἐλθόντες, ἐρχόμενοι aut similibus, verba ἀπὸ ἀγορᾶς coniungantur cum verbo ἐσθίεσιν, hoc sensu: *Nec res in foro venales edunt, nisi prius se abluerint.* Loquendi ratio ἐσθίειν ἀπό τινος hoc ipso Cap. v. 28. occurrit: ἀγορὰ autem ab optimo quoque scriptore vsurpatur *cum de omnibus rebus, in foro venalibus, tum inprimis de iis, quae ad victum pertinent.* Sic diserte Enarrator Graecus Aristophanis ad Acharnens. v. 21. Ἀγορὰ καὶ τὰ ὤνια σημαίνει: et apud Iosephum Lib. II. Antiquitatt. C. VI. §. 1. de Iosepho, copiam frumenti in Aegypto emendi faciente, καὶ τὴν ΑΓΟΡΑΝ ὀ τοῖς ἐγχωρίοις πεποίηκε μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ξένοις ὠνεῖσθαι παρῆν, *nec solum regionis illius incolis copiam frumenti emendi fecit, sed peregrinis etiam emere licebat:* apud eundem Lib. XIV. Antiquitatt. C. XVI. §. 2. πόῤῥωθεν ΑΓΟΡΑΝ συνεκόμιζεν, *res ad victum necessarias e longin-*

quo comportandas curabat: et de B.I. Lib. I. C. XXVI. §. 3. τῆς ΑΓΟΡΑΣ *ποιεῖσθαι πρόνοιαν, rerum venalium curam agere.* Satis vsitatum est Graecis, vt vna eademque voce et loca, et merces in iis vendi solitas, insigniant: Vid. in hanc rem CASAVBONVS ad Theophrast. περὶ ἀναισθησίας p. m. 314. et CVPERVS Obseruatt. Lib. III. c. 20. Haec est mea de hoc loco sententia: quae si cui forte nimis longe petita videatur, et priorem illam interpretationem praeferendam putet, is sibi negotii id datum existimet, vt illum τῆς ἀπὸ significatum insolentem exemplis luculentioribus probet. In quam quidem rem commode advocari posse putem illud Siracidis C. XXXIV. v. 27. *βαπτιζόμενος* ΑΠΟ *νεκρῦ, qui se lauat REVERSVS A MORTVO CVRANDO.* Caeterum de hoc vocis ἀγορᾶς significatu omnino dignus est, qui consulatur, CASAVBONVS ad Polybium p. 183. Edit. GRONOVII.

v. 11. Κορβᾶν (ὅ ἐςι δῶρον) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμῦ ὠφεληθῇς) Eodem modo, quo hic Marcus fecit, vocem Κορβᾶν interpretatur Iosephus Lib. IV. Ant. C. IV. §. 4. et contra Apion. Lib. I. p. 453. Caeterum totus hic locus, qui Virorum Doctorum ingenia exercuit, et in diuersas sententias distraxit, mihi sic exponendus videtur: *Si quis dixerit patri aut matri suae,* Illud Deo iam consecratum et deuotum est, quo possis a me iuuari, (neque adeo patrem aut matrem beneficiis afficit) *nullam culpam luet, non morietur;* quae ἀπόδοσις ex antithesi v. 10. θανάτῳ τελευτάτω, repetenda mihi videtur. Igitur κορβᾶν s. δῶρον h. l. est res Deo ita dicata et consecrata, vt nihil vtilitatis in alium ex ea redundare possit. Opponuntur autem hic diserte *praeceptum Dei,* et *traditiones hominum: illud* eum iubet mortis poena afficere, qui parentibus nihil beneficii tribuit; *hae* autem pronunciant insontes, et mortis poena eos liberant, qui callidis quibusdam et impiis artibus defraudant parentes debitis beneficiis. Non insolens autem neque Graecis, neque Latinis esse hoc, vt ex antecedente

ora-

oratione aliquid, ſenſu contrarium, *ἀπὸ κοινȣ̃* repetant, res eſt, opinor, notior, quam vt doceri debeat.

CAPVT VIII.

V. 31. Μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναςῆναι) h. e. *tertio die*, ſeu *intra triduum*, vt bene WOLFIVS, qui tamen in eo humanitus errat, quod ſcribit, GLASSIVM in Philolog. Sacr. Lib. III. tr. VI. can. II. oſtendiſſe, profanos quoque auctores τὸ μετὰ ita adhibere, cum id Vir ille doctiſſimus ibi non praeſtiterit, nec illa duo loca ex Homero et Euripide vllo modo huc faciant. Neque tamen dubitandum eſt, quin profani quoque auctores τὸ μετὰ eodem modo vſurpent, et hoc cum ſacris commune habeant, vt annum diemque inceptum et adhuc currentem pro completo et exacto numerent. In quam rem iuuat quaedam exempla ex Ioſepho afferre. Lib. I. Ant. C. XII. §. 2. ὃν (Ἴσακον) εὐθὺς ΜΕΤ ΟΓΔΟΗΝ ΗΜΕΡΑΝ περιτέμνȣσι, *quem circumcidunt* DIE OCTAVO, non autem *poſt octauum diem:* quod intelligi poteſt ex Cap. X. §. eiuſdem Libri, προσέταξε δὲ, (Θεὸς) βȣλόμενος τὸ ἀπ' αὐτȣ̃ γένος μένειν τοῖς ἄλλοις μὴ συμφυρόμενον, περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα, καὶ τȣ̃το ποιεῖν ΟΓΔΟΗΙ ΗΜΕΡΑΙ μετὰ τὸ γεννηθῆναι, *praecepit autem, quia noluit genus ipſius cum aliis commiſceri, vt pudenda circumciderent, idque* DIE OCTAVO *a natiuitate.* Eadem igitur ſunt μεθ' ἡμέραν ὀγδόην, et τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ. Illuſtre quoque huius loquendi rationis eſt exemplum Lib. VI. Ant. C. VI. §. 2. ὁ δὲ περιμένειν αὐτὸν ἐκέλευσεν αὐτόθι, καὶ παρασκευάζειν θύματα. ΜΕΤΑ γὰρ ΗΜΕΡΑΣ ΕΠΤΑ πρὸς αὐτὸν ἥξειν ὅπως θύσωσι ΤΗΙ ΕΒΔΟΜΗΙ ΤΩΝ ΗΜΕΡΩΝ, *Is iuſſit, vt ſe illic opperiretur, atque pararet victimas; ſe enim* SEPTIMO DIE *ad ipſum venturum eſſe, vt* DIE SEPTIMO *ſacra faciant.* Vbi luce clarius eſt, verba μετὰ ἡμέρας ἑπτὰ nihil aliud ſignificare poſſe, quam *die ſeptimo*, cum ſtatim explice-

tur dilucidius per verba, τῇ ἑβδόμῃ τῶν ἡμερῶν: quod cum quidam ignorarent, pro μετὰ ἡμέρας ἑπτὰ legi voluerunt, μετὰ ἡμέρας ἕξ, male et infeliciter! Nam eodem modo infra Lib. VII. C. VII. §. 4. dicitur Davides ob grauiter aegrotantem filium, ex Beetsabe susceptum, cibum non degustasse ΕΠΙ ΗΜΕΡΑΣ ΕΠΤΑ, quod non intelligendum est *de septem diebus integris*, sed tantum *de diebus sex integris et septimo incepto*: mox enim additur, ΤΗι ΕΒΔΟΜΗι ΤΩΝ ΗΜΕΡΩΝ, *septimo die* eum denuo cibo esse vsum. Lib. VII. Antiq. C. XI. §. 6. Ἐκέλευσε - - ΜΕΘ ΗΜΕΡΑΣ ΤΡΕΙΣ ὡς αὐτὸν ἐλθεῖν, quod omnino reddendum, *iussit vt TERTIO DIE ad se veniret:* sequitur enim, ὡς οὐκ ἐπανῆει, ΤΗι ΤΡΙΤΗι ΤΩΝ ΗΜΕΡΩΝ etc. *cum non reuersus esset, TERTIO DIE etc.* Neque aliter Lib. VIII. C. VIII. §. 1. vbi Roboamus dicitur promisisse populo, se ei responsum esse daturum ΜΕΤΑ ΤΡΕΙΣ ΗΜΕΡΑΣ, h. e. *TERTIO DIE:* sequitur enim mox §. 2. postquam populus conuenerat ΤΗι ΤΡΙΤΗι ΤΩΝ ΗΜΕΡΩΝ, *TERTIO DIE.* De B. I. Lib. I. C. XVI. 2. προπέμψας πεζῶν τρία τέλη, καὶ μίαν ἴλην ἱππέων πρὸς Ἀρβῆλα κώμην, αὐτὸς ΜΕΤΑ ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΝΤΑ ΗΜΕΡΑΣ ΕΠΗΛΘΕ, *praemissis tribus peditum cohortibus, et vna equitum turma in vicum Arbela, ipse QVADRAGESIMO DIE superuenit:* ita enim reddendum. Nam in Antiquitatt. Lib. XIV. C. XV. §. vbi eadem res narratur, pro μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας est, ἧκε ΕΙΣ ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΗΝ ΗΜΕΡΑΝ. Sic quod Lib. I. de B. I. C. XIII. §. 1. dicitur ΜΕΤΑ ΔΥΟ ΕΤΗ, id Lib. XIV. Antiquitatt. C. XIII. §. 3. exprimitur per ΔΕΥΤΕΡΩ ΕΤΕΙ, *anno secundo:* de quo Iosephi loco cf. PAGIVS in Critica Baron. T. I. ad annum Christi 236. §. 5. Est sane hoc inprimis tenendum, Auctores saepissime in tempore definiendo annos modo *completos*, modo *inchoatos* numerare: cuius rei ignoratio Viros etiam doctissimos saepe in eum opinionis errorem perduxit,

duxit, ut Historicos inter se pugnare putarent. Sic Iosephus Lib. XVII. Ant. C. XIII. §. 1. tradit, Archelaum Viennam exsulatum missum esse ΔΕΚΑΤΩι τῆς ἀρχῆς ΕΤΕΙ, *DECIMO ANNO imperii sui.* Sed ecce, idem Iosephus de B. I. Lib. II. C. VII. §. 3. factum id esse scribit ΕΤΕΙ τῆς ἀρχῆς ΕΝΝΑΤΩι, *NONO ANNO imperii sui;* quod vtrumque verum est. Neque enim in hac re sibi ipsi aduersatur Iosephus, vt inepte, hoc etiam nomine, Iosephi fidem suspectam reddere conatus est BARONIVS, recte eam ob caussam a CASAVBONO castigatus. Nam cum *decimo anno* Archelaum relegatum scribit, intelligit *annum inchoatum:* cum autem id factum esse tradit *anno nono*, accipit hoc de *anno exacto et completo.* Vid. de his duobus Iosephi locis, eorumque conciliandorum ratione, CASAVBONVS contra Baronium Exercit. IX. p. m. 217. Is. VOSSIVS in Chronolog. Sacra C. XVI. p. 158. et PAGIVS in Critica Baron. T. I. ad an. Christi XIV. p. 13. Sic, quod magis mirum cuiquam videri possit, Suetonius in Vita Aug. C. LXV. scribit: *Caium et Lucium IN DVODEVIGINTI mensium spatio amisit ambos.* Sed ecce, idem Auctor in Tiberio C. XV. tradit: *Caio et Lucio INTRA TRIENNIVM defunctis:* quae duo loca, inter quae multum pugnae esse videtur, ita concilianda sunt, vt dicamus, Suetonium priori loco accurate, altero autem ita locutum esse, vt primum et tertium annum inchoatum pro completo numerarit. Vide de hoc Suetonii loco, totaque hac numerandi ratione, PAGIVM in Dissertat. Hypatica C. II. Haec paullo fusius disputare placuit, vt tironibus numerandi hunc morem paullo familiarem redderemus, cuius ignoratio, vix dici potest, in quam crassos interdum errores etiam doctissimos Viros induxerit.

Capvt XI.

V. 11. Ὅτι λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, ὅτι Ἡλίαν δεῖ ἐλθεῖν) Quidam Codd. τὸ ὅτι omittunt: alii eius loco πῶς exhibent, quod vtrumque ex ignorato ſignificatu huius particulae ortum eſt. Neque hic ſolum, ſed infra etiam v. 28. pro ὅτι quidam Codd. legunt διὰ τί, alii τί ὅτι: male. Scilicet ὅτι apud optimum quemque denotat *CVR*, *QVARE*. Ioſephus Lib. VI. Ant. C. XI. §. 9. Ὡς δὲ καὶ τῇ δευτέρᾳ τῆς νουμηνίας οὐ παρῆν, ἐπυνθάνετο παρὰ τοῦ παιδὸς Ἰωνάθου, ΟΤΙ καὶ τῇ παρελθούσῃ καὶ ταύτῃ τοῦ δείπνου καὶ τῆς ἑστιάσεως ὁ τοῦ Ἰσσαίου παῖς ἀπολέλειπται: *Poſtquam autem* Dauides *poſtridie nouilunii non aderat, quaerebat* Saulus *a Ionatha filio, QVARE Ieſſaei filius tam pridie, quam eo die a conuiuio et coena abfuerit?* Lib. VIII. Ant. C. IV. §. 2. πρὸς τοὺς ἐπιζητήσαντας, ΟΤΙ πάντες οἱ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖς - - ἀναγκαῖον ἡγησάμην εἰπεῖν, *Quaerentibus, QVARE omnes Aegyptiorum reges - - neceſſarium duxi aliquid dicere.* Lib. XII. Antiquitatt. C. IV. §. 9. ἐρομένου τοῦ βασιλέως, ΟΤΙ τοσαῦτα αὐτῷ παράκειται ὀστᾶ. *Rege interrogante, CVR tot ante eum iaceant oſſa?* Et ſic quoque apud alios auctores, v. c. Ariſtophanem in Plut. v. 19. Lucian. Aſin. T. II. p. 99. Edit. GRAEVII.

v. 22. Ἀλλ᾽ εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν) Eleganter τὸ ἀλλὰ in precationibus praefigi ſolet, et fere *quaeſo, obſecro* denotat. Sic apud Ioſephum Lib. XI. C. V. §. 6. vbi Neemias rogat, vt ei poteſtatem in patriam proficiſcendi faciat: ἈΛΛΑ χάρισαί μοι πορευθέντι τὸ τεῖχος ἀνεγεῖραι, *Hoc mihi QVAESO concedas, vt in patriam profecto liceat muros excitare.* Et Lib. VII. Ant. C. VIII. §. 1. vbi Thamar fratrem Amnonem rogans, ne ſibi ſtuprum inferat, ita alloquitur: ἈΛΛΑ μὴ σύγε τοῦτο βιάσῃ με. *Noli, QVAESO, mihi vim inferre.* Sic de Vita Ioſephi § 57. ἈΛΛ᾽ εἴγε μὴ ὀρθῶς ἔπραξα, - - παύ-

εσθι

ἐσθε χαλεπαίνοντες, *QVAESO VOS*, *si non recte fecerim - - desinite mihi irasci.*

v. 23. Τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι) Miror sane, Viros doctos ad illud τὸ offendisse, difficultatemque quaesiuisse, vbi nulla sit, cum alii id eliminandum, alii otiosum, alii in τί mutandum, alii denique pro τοῦτο positum contendant: cum huius Articuli vsu nihil sit elegantius, nihil apud Scriptores cum sacros, tum profanos frequentius. Scilicet Articulus Praepositiuus, Genere Neutro adhibitus, non solum interrogationibus, vt Cl. MAIVS putat, quod huic loco Marci ne conuenit quidem, sed vnicuique sententiae praeponitur, sequentemque adeo sententiam indicat. Iuuat in hanc rem primum ex Scriptoribus sacris vnum et item alterum exemplum afferre. Luc. I. 62. Ἐνένευον δὲ τῷ πατρὶ αὐτοῦ, TO τί ἂν θέλοι καλεῖν αὐτόν· vbi illud τὸ indicat, quid nutu significare voluerint, nempe id, *quo nomine vocandus sit*: vt adeo non satis accurate ELSNERVS, V. D. ibi τὸ abundare putet. C. IX. 46. Εἰσῆλθε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, TO, τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν: vbi τὸ eandem vim obtinet. Sic illud τὸ quinquies in vno Cap. XXII. Lucae occurrit, v. 2. 4. 23. 24. 37. neque tamen quemquam Interpretum, quantum equidem sciam, in iis locis, vti nec aliis multis, illud τὸ offendit, quod in hoc Marci loco negotium, nescio quod, iis videtur facessisse. Neque aliter Actor. XXII. 30. et 1. Corinth. IV. 6. In dubitandi forma eodem modo vsurpatur; Epist. ad Rom. VIII. 26. πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν· TO γὰρ τί προσευξώμεθα, καθὸ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν. Huc refero quoque locum Actor. IV. 21. Neque sacri solum, sed profani etiam scriptores illud τὸ ita eleganter adhibent. Iosephus de B. I. Lib. VII. C. V. §. 2. ἐπ' ἀδήλῳ δὲ, TO τί φρονεῖ: *cum incerti essent, quid sentiret*: vbi quidam Codd. τῷ τί φρονεῖ· male: Sic Diodor. Siculus p. 83. σεμνότατα διείληπται παρ' Αἰγυπτίοις, TO τοὺς γονεῖς ἢ τοὺς προγόνους φανῆναι

νῆναι περιττότερον τετιμηκότας εἰς τὴν αἰώνιον οἴκησιν μεταςάντας.

Caput X.

V. 26. Καὶ τίς δύναται σωθῆναι) Illud καὶ neque cum GROTIO ab Hebraiſmo repetendum, neque cum WOLFIO pro ἄρα *igitur* ſumendum eſt, ſed ex vſu loquendi optimorum Auctorum iis interrogationibus praeponitur, quae non ſine aliqua admiratione inſigni inſtituuntur; vt vel ex hoc ipſo Marci loco intelligere licet. Sic apud Ioſephum Lib. XVIII. C. VI. §. 6. Τιβέριος δ' αὐτὸν ἤρετο, ΤΙ ΚΑΙ ἔχοι λέγειν κατ' ἀνδρὸς ἐλευθερίαν αὐτῷ παρεσχηκότος, *Tiberius autem illum interrogabat, quid TANDEM haberet, quod diceret contra virum, qui ipſum in libertatem vindicaſſet?* Latini in ea re fere *tandem* vſurpant.

v. 37. Δὸς ἡμῖν) διδέναι pro *permittere, concedere*, non eſt ex Hebraiſmo repetendum, ſed optimo cuique Auctorum vſurpatum. Ioſephus Lib. X. §. 2. εἰδέναι δ' ἔτι καὶ βουλήσει Θεοῦ τὴν ἐπ' αὐτὸν ςρατείαν πεποίηται, ὃς αὐτῷ καταςρέψασθαι καὶ τὴν τῶν Ισραηλιτῶν βασιλείαν ΔΕΔΩΚΕΝ, *Scire autem oportere, quod voluntate Dei in eum expeditionem fecerit, qui etiam regni Iſraelitarum euertendi poteſtatem ipſi dederit:* et C. XI. eiusdem Lib. §. 2. τοῦτο γὰρ ποιήσαντι ΔΩΣΕΙΝ πορφυρᾶν ἐσθῆτα φορεῖν, *quod ſi fecerit, ſe ei poteſtatem facturum eſſe purpurae geſtandae.* et Lib. XII. Antiquitatt. C. III. §. 3. ΔΙΔΩΜΙ τοῖς τε νῦν κατοικοῦσι - - ἀτελέσιν εἶναι, *Concedo iis, qui eam nunc inhabitant, immunitatem.*

Caput XIV.

V. 8. Προέλαβε μυρίσαι μου τὸ σῶμα εἰς τὸν ἐνταφιασμόν) *Praeuenit, occupauit me vngere.* Hanc notionem Vox προλαμβάνειν apud optimum quemque Scri-

Scriptorem obtinet. Iosephus Lib. II. Ant. c. VII. §. 5. Μαθὼν δὲ Ἰώσηπος, παραγενόμενον τὸν πατέρα· καὶ γὰρ ΠΡΟΛΑΒΩΝ Ἰούδας ὁ ἀδελφὸς ἐδήλωσεν αὐτῷ τὴν ἄφιξιν, *Cum cognovisset Iosephus, Patrem aduentare, nam Iudas frater praecurrens ipsi eius aduentum significauerat.* Neque aliter c. XI. §. 2. τῶν χωρίων δυσύδρων ὄντων, ΠΡΟΚΑΤΕΛΑΜΒΑΝΟΝ οἱ ποιμένες τὰ φρέατα; *Cum in istis regionibus aquarum sit penuria, pastores dant operam, vt primi occupent puteos:* vnde Lib. VII. Ant. c. XI. §. 5. οἱ προληφθέντες, *qui anticipati sunt,* denen man in einer Sache zuvor kommen ist. Vide, si tanti sunt, quae ad Plutarchum de Audiend. Poetis p. 102. seqq. de hac voce notauimus.

v. 72. Καὶ ἐπιβαλὼν, ἔκλαιε) Varias, easque valde discrepantes, Virorum doctorum de voce ἐπιβαλὼν sententias diligenter recensuit accuratissimus WOLFIVS. Mihi quidem unice vera videtur illa, qua ἐπιβαλὼν redditur, *capite operto, veste capiti iniecta*, duplici nomine commendabilis illa, atque recipienda; primum, quia luctui Petri optime conuenit, deinde linguae rationi prae reliquis omnibus congrua est. Constat enim, qui in graui aliquo luctu versarentur, eos *capite operto* fleuisse. Sic apud Iosephum Lib. VII. Ant. c. X. §. 5. de Dauide, Absalomi mortem deplorante, κατακαλυψαμένε δὲ τοῦ βασιλέως καὶ στένοντος, *cumque Rex, vultu velato, filii casum lugeret.* Hunc lugentium habitum vt Veteres exprimerent, effigiem luctus, teste Epigrammatista Anthol. Lib. V. Epigr. 32. p. 527. Edit. Francof. ita adumbrarunt: Φᾶρος γὰρ ἐπικρεμὲς ἀμφὶ προσώπῳ Πήματα μὲν δείκνυσιν. *Velamenta vero supra faciem suspensa, Dolores indicant.* Praeterea haec interpretatio optime linguae rationi conuenit. Scilicet Viri docti dudum viderunt, in voce ἐπιβαλὼν esse quandam ellipsin, per τὸ ἱμάτιον supplendam. Sed nolim iisdem in hanc rem locis vti, quae vulgo afferuntur. Nam in omnibus fere est, κατακαλυψάμενος, Voce Media, quae, vti dudum KVSTERVS in aureo illo

lo libello de verborum mediorum vſu docuit, reddenda eſt, *quum ſe ipſum obuelaſſet*, vt adeo tunc nullus Accuſatiuus ſubaudiendus ſit, quod ſecus eſt in τῷ ἐπιβαλών. Si in locis allatis dictum eſſet συγκαλύψας, κατακαλύψας etc. Voce Actiua, eſſet ſane, quare iis vereremur. Alia igitur ratione res expedienda eſt. Scilicet in voce ἐπιβαλὼν, et ſimilibus ſubintelligendum eſt τὸ ἱμάτιον. Apprime ad rem praeſentem facit locus 1. Cor. XI. 4. κατὰ κεφαλῆς ἔχων, *caput velatum habere*, vbi negari nequit, κάλυμμα omiſſum eſſe, vti in τῷ ἐπιβαλὼν ſubintelligendum ἱμάτιον. In uniuerſum ſatis conſtat, in quibusdam formulis loquendi, quae familiariſſimae, atque adeo unicuique notiſſimae erant, ſaepiſſime ab Auctoribus vnam aliquam vocem non diſerte exprimi, ſed lectoris menti ſupplendam relinqui. Eius rei dabo illuſtre exemplum, quo I ad ipſam, qua hoc loco vtimur, loquendi formam ſpectat. Scilicet, quemadmodum h. l. vbi de *capite velato* ſermo eſt, ἐπιβαλὼν ponitur, τῷ ἱμάτιον omiſſo; ita LXX. Seniores in eadem loquendi formula verbum exprimere neglexerunt. Locus eſt Eſth. VI. 12. Ἀμὰν δὲ ὑπέςρεψεν εἰς τὰ ἴδια, λυπȣ́μενος ΚΑΤΑ ΚΕΦΑΛΗΣ: vbi quisque intelligit, ſubintelligendum eſſe κεκαλυμμένος: et ſic diſerte eſt in Ebraico, אָבֵל וַחֲפוּי רֹאשׁ *contriſtatus et opertus capite.* Similem Ellipſin in alia loquendi formula, ipſa quoque ad luctum exprimendum adhiberi ſolita, deprehendi apud Ioſephum Lib. IX. Ant. c. VII. §. 3. de Gotholia, περιῤῥηξαμένη καὶ δεινὸν ἀνακράζȣσα, *veſtem ſuam diſcindens, et valde clamans*, vbi in τῷ περιῤῥηξαμένη omiſſa eſt vox ἐσθῆτα, aliis locis v. c. Lib. X. c. IV. §. 2. περιῤῥηξάμενος τὴν ἐσθῆτα, a Ioſepho addita. Non diſſimili igitur modo in τῷ ἐπιβαλὼν ſubintelligendum relinquitur ἱμάτιον, vti apud Euripidem in Electr. v. 1221. quod Boſius iam notauit, ἐγὼ μὲν ΕΠΙΒΑΛΩΝ ΦΑΡΗ κόραις ἐμαῖσι, *equidem pallium oculis meis iniiciens.* Idem igitur hac loquendi formula Marcus indicat, quod Matthaeus XXVI. 75. ἔκλαυσε πικρῶς.

CAPVT XV.

V. 44. ὁ δὲ Πιλάτος ἐθαύμασεν, εἰ ἤδη τέθνηκε) BEZA eiusque sequaces errant, cum εἰ per *si* reddunt, Pilatumque dubitasse, an Christus iam mortuus sit, putant: falsum hoc esse, ex ipsius Pilati interrogatione, εἰ πάλαι ἀπέθανε, apparet. Omnino igitur haec particula pro ὅτι, *quod*, sumenda est. Nam τὸ εἰ, post verba inprimis admirandi, saepissime non dubiam, sed certissimam admirationis causam denotat. Iosephus Lib. III. Antiquitt. c. I. §. 7. τῶν δὲ πρὸς τὴν ἀκοὴν καταπλαγέντων, ΕΙ -- ἀνάγκη γένοιτο κόπτειν τὴν πέτραν, *Hi autem cum, hoc cognito, summopere admirarentur, se necesse habere petram exscindere.* Lib. IX. c. IX. §. 2. Θαυμάζειν ἔλεγεν, ΕΙ τούτους ἡγεῖται Θεοὺς, *se mirari dicebat, eum existimare, hos esse Deos.* Lib. XIV. Ant. c. VII. § 2 Θαυμάσῃ δὲ μηδεὶς, ΕΙ τοσοῦτος ἦν πλοῦτος ἐν τῷ ἡμετέρῳ ἱερῷ, *ne quis autem miretur, tantas divitias in templum nostrum esse congestas.* Contra Apion. Lib. I. § 12. πῶς οὖν ἔτι θαυμάζειν προσήκει, ΕΙ μηδὲ τὸ ἡμέτερον ἔθνος πολλοῖς ἐγιγνώσκετο, *Quomodo igitur mirari conuenit, gentem nostram plurimis non notam fuisse?*

v. 46. Κατέθηκεν αὐτὸν ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας) Magnus ille SALMASIVS ad Solinum p. 851. obseruat, haec verba male verti, *ex petra aut rupe excisum*, cum πέτρα ex usu Graeciae mediae dicatur *lapis*, atque adeo reddendum sit, *monimentum ex lapide caeso et polito constructum.* Quam SALMASII sententiam confirmat hic Iosephi locus Lib. XVI. Ant. c. VII. §. I. μνῆμα λευκῆς ΠΕΤΡΑΣ, *monimentum ex albo lapide constructum.* Caeterum de sepulcris veterum, quam maxime diversis a nostris, fuse et docte disputat SALMASIVS l. c.

IN

* *

IN EVANGELIVM S. LVCAE.

CAPVT I.

v. 9.

Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι) h. e. *scripserunt*, *composuerunt*, ut dudum obseruatum est CASAVBONO. Nam ἐπιχειρεῖν, alteri verbo iunctum, saepe otiose, et de effectu alicuius rei, sine respectu ad conatum, ponitur. Sic Iosephus Lib. I. contra Apion. T. II. p. 439. Οἱ μέν τοι τὰς ἱσορίας ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΑΝΤΕΣ συγγράφειν παρ' αὐτοῖς, *qui historias inter eos composuerunt:* et in sui ipsius vita, T. II. p. 31. Ἴϛος γοῦν συγγράφειν τὰς περὶ τούτων ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΑΣ πράξεις, *Iustus igitur*, *quae a nobis gesta sunt*, *scripsit*. Sed haec loquendi ratio hodie post CASAVBONVM et RAPHELIVM est satis nota.

v. 5. ἱερεύς τῷ ὀνόματι Ζαχαρίας, ἐξ ἐφημερίας Ἀβία) Sic apud Iosephum Lib. XII. Ant. c. VI. §. ἱερεὺς ἐξ ΕΦΗΜΕΡΙΑΣ Ἰωάριβος, *sacerdos ex classe*, f. *familia Ioaribi*. vid. I. Chron. c. XXIV. v. 7. scilicet ἐφημερία proprie est *functio unum diem durans*: quo respicit Hesychii glossa: ἐφημερία, ἡ τῆς ἡμέρας λειτουργία: apud LXX. Seniores autem, et caeteros, qui de rebus sacris exponunt, ἐφημερία modo *functio per vices statis diebus suscipienda*, modo *ipsa classis Sacerdotum*, *qui eam functionem obeunt*, dicitur. Vterque significatus apud Iosephum, qui pro ἐφημερία interdum ἐφημερὶς vsurpat, occurrit. Pro *ipsa functione* est Lib. VII. Ant. c. XV. §. 7. κληρωσαμένων, κατὰ τὸν αὐτὸν ἀνέβησαν τρόπον τῶν ἱερέων ΕΦΗΜΕΡΙΣΙΝ ἐπὶ ἡμέρας ὀκτώ: *Sortitione facta* inter Levitas, *et illis*, *quemadmodum Sacerdotibus*, *octoni ministerii dies obtigerunt:*

gerunt: pro *classe Sacerdotum* autem occurrit cum loco, paullo ante laudato, tum in vita Iosephi, statim ab initio: *ἐμοὶ δ' οὐ μόνον ἐξ ἱερέων ἐστὶ τὸ γένος, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς πρώτης* ΕΦΗΜΕΡΙΔΟΣ *τῶν εἰκοσιτεσσάρων*, *Ego non solum ex Sacerdotum genere oriundus sum, sed etiam ex classe, inter illas viginti quatuor prima.* Hae Sacerdotum classes dicuntur Iosepho quoque **πατριαὶ**: cuius in hanc rem verba, quando ad rem praesentem faciunt, huc transferre non grauabor. Ita autem Lib. VII. Ant. c. XV. §. 7. de Dauide: *διεμέρισε δ' αὐτοὺς κατὰ πατριάς, καὶ χωρίσας ἐκ τῆς φυλῆς τοὺς ἱερεῖς, εὗρε τούτων εἴκοσι τέσσαρας πατριάς· καὶ ἐκ μὲν τῆς Ἐλεαζάρου οἰκίας ἑκκαίδεκα, ἐκ δὲ τῆς Ἰθαμάρου ὀκτώ. διέταξέ τε μίαν πατριὰν διακονεῖσθαι τῷ Θεῷ ἐπὶ ἡμέρας ὀκτὼ, ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον· καὶ οὕτως αἱ πατριαὶ πᾶσαι διεκληρώσαντο, Δαυΐδου παρόντος καὶ Σαδώκου καὶ Ἀβιαθάρου τῶν ἀρχιερέων, καὶ πάντων τῶν Ἀρχόντων*: *illos autem in familias distribuit, et separatis a reliqua tribu Sacerdotibus, horum viginti quatuor familias inuenit: et quidem ex Eleazari domo sexdecim, ex Ithamari vero octo: instituitque, vt quaeque familia ministraret Deo per dies octo, a Sabbato ad Sabbatum. Atque sic familiae omnes sortem suam acceperunt, in praesentia Davidis, Sadoci et Abiatharis et omnium principum.* Caeterum a voce **ἐφημερία**, qua *functionem ipsam* denotat, formata est illa, **ἐφημερευτής**, apud Philon. *de vita contempl.* p. 899. Fuerunt autem **ἐφημερευταὶ** quoddam genus ministrorum apud Therapeutas; quae vox in STEPHANI Thesauro Gr. L. non reperitur.

v. 7. **Προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν**) Non repugnauerim VORSTIO et WOLFIO, Hebraismum hic agnoscentibus: non dissimili tamen modo Iosephus Lib. VII. Ant. c. II. §. I. scripsit, **οἱ** ΤΟΙΣ ΧΡΟΝΟΙΣ **προβεβηκότες**, *homines aetatis prouectioris.* Caeterum, qui propter aetatem prouectiorem omnes liberos procreandi spem amiserunt, Philoni dicuntur **ὑπερήλικες**, in Lib. de *Abrahamo* p. 365. et p. 384.

v. 48. ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δϰ-λης αὐτϰ) Deus *afflictionem adſpicere* dicitur, cum hominem afflictum propitius reſpicit, eiusque preces exaudit: locutione Scriptoribus ſacris uſitatiſſima. Vid. v. c. 1. Samuel. I. 11. Sic apud Ioſephum eſt ἐφορᾶν, Lib. VI. de B. I. c. II. §. 4. εἰ τις (Θεὸς) ΕΦΩΡΑ ποτὲ τόνδε τον χῶρον, *Si quis*, Deus, *olim hunc locum clementia ſua complexus et tuitus eſt.*

v. 62. Τὸ, τί ἂν θέλοι καλεῖσθαι αὐτό) Illud τὸ non plane otioſum eſſe, quae ELSNERI ad h. l. ſententia eſt, oſtendimus ſupra ad Marc. XI. 23. In pronomine autem τί ſubintelligendum eſſe ὄνομα, facile intelligitur. Ioſephus Lib. IX. Ant. c. VII. §. 1. εἰσελθϰσα δὲ εἰς τὸ βασίλειον, καὶ τοῖς ἀπεσφαγμένοις τὸν Ἰώασον, ΤΟΥΤΟ γὰρ προσηγορεύετο τὸ παιδίον ἐιάυσιον -- εὑρϰσα, *cum autem ingreſſa eſſet in regiam, et Ioaſum, hoc enim nomine appellabatur puer anniculus, reperiſſet inter caeſorum cadavera.* Interdum ὄνομα diſerte additur, vt Lib. X. Ant. c. XI. §. 4. de Dario, ὃς ἦν Ἀσυάγϰς υἱὸς, ἕτερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐκαλεῖτο ΟΝΟΜΑ, *qui Aſtyagis filius erat, et alio nomine apud Graecos vocabatur.* Adde XI. c. V. Cf. IENSIVS in Lect. Lucian. Lib. I. c. VIII. p. 87.

v. 63. Ἔγραψε, λέγων) Scio, non unam eſſe horum verborum interpretationem: ſed ea vnice vera, παρ' ἐμοίγε κριτῇ, eſt, quae reddit, *ſcripſit his verbis*, ſeu *ſcripſit, his verbis uſus:* quod ad Hebraeorum loquendi morem dictum videri poſſit (quae WOLFII ad h. l. ſententia eſt) quem LXX. Seniores ſaepe, v. c. II. Regg. X. 1. et 6. ſecuti ſunt. Neque tamen ea loquendi ratio aliis inuſitata eſt. Ioſephus Lib. XIII. Ant. c. IV. §. 1. Πτολεμαῖος δὲ, προσδεξάμενος ἡδέως τὴν μνηστείαν, ΑΝΤΙΓΡΑΦΕΙ ΛΕΓΩΝ. *Ptolomaeus autem, cum libenter poſtulatis eius annuiſſet, RESCRIPSIT HIS VERBIS.*

v. 71. Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν) Simili ratione dixit Ioſephus Lib. IX. Ant. c. VIII. §. 5. ὁ Θεὸς δίδωσιν αὐτῷ τὴν ΕΚ τϰ πολέμϰ καὶ τῶν κινδύνων ἄδειαν· *Deus ipſi conceſ-*

cessit, vt ab omni et belli et periculorum metu securus sit: vt autem χεὶρ h. l. *potestas* est, sic fere apud eundem dicitur: Lib. VI. Ant. c. VII. §. 3. θαῤῥήσας δὲ, ὡς καὶ χειρὸς αὐτῷ καὶ συνεργίας ἤδη προσγεγενημένης, *et iam fiducia elatus, quod ei potestas creuerit, et auxilium venerit.* Sic Lib. XVII. c. II. §. 4. κατὰ χεῖρα γὰρ ἐκείνῳ πάντα εἶναι, *omnia sub eius potestate esse.*

v. 74. Ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας) Obseruatum iam IENSIO est in Fercul. Liter. p. 35. ῥύειν passim sumi pro *liberare*, idque ex summo et extremo periculo; quod confirmat quoque multis locis Iosephus. Sic v. c. Lib. VII. Ant. c. VII. §. 4. de Deo, qui Dauidem saepius ex insidiis Sauli, praesentisque adeo mortis periculo, liberauit, ΡΥΣΑΜΕΝΟΥ (αὐτὸν) ἐκ τῶν Σαούλου χειρῶν, *qui eum manibus Sauli eripuit:* non minus vsitate haec vox vsurpatur de iis, qui ab hostibus capti, λύτρῳ quodam rediumuntur. Sic Lib. XIV. c. XV. §. 10. κρατήσας δὲ τῶν νεκρῶν Ἀντίγονος, ἀποτέμνει τὴν Ἰωσήπου κεφαλὴν -- πεντήκοντα ταλάντων αὐτὴν ΡΥΟΜΕΝΟΥ, *Antigonus autem, occisorum potitus, Iosephi caput abscidit, Pherora eius fratre id quinquaginta talentis redimere volente:* Sic in Vita Iosephi T. II. p. 8. §. 15. occurrit priori significatu: Διὰ τοῦτ' οἶμαι καὶ τὸν Θεὸν, οὐ γὰρ λελήθασιν αὐτὸν οἱ τὰ δέοντα πράττοντες, καὶ ἐκ τῆς ἐκείνων ΡΥΣΑΣΘΑΙ με χειρὸς, καὶ μετὰ ταῦτα πολλοῖς περιπεσόντα κινδύνοις διαφυλάξαι, *Quamobrem arbitror Deum (ipsum enim non latent, qui honeste se gerunt) ex illorum etiam manibus me eripuisse, ac deinde, cum in multa pericula incidissem, conseruasse.* Vtraque huius vocis notio huic Lucae loco apprime conuenit.

CAPVT II.

V. 1. Ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην) Disputant hic Interpretes, vtrum per οἰκουμένην totum imperium Romanum, an

Iudaea tantum intelligi debeat. Vtriusque sententiae defensores adduxit WOLFIVS, quibus adde laudatos a WINCKLERO, Viro S. R. in Hypomn. Philologico-Critic. p. 25. seqq. Sed poterant Viri docti tota hac disputatiuncula supersedere, cum ipsa vox οἰκουμένη doceat, de toto imperio Romano hic esse sermonem. Non equidem is sum, qui neget, τὴν οἰκουμένην *Iudaeam* etiam interdum dici; sed hic significatus, minime vulgaris, ibi tantum concedendus et admittendus est, vbi res ipsa docet, de Iudaea esse sermonem. Sic apud Iosephum vox οἰκουμένη denotat illa quidem *Iudaeam*, sed hunc significatum ipsa res, de qua ibi agitur, exigit. Locus est Lib. VIII. Ant. c. XIII. §. 4. vbi sermo est de Rege Achabo: ὁ βασιλεὺς -- περιπέμψας κατὰ ΠΑΣΑΝ ΤΗΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ τοὺς ζητήσοντας τὸν προφήτην Ἠλίαν, *Rex per totum orbem*, h. e. imperium Iudaicum, *cum misisset, qui Eliam vatem perquirerent:* vbi ipsius rei ratio, de qua exponitur, postulat, vt οἰκουμένη de *Iudaea* tantum accipiatur. Et hoc strictiori sensu est Lib. XIV. c. VII. §. 2. de quo loco paullo post dicemus. Vsitatius autem et frequentius de toto terrarum orbe, qui quidem cultus inhabitabatur, ea vox vsurpatur. Sic apud eundem de B. I. Lib. V. c. V. §. 1. de thesauris sacris in templo Hierosolymitano conditis, οἱ ἱεροὶ θησαυροὶ πάντες, οὓς ἀνεπίμπλασαν οἱ παρὰ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ δασμοὶ πεμπόμενοι τῷ Θεῷ, *omnes thesauri sacri, quos ex toto orbe missa Deo tributa impleverant:* hoc enim loco non dubium est, quin per τὴν οἰκουμένην intelligendus sit totus terrarum orbis, per quem Iudaei dispersi degebant; quod ipse Iosephus docet alio loco, Lib. XIV. Ant. c. VII. §. 2, vbi de eadem re paullo dilucidius exponit his verbis: Θαυμάσῃ δὲ μηδεὶς, εἰ τοσοῦτος ἦν πλοῦτος ἐν τῷ ἡμετέρῳ ἱερῷ, πάντων τῶν κατὰ ΤΗΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ Ἰουδαίων, καὶ σεβομένων τὸν Θεὸν, ἔτι δὲ καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης εἰς αὐτὸ συμφερόντων ἐκ πολλῶν πάνυ χρόνων, *Nemo autem miretur, tantas diuitias in templum nostrum congestas esse, quia omnes Iudaei et Proselyti*

elyti cum ex IVDAEA, tum ex ASIA et EVROPA, per multa secula eo munera miserunt: vbi ἡ οἰκουμένη, quoniam ab *Asia* et *Europa* diserte distinguitur, speciatim de *Iudaea* capiendum est: quod autem hic Iosephus vocibus οἰκουμένης, Ἀσίας, Εὐρώπης exprimit, id loco paralello vna οἰκουμένης voce indicauit, adeo vt ibi vox οἰκουμένη de toto orbe terrarum intelligenda sit. Iam, cum tunc temporis totus fere terrarum orbis, quatenus excultus erat, et inhabitabatur, Romano imperio subiectus esset; factum est, vt ἡ οἰκουμένη quodammodo κατ' ἐξοχὴν de Imperio Romano dicatur. Illud quidem, neminem esse putem, qui negare audeat, apud Scriptores Graecos, qui quidem de rebus Romanorum exponunt, τὴν οἰκουμένην *orbem Romanum*, seu omnes regiones, Romanorum imperio subiectas, significare. Sic aliquoties apud unum *Dion. Cassium*, v. c. Lib. LX. p. 677. Lib. LXIII. p. 721. et 725. Interdum vocem addunt, qua clarius indicant, quid per τὴν οἰκουμένην intellectum velint: Apud eundem *Dionem* Lib. LXIII. p. 724. dicitur ἡ τῶν Ῥωμαίων οἰκουμένη, et apud HERODIANVM Lib. V. c. 2. ἡ ὑπὸ τοὺς Ῥωμαίους οἰκουμένη. Hanc autem vocem Scriptores Graeci, Romanum imperium indicaturi, mutuo sumserunt a Latinis, qui *Romanum imperium*, magnitudinem eius adumbraturi, vocant *orbem terrarum*, ob rationem redditam a DIONYS. HALICARNASSENSI, Lib. I. Ant. Roman. p. 3. ἡ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς, ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται. *Romanorum civitas imperat per cunctas terrarum plagas, quae quidem inaccessae non sunt, sed habitantur ab hominibus.* In eandem sententiam FLORVS in Praefat. ROMANVS *populus ita late per ORBEM TERRARVM arma circumtulit, vt, qui res eius legunt, non unius populi, sed generis humani fata discant.* Ex solenni igitur hoc more loquendi Scriptorum, non dubium mihi videtur, quin per τὴν οἰκουμένην in hoc Lucae loco non Iudaea solum, sed totum imperium Romanum sit in-

 tel-



telligendum. WOLFIVS quidem ipse quoque inclinat eo, vt putet, τὴν οἰκουμένην h. l. tantum *Iudaeam* significare, ratione inductus hac, quia v. 2. diserta mentio fiat Praefecturae Syriae. Sed ea ratio non satis grauis mihi videtur. Nam in hac re spectandum est Lucae consilium; quod sane non hoc erat, vt de illa descriptione, in vniversum, et in toto imperio Romano facta, exponeret, quippe quod ad ipsius institutum non faceret, sed tantum hoc, vt ea attingeret, quae ad suum institutum, reique narrandae rationem pertinerent. Cum igitur de hac descriptione tantum dicere, quantum ad Iudaeorum res spectaret, eamque aliqua temporis nota insignire vellet: facile intelligitur, quare addiderit, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Aliam autem dubitationem contra interpretationem vocis οἰκουμένης pro *toto imperio Romano* afferre quis possit, quam tacitus mihi ipse quondam movebam. Scilicet, si haec descriptio intelligenda est de ea, quae in toto imperio Romano facta est; mirum sane cuiquam videri possit, apud nullum neque Graecum, neque Latinum Scriptorem aliquam eius mentionem fieri. Sed et haec dubitatio facile tolli potest. Nam cum haec ἀπογραφὴ s. *descriptio* non *facultatum*, sed tantum *capitum* s. *hominum* fuerit; non magnopere erat, quare Scriptores profani hanc descriptionem, quippe rem exigui momenti, literis consignarent; quod multis aliis exemplis similibus ostendere possemus, si necesse putaremus. Caeterum NORISIVS, PAGIVS et alii falluntur, cum contendunt, hunc censum fuisse *fructum*, *indicium et argumentum pacis vniuersalis*, nec ullum in hoc Lucae loco huius sententiae suae praesidium inueniunt. Sed de tota ea re copiose disputandi locus commodior erit in *Critica Wolfiana*.

v. 19. Ἡ δὲ Μαριὰμ πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς) Vltima verba, omnino ex linguae ratione, reddenda sunt: *Sensum et vim* horum verborum *mente probe assecuta:* haec interpretatio, ab ELSNERO primum, quantum equidem scio, prolata, postea sexcentis fere exemplis ab ALBERTIO in Obseruatt. Philol. p. 189. sqq. confirmata est. Iuuat vnum locum in eandem rem afferre ex Iosepho, qui Lib. II. Ant. C. Vi §. 3. de Iosepho, somnium praefecti pistoribus Regis interpretaturo, ita: ὁ δὲ Ἰώσηπος ΣΥΜΒΑΛΩΝ τῷ λογισμῷ τὸ ὄναρ, *Iosephus autem mente assecutus, quo id somnium spectaret.* Eadem notione est συλλαμβάνειν, ibid. C. II. § 3. de Iacobo, Iosephi somnium interpretante: ὁ δὲ ἥσθη τῷ ὀνείρατι· τὴν γὰρ πρόῤῥησιν αὐτοῦ τῇ διανοίᾳ ΣΥΛΛΑΒΩΝ, *Ille vero somnio laetabatur; eius enim praesagium mente probe assecutus erat.*

• v. 21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον) *Quum octauus dies* post natiuitatem *aduenisset, quo infans circumcidendus erat;* non autem: *cum octo dies impleti essent, s. praeteriissent.* Constat enim, in sacris literis saepissime πληροῦσθαι et πλήθεσθαι de tempore ita vsurpari, vt id *appropinquasse, aduenisse* significent. Hunc significatum his Vocibus ad imitationem Ebraici מלא tributum esse, Viri docti contendunt: Vide inprimis VORSTII Philol. Sacr. C. VI. Neque id negauerim, cum in sacris literis is significatus τοῦ πληροῦσθαι et πλήθεσθαι sit vsitatissimus, apud profanos scriptores autem non facile obseruetur. Inueni tamen πληροῦσθαι eodem sensu apud Iosephum Lib. VI. Ant. C. IV. vbi, postquam narrauit, Deum Samueli, quotidie precanti, vt sibi praediceret, quem constituturus sit Regem, pridie hunc ipsum indicasse, (dixerat enim, illa hora se missurum esse Beniamitam quendam iuuenem) subiicit haec: αὐτὸς μὲν ἐπὶ τοῦ δώματος καθεζόμενος, ἐξεδέχετο τὸν καιρὸν γενέσθαι. ΠΛΗΡΩΘΕΝΤΟΣ δ' αὐτοῦ, καταβὰς, ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἐπορεύετο· συναντᾷ δὲ τῷ

Σαύλῳ, καὶ ὁ Θεὸς αὐτῷ σημαίνει, τοῦτον εἶναι τὸν ἄρξειν μέλλοντα, *ipse autem Samuelus, in solario sedens, expectabat, dum tempus adesset: QVOD CVM VENISSET, descendebat ad coenam iturus. Saulum autem* ante ianuam *offendit; atque ei suggerit Deus, hunc esse, qui populum imperio regeret.* Ita enim πληρωθέντος reddendum, non vt interpres Latinus, *tempore exacto*, praesertim cum praecedat, ἐξεδέχετο τὸν καιρὸν γενέσθαι; *expectabat, vsque dum tempus adesset.* Sed non hic solum, sed alibi etiam, vtitur loquendi ratione, quae *tempus praeteriisse* indicare videtur, cum nihil aliud denotet, quam *aduenisse*. Ant. I, C. XII. §. 2. de hoc ipso Iudaeorum more, infantes octauo die circumcidendi: τίκτεται παῖς ἑκατέρων τῷ ὑστάτῳ ἔτει, ὃν εὐθὺς ΜΕΤ' ΟΓΔΟΗΝ ἡμέραν περιτέμνουσι· κἀξ ἐκείνου ΜΕΤΑ τοσαύτας ἡμέρας ἔθος ἔχουσιν οἱ Ἰουδαῖοι ποιεῖσθαι τὰς περιτομάς. *Istius aetatis vtriusque anno vltimo nascitur puer, quem statim DIE OCTAVO* (non, post octauum diem) *circumcidunt: atque ex eo inde tempore eundem diem etiam nunc Iudaei in circumcidendis liberis obseruant*; vbi μετὰ ἡμέρας ὀκτὼ idem est, ac ἡμέρᾳ ὀγδόῃ: de quo loquendi more supra ad Marc. C. VIII. v. 31. multis disputabamus. Simillima igitur Lucae loquendi ratio iis, quibus Iosephus vtitur. Cf. SIBRANDAE ad Iosephum Lib. I. C. XII. p. 63.

v. 44. Νομίσαντες δὲ αὐτὸν ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι) Vox συνοδίας, paullo rarior, pro *comitatu* seu *societate itineris*, occurrit apud Iosephum Lib. VI. Ant. C. XII. §. 1. vbi Dauides, ab Achimelecho interrogatus, quid causae esset, cur solus, et ab omni comitatu destitutus venisset, respondet, sibi regem secretum quoddam negotium commisisse, εἰς ἣν ΣΥΝΟΔΙΑΣ - - οὐκ ἔδει, *in quo curando non opus esse aliquo comitatu:* eodem sensu est apud STRABONEM Lib. IV. p. 314. Edit. ALMELOVEEN. vt adeo non fuerit, quare HEINSIVS eiusque sequaces συνοδίαν h. l. interpretarentur *familiam* s. *cognatos*, vt recte iam obseruatum WOLFIO.

v. 49.

v. 49. Ὀυκ ᾔδειτε ὅτι ἐν τοῖς τȣ̃ πατρός μȣ δεῖ εἶναί με) Multi hoc it interpretantur, vt, intellecto τοῖς ἔργοις f. πράγμασι, fenfus fit: *Nonne fciebatis, me effe debere in NEGOTIIS et REBVS a Patre mihi ad perficiendum munus commiffis?* quam interpretationem etfi reprehendere non audeo, tamen haud fcio, an melior, et rei, de qua hic agitur, multo conuenientior fit illa, quam B. Lutherus expreffit, Capellus deinde ornauit, OTTIVS autem, multique alii adoptarunt, qua in vocibus ἐν τοῖς τȣ̃ πατρός μȣ fubintelligitur οἰκήμασι vel τόποις, vt fenfus fit: *Nonne fciebatis, me effe oportere in domo patris mei, f. in templo?* Huic fententiae fuae confirmandae CAPELLVS adduxit et Interpretem Syrum, qui verba, ἐν τοῖς τȣ̃ πατρός μȣ de ναῷ f. *templo* accepit, et Iofephi locum, vbi τὰ τȣ̃ Διός diferte eft *templum Iouis:* qui Iofephi locus, etfi dudum cum a LVD. CAPELLO, tum a BAPTISTA OTTIO et in *Lexico Flauiano*, et in *Excerptis ex Iofepho ad N. T.* adductus eft, tamen, cum ad inftituti mei rationem pertineat, a me quoque afferendus videtur. Eft autem Lib. I. contra Apion. T. II. p. 449. §. 18. τόν τε χρυσȣ̃ν κίονα τὸν ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ἀνέθηκεν, *praeterea auream columnam IN TEMPLO IOVIS collocauit.* Non diffimilis apud eundem Iofephum locus eft, vbi τὰ τȣ̃ Θεȣ̃ eft *terra Dei, f. vniuerfus orbis terrarum Dei imperio fubiectus*: is eft Lib. V. Antiquitatt. C. I. §. 26. vbi Phineefes Ifraelitas Transiordanios, qui altare ad fluuium conftruxerant, inter caetera fic alloquitur: Μὴ νομίσητε τῷ διαβεβηκέναι τὸν ποταμὸν καὶ τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ δυνάμεως ἔξω γεγονέναι: πανταχȣ̃ δ᾽ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΥΤΟΥ ἐστέ· *Cauete putetis, vos, quia fluuium traieceritis, Dei poteftatem euafiffe: Vbique enim in eius terra et imperio eftis.* Accommodatus quoque huic rei locus eft Siracidis C. XLII. v. 9. ἐν παρθενίᾳ μήποτε βεβηλωθῇ, καὶ ΕΝ ΤΟΙΣ ΠΑΤΡΙΚΟΙΣ ἔγκυος γένηται, *ne quando polluatur in virginitate fua, et IN PATRIS DOMO gravida fiat*: nam ἐν τοῖς πατρικοῖς αὐτῆς dictum eft pro ἐν οἴκῳ

τȣ̃ πατρὸς αὐτῆς. Vid. IOH. VORSTII Diſſertatt. ſacr. Lib. III. C. XII. p. 152. Quemadmodum igitur haec CAPELLI interpretatio linguae rationi non aduerſatur, ita totius orationis ſeriei melius, atque altera illa, conuenit. Chriſtus enim Parentibus, qui ſe eum vbique fere quaeſiuiſſe dicebant, aptiſſime reſpondet: *Num vos alibi me quaerere debebatis, quam in Templo? haec enim eſt domus patris mei, in qua me decet eſſe, et in qua adeo me quaerere debebatis.* Iudicet eruditus Lector!

v. 52. Καὶ Ἰησȣ̃ς προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ) Lucianus in *Soloeciſta* T. II. p. 745. *Edit.* GRAEVIANAE, τὸ προκόπτειν, pro *in re aliqua proficere*, tanquam minus probatum reiicit, et pro eo ἐπιδιδόναι, ἐπίδοσιν λαβεῖν dicendum putat. Sed fallitur. GRAEVIVS enim ὁ πάνυ ad illum locum multis, iisque luculentiſſimis exemplis docuit, bonae notae Scriptores τὸ προκόπτειν ea notione vſurpare: Nos ad huius vocis bonitatem vindicandam exempla non niſi ex Ioſepho afferemus. Lib. II. Ant. C. VI. §. 7. ἐκάκιζον τȣ̀ς ἐπιδιώξαντας, ὡς ἐμποδίζοντας αὐτοῖς τὴν ὁδὸν ἤδη ΠΡΟΚΕΚΟΦΕΝΑΙ, *perſequentibus conuiciabantur, per quos ſteterat, quo minus in itinere conficiendo multum iam progreſſi eſſent.* Eodem Lib. C. XVI. §. 3. ἐπεὶ δ' ἑώρων ἀβλαβεῖς ἐπὶ τὸ πολὺ ΠΡΟΚΕΚΟΦΟΤΑΣ, *poſtquam eos ſaluos aliquanto longius proceſſiſſe conſpexerant.* Lib. III. Ant. C. II. §. 1. οἱ δ' ἀρχομένην δύναμιν ἐχθρῶν πειρώμενοι καταλύειν, ἀγαθοί συνιέναι μᾶλλον, ἢ οἱ ΠΡΟΚΟΨΑΣΑΝ μείζω κωλύοντες γενέσθαι: *Maioris autem prudentiae eſt, ſumma ope niti, ut hoſtium potentia deſtruatur, cum primum creſcere coeperit, quam, vbi magis aucta eſt, cauere, ne vlterius progrediatur:* et de B. I. L. V. C. IV. §. 2. ȣ̓δ' ἂν ἦν ἡ πόλις ἁλώσιμος, εἰ ΠΡΟΥΚΟΠΤΕ τὸ τεῖχος, *Neque vrbs vllis viribus capi potuiſſet, ſi murus, vti coeperat, proceſſiſſet:* Sic fere Lib. IV. de B. I. C. IV. §. 6. νὺξ ΠΡΟΚΟΠΤΟΥΣΑ, de quo loco infra ad Roman. XIII. v. 12. Idem iudicandum eſt de voce προκοπῆς, pro *incremento*, quam ipſam quoque quidam

dam Veterum Criticorum reiecerunt. Sic v. c. SVIDAS, Ἐπίδοσις, προκοπή, προσθήκη, αὔξησις. Ἐπίδοσιν μὲν οἱ Ἀττικοὶ λέγουσιν, ἡ δὲ προκοπὴ παρ' οὐδενὶ τῶν Ἑλλήνων. Sed fallitur. Nam προκοπὴν optimis Graecis scriptoribus pro *incremento*, *profectibus* adhiberi, docuit idem GRAEVIVS l. c. Neque eam vsurpare dubitauit Iosephus, tersissimae dictionis Auctor. Lib. IV. Antiquitatt. C. IV. §. 1. ἐλάμβανε δὲ τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον ΠΡΟΚΟΠΗΣ αἰτίαν, *subiiciebatur autem causa, quare in peius indies magis magisque augeretur.* Lib. X. Antiquitatt. C. X. §. 1. τούτους ὁ βασιλεύς, δι' ὑπερβολὴν εὐφυΐας καὶ σπουδῆς τῆς περὶ τὴν παίδευσιν τῶν γραμμάτων καὶ σοφίας ἐν ΠΡΟΚΟΠΗι γενομένους, εἶχεν ἐν τιμῇ, καὶ στέργων διετέλει. *Istos ob egregiam indolem, et diligentiam literarum studiis adhibitam, et quod in sapientia valde profecerant, in honore habebat rex, et amore prosequebatur.* De B. I. Lib. I. C. X. §. 5. γίνεται παραδόξως Ἀντιπάτρῳ μείζονος ΠΡΟΚΟΠΗΣ αἴτιος, *in causa erat, quod Antipatri praeter opinionem auctoritas augeretur.*

CAPVT III.

V. 1. Ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου) Quidam apud BENGELIVM exhibent ἐπιτροπεύοντος, rati, vocem ἡγεμονεύοντος amplioris cuiusdam dignitatis potestatisque esse, quam Pilati esset, quem tantum *Procuratorem Caesaris* fuisse sciebant. Sed ista emendatio a mala sane opinione, ignorantiaque profecto est. Nam ἡγεμονεύειν omnibus tribuitur, qui cum potestate cuidam regioni administrandae praesunt. Sic saepe *Procuratores Caesaris*, qui proprie ἐπίτροποι dicendi erant, tamen ἡγεμόνες dicuntur; vid. v. c. Actor. XXIII. 24. et Iosephum Lib. XVI. Ant. C. X. §. 8. Sic hic ipse Pilatus a Iosepho, a quo saepe ἐπίτροπος proprie appellatur, tamen ἡγεμὼν vocatur Lib. XVIII. Ant. C. III. §. Πιλάτος δέ, ὁ τῆς Ἰουδαίας ἡγεμών.

Sed

Sed de hac re fusius disputabamus supra ad Matth. XXVII. 2. quae, si tanti sunt, confer.

Ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας) Huius Praesidatus Iudaeae, et vtriusque tetrarchiae origo debetur illi diuisioni Augusti; ex qua Herodis M. regnum in tres ipsius filios, Archelaum, Herodem Antipam, et Philippum distribuit. Quae res cum ad intelligendum vnum et item alterum N. T. locum apprime faciat, nec cognitu sit iniucunda, dabunt nobis Lectores Humanissimi veniam, si in tironum gratiam, quibus solis haec scribimus, paullo fusius accuratiusque de ea exponam, et ex Iosepho nostro eam illustrem. Is autem de hac re Lib. II. de B. I. C. VI. §. 3. ita: Μετὰ δὲ ὀλίγας ἡμέρας τὸ μὲν ἥμισυ μέρος τῆς βασιλείας Ἀρχελάῳ δίδωσιν, ἐθνάρχην προσειπών, ὑποσχόμενός τε καὶ βασιλέα ποιήσειν, ἐὰν ἄξιον ἑαυτὸν παράσχῃ· τὸ δὲ λοιπὸν ἥμισυ διελὼν εἰς δύο τετραρχίας, δυσὶν ἑτέροις παισὶν Ἡρώδου δίδωσι, τὴν μὲν Φιλίππῳ, τὴν δὲ Ἀντίπᾳ, τῷ πρὸς Ἀρχέλαον ἀμφισβητοῦντι περὶ τῆς βασιλείας· ἐγένετο δὲ ὑπὸ τούτῳ μὲν ἥτε Περαία καὶ Γαλιλαία, πρόσοδος διακοσίων ταλάντων. Βαταναία τε καὶ Τράχων, Αὐρανῖτις τε καὶ μέρη τινὰ τοῦ Ζήνωνος οἴκου τὰ περὶ Ἰάμνιαν, πρόσοδον ἔχοντα ταλάντων ἑκατὸν, ὑπὸ Φιλίππῳ ἐτέτακτο: *Paucis autem diebus post, Archelao quidem dat regni* Herodis *dimidium cum Ethnarchae nomine, ipsum etiam regem, si se dignum* eo honore *praestitisset, facturum esse pollicitus; reliquum vero dimidium, in duas tetrarchias diuisum, duobus aliis Herodis filiis tribuit, vnam Philippo, alteram Antipae, qui cum Archelao de regno contendebat. Et huic quidem in ditionem cedebat Peraea et Galilaea;* quarum *reditus ducenta talenta: et Philippo subiiciebantur Batanaea et Trachon, et Auranitis, et partes quaedam domus Zenonis circa Iamniam, quae talenta centum reddebant:* et mox adiicit, quae ad Archelaum ex illa regni patrii diuisione peruenerant:.

rant:.

rant: Cf. in hanc rem idem Iosephus Lib. XVII. Ant. C. XI. §. 4. Sed illud dimidium regni Herodis M. quod ex diuisione Augusti Archelao attributum est, aliquot annis post, Romanorum imperio adiectum est. Anno enim fere decimo Archelaus Viennam in exilium eiectus est, eiusque ditio in formam prouinciae Romanae redacta, quae administrabatur, nomine et auctoritate Caesaris, a Procuratoribus: quorum omnium primus COPONIVS fuit, auctore Iosepho de B. I. Lib. II. C. VIII. §. 1. inter cuius successores fuit et Pilatus, cuius Procuratoris, vti et administrationis ipsius, h. l. Lucas mentionem facit his verbis: ἡγεμονεύοντος Ποντίε Πιλάτε τῆς Ἰεδαίας. Quod ad Herodis Antipae fratrem, Philippum, quo hic vtimur, et cui inter caetera Batanaeam, Trachonitidem, et Auranitidem illa diuisione cessisse ostendimus, eum clementiae moderationisque laude exornat Iosephus Lib. XVIII. Ant. C. IV. §. 6. Τότε δὲ καὶ Φίλιππος, Ἡρώδε δὲ ἦν ἀδελφὸς, τελευτᾷ τὸν βίον, εἰκοστῷ μὲν ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίε ἀρχῆς, ἡγησάμενος δὲ αὐτὸς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα τῆς Τραχωνίτιδος καὶ Γαυλανίτιδος καὶ τε Βαταναίων ἔθνες πρὸς αὐτοῖς· μέτριον δὲ, ἐν οἷς ἦρχεν, παρασχὼν τὸν τρόπον καὶ ἀπράγμονα· δίαιταν μὲν γὰρ τὸ πᾶν ἐν τῇ γῇ τῇ ὑποτελεῖ ἐποιεῖτο. *Tunc etiam Philippus, qui Herodis frater erat, vita decessit, anno quidem Tiberii principatus vigesimo, postquam vero ipse praefuisset Trachonitidi, et Gaulanitidi, atque etiam Batanaeae, anno trigesimo septimo. Vir suapte natura moderatus erga subditos, quietique ingenii; nam omnem vitam in sua ditione agebat.* Caeterum has regiones, quas in diuisione illa ad Philippum peruenisse diximus, dudum iam Augustus Herodi M. donauerat. In quam rem Iosephus Lib. XV. Ant. C. X. §. 1. δίδωσιν Ἡρώδῃ, τὴν βασιλείαν ὅτῳ βέλεται βεβαῶν τῶν ἐξ αὐτε γεγονότων, καὶ χώραν ἔτι τόν τε Τράχωνα καὶ Βαταναίαν καὶ Αὐρανῖτιν. *Augustus Herodi M. potestatem fecit, regnum, vtri filiorum vellet, confirmandi, eique insuper alias regiones dedit, videlicet Trachonem, et Batanaeam, atque Auranitidem;* vbi mul-

multis verbis exponit causam, qua commotus Augustus has regiones Herodis ditioni adiecerit. Postea Herodes moriturus has regiones Philippo, filio suo, testamento legauit: Iosephus in hanc rem Lib. XVII. Ant. c. VIII. §. 1. diserte ita: τὴν Γαυλωνῖτιν καὶ Τραχωνῖτιν καὶ Βαταναίαν καὶ Πανιάδα Φιλίππῳ, παιδὶ μὲν τῷ αὐτῦ, Ἀρχελάυ δὲ ἀδελφῷ γνησίῳ, τετραρχίαν εἶναι, *Gaulonitidem, et Trachonitidem, et Batanaeam, et Paniadem Philippo, filio suo, Archelai fratri, tetrarchiae nomine concessit:* quam vltimam Herodis M. voluntatem auctoritate Augusti confirmatam fuisse, cognoscitur ex Iosepho Lib. XVII. Ant. c. XI. §. 4. Philippo autem mortuo, nullo haerede relicto, eius regiones a Tiberio Syriae additae sunt. Auctor est Iosephus Lib. XVIII. Ant. c. IV. §. 6. τὴν δ᾽ ἀρχὴν (Φιλίππυ) ὐ γὰρ κατελέιπετο παῖδας, Τιβέριος παραλαβὼν προσθήκην, ἐπαρχίας ποιῆται τῆς Σύρων: *Philippi autem principatum, nam sine liberis decessit, cum sibi accepisset Tiberius, eum prouinciae Syriae attribuit.*

Λυσανίυ τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχῦντος) *Erat illis temporibus tetrarchia, quae dicebatur Abilena Lysaniae, quam, pro voluntate Imperatoris, vel proprius princeps obtinebat, vel maior aliquis accessionis loco accipiebat. Quoniam igitur ineunte illo acceptabili ac vere magno anno ministerii domini nostri, quidam Lysanias eum principatum tenebat, ne hunc quidem Lucas putauit sibi esse praetermittendum: quum praesertim Iudaei non pauci in Tetrarchae huius ditione habitarent, in finibus Decapoleos, quo venisse Christum, atque ibi Evangelium praedicasse, et Decapolitanos plures ad ipsum ventitasse, eique μαθητεῦσαι, testantur Euangelistae, Matthaeus IV. 25. Marcus V. 20. et VII. 31.* Haec obseruat CASAVBONVS in Exercitatt. contra Baron. p. 238. Edit. Londin. Quis autem iste Lysanias fuerit, cuius Lucas hic mentionem facit, de eo nondum satis inter Viros doctos conuenit. Nos, quae hanc in rem in Iosephi lectione obseruauimus, huic rei illustrandae afferemus. Scilicet apud Iosephum mentio fit cuiusdam Lsayniae, qui patri

patri suo, Ptolomaeo, Mennaei filio, in principatu, quadraginta circiter annis ante Christum natum, successit, et Tetrarcha seu Regulus fuit Ituraeae, regionis paruae in confinio Syriae et Arabiae: de hac re Lib. XIV. c. XIII. §. 3. ita: Τελευτᾷ δὲ καὶ Πτολεμαῖος ὁ Μενναίου· καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ ὁ παῖς Λυσανίας παραλαβών. *Obiit etiam Ptolomaeus, Mennaei filius, cui in principatu successit filius ipsius Lysanias:* idem traditur de B. I. Lib. I. c. XIII. §. 1. Hos autem Tetrarchas principatum non nisi precario, nec diutius obtinuisse, quam visum esset iis, qui Romae rerum potirentur, vel huius ipsius Lysaniae exemplum docet, qui ab Antonio, assiduis importunisque Cleopatrae precibus ad id scelus incitato, occisus est; de quo Iosephus Lib. XV. c. IV. §. 1. Sed hoc Lysania hoc loco non vtimur, cum triginta circiter annis ante, quam Christus natus esset, interfectus sit. Sublato autem hoc Lysania, eius Dynastia s. Tetrarchia varios Dominos habuit. Omnium primum imperium in eam habuit Cleopatra; quae eo consilio Lysaniam interficiendum curauit, vt eius ditionem acciperet, vt est apud Iosephum l. c. Cum autem Cleopatra interiisset, ea Tetrarchia ad Augustum pervenit, qui eam, certi pretii imposita pensione, locauit cuidam Zenodoro: de qua re Iosephus de B. I. Lib. I. c. XX. §. 4. Ζηνόδωρος, ὁ τὸν Λυσανίου μεμισθωμένος οἶκον, *Zenodorus, qui conduxerat Lysaniae Tetrarchiam:* hanc enim vocis οἶκος vim esse, vt, pro ipsius rei, de qua agitur, ratione, nunc *Regnum*, nunc *Tetrarchiam* denotet, dudum docuit CASAVBONVS in Exercitatt. Anti-Baron. p. 240. Postea hanc Tetrarchiam Augustus donauit Herodi M. Cuius rei auctor est Iosephus loco paullo ante laudato: Οὐάῤῥων - - ἀφαιρεῖται Ζηνόδωρον, ἣν ὕστερον Καῖσαρ Ἡρώδῃ δίδωσιν. *Varro eam Tetrarchiam Zenodoro aufert, quam postea Augustus Herodi donauit.* Cf. idem Lib. XV. c. X. §. 1. Mortuo autem Herode M. Augustus, cum inter regiones, Herodis imperio ante subiectas, et nunc inter tres ipsius filios dividendas, hanc quoque invenisset,

eius

eius partem aliquam Philippo, filio Herodis M. attribuit: quod diserte docet Iosephus Lib. XVII. c. XI. §. 4. Βατανάία δὲ σὺν Τραχωνίτιδι, καὶ Αὐρανίτις σύν τινι μέρει οἴκȣ τȣ̃ Ζηνοδώρȣ λεγομένȣ, Φιλίππῳ, *Attributa est Batanaea, Trachonitis et Auranitis, cum parte quadam Tetrarchiae Zenodori, Philippo.* Cum Iosephus hic tradat, tantum *aliquam partem* ab Augusto fuisse concessam Philippo, satis dilucide indicat, potiorem eius partem alius cuiusdam potestati fuisse subiectam: quis autem is fuerit, Iosephus non ostendit; hoc autem nos docet Lucas: ad Lysaniam nempe praecipuam eius Tetrarchiae partem, beneficio siue Augusti, siue Tiberii, peruenisse. Quis autem hic Lysanias fuerit, de eo inter Viros doctos non convenit. Sunt enim, qui putent, eum fuisse prioris illius Lysaniae, de quo supra, filium. Sed id vix temporum ratio concedit; neque prope verum est, filium post tantum temporis interuallum patri suo successisse, cum a caede illius Lysaniae ad annum XV. Principatus Tiberii anni circiter sexaginta, et quod excurrit, intercedant. Maiori igitur veri specie sese commendat sententia CASAVBONI, qui l. c. putat, casu quodam contigisse, vt eadem Praefectura, modico temporis intervallo, duobus contingeret, qui ambo Lysaniae appellarentur: cuius ξυγκυρίας quaedam exempla idem CASAVBONVS attulit Exercitt. II. §. 18. in disputatiuncula de Iuda Galilaeo. Et hic quidem posterior Lysanias ille ipse est, quem Lucas hic Tetrarcham Abilenae vocat: quae regio nomen habet ab Abila, vrbe quadam Syriae, in qua olim Lysanias, non is, quo hoc loco vtimur, sed prior ille, dominationis suae sedem constituerat. Cum autem plures in Syria vrbes essent nomine *Abilae* insignitae, huic Abilae, ubi Lysanias habitabat, cognomen *Lysaniae* datum est. Sic saepe apud Iosephum, v. c. Lib. XIX. c. V. §. 1. Ἄβιλαν τὴν Λυσανίȣ. Lib. XX. c. VII. §. 1. σὺν Ἀβίλᾳ, Λυσανίᾳ δέ ἄυτη ἐγεγόνει τετραρχία, *cum Abila, ista autem fuerat Lysaniae Tetrarchia.* Caeterum vix decem annos huic Tetrarchiae

chiae praefuerat Lysanias, cuius Lucas meminit, cum Caius eam donaret Agrippae: in quam rem Iosephus Lib. XVIII. Ant. c. VI. §. 10. *τὸ διάδημα περιτίθησι τῇ κεφαλῇ, καὶ βασιλέα καθίστησιν αὐτὸν τῆς Φιλίππου τετραρχίας, δωρησάμενος αὐτῷ καὶ τὴν Λυσανίου τετραρχίαν*, *imposito capiti* Agrippae *diademate, tetrarchiae, quae Philippi fuerat, regem constituit, adiecta etiam Lysaniae tetrarchia.* Sed, hoc Agrippa mortuo, ea Tetrarchia a Claudio Agrippae iuniori donata est, vt docet Iosephus Lib. XX. Ant. c. V. §. 2. et de B. I. Lib. II. c. XII. §. 1. Haec fere sunt, quae in lectione Iosephi ad huius loci Lucae illustrationem obseruavimus. Cf. in eandem rem CASAVBONVS in Exercitatt. Anti Baron. p. 237. seqq.

v. 2. Ἐπ' Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα) Cum scimus, plures Sacerdotes summos eodem tempore esse non potuisse, quaerunt Interpretes, quomodo hic Lucas intelligendus sit, qui tradere videatur, utrumque simul, Annam et Caipham, Summo Sacerdotio fuisse functum. Magnum hic sententiarum diuortium. Mihi quidem de ea re ita videtur. Ex Iosepho constat, Caipham anno decimo quinto Principatus Tiberiani summum Sacerdotium obiisse; quod ei Valerius Gratus, Iudaeae Procurator, contulerat: in quam rem ille Lib. XVIII. c. II. §. 2. ita: *οὐ πλέον καὶ τῷδε (Σίμωνι) ἐνιαυτοῦ τὴν τιμὴν ἔχοντι διεγένετο χρόνος, Ἰώσηπος, ὁ καὶ Καϊφας, διάδοχος ἦν αὐτῷ*, *cum Simon enim ultra anni spatium eam dignitatem non tenuisset, Iosephus, cui etiam Caiphae nomen fuit, ei successit.* Retinuisse autem Caipham hanc dignitatem usque ad Vitellii in Syriam aduentum, idem Auctor grauissimus testatur Lib. eodem c. IV. §. 3. ubi ita: *ταῦτα πράξας ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ ἔθνους, καὶ τὸν ἀρχιερέα Ἰώσηπον, τὸν καὶ Καϊάφαν ἐπικαλούμενον, ἀπαλλάξας τῆς ἱερωσύνης, Ἰωνάθην καθίστησιν, Ἀνάνου τοῦ ἀρχιερέως υἱόν*: *Cum ista fecisset, ut a gente gratiam iniret, et Iosepho pontifici, cui etiam Caiphae nomen fuit, sacerdotium abrogasset, Ionatham, Anani pontificis filium, in eius locum substituit.* Vi-

tellium constat in Syriam Praesidem missum esse, consulatus tempore exacto. Consul autem, collega Fabio Prisco, anno Tiberiani imperii vigesimo fuit; ut adeo Caiphas totos septem annos, et quod excurrit, summo Sacerdotio functus sit. Caiphas igitur quinto decimo Principatus Tiberiani anno et erat, et proprie ἀρχιερεὺς a Luca vocatur. Quod autem Annas ipse quoque ἀρχιερεὺς dicitur, eius rei caussa haec est, quia non solum antea summus Sacerdos fuerat (perfunctis enim summa hac dignitate hoc honoris nomen mansisse post rem sublatam, ostendimus supra ex Iosepho ad Matth. II. 4.) sed etiam quia Vicarius Caiphae in amplissimo illo munere erat: quod posterius contra PETAVIVM, id praefracte negantem, cum ex sacris literis, tum ex Iosepho, luculentissime docebimus ad Actor. IV. 6. vbi de tota hac re pluribus.

v. 14. *Μηδένα διασείσητε*) Notissima huius verbi interpretatio, ipsi quoque WOLFIO probata, haec est, vt denotet, *incusso terrore alteri aliquid extorquere:* qua notione an haec vox unquam apud ullum Scriptorem occurrat, ego quidem nescio: SVICERVS certe et RAPHELIVS, a WOLFIO in hanc rem laudati, eum significatum, paullo insolentiorem, non probarunt. Malim equidem interpretari, *vexare aliquem, siue id verbis, siue rebus ipsis fiat.* Sic fere est apud Iosephum Lib. IV. Ant. c. III. §. 2. *ὁ τὴν Αἰγυπτίων εὐδαιμονίαν* ΣΕΙΣΑΣ, *qui Aegyptiorum felicitatem euertisti*, et inprimis Lib. XIX. c. I. §. 16. vbi de iniuria militum: *οἱ μὲν* ΕΠΑΝΑΣΕΙΟΜΕΝΟΙ *τοῖς κρατίστοις τῶν πολιτῶν*: *hi quidem* (milites) *optimum quemque ciuium concutientes.* Neque aliter apud Aeschin. Dial. II. p. 46. *Edit. Cleric.* *κατεγέλα τε καὶ ἐχλεύαζε καὶ* ΕΣΕΙΣΕΝ *αὐτόν*· *irridebat, illudebat et vexabat eum.* Ex quibus locis dilucide apparet, *σείειν*, *διασείειν* et similia esse *vexare, concutere, vim manifestam inferre, damno afficere.*

CAPVT

CAPVT IV.

V. 16. Ἀνέςη ἀναγνῶναι) Vox ἀναγινώσκειν, vti alibi, ita et hic, non solum *praelegere*, sed etiam ῥῆσιν *praelectam interpretari* denotat. Hac notione ἀναγνώςης est apud Iosephum Lib. XI. C. V. §. 1. vbi Artaxerxes, in literis ad Esdram, qui paullo ante τῶν Μουσέως νόμων ἱκανῶς ἔμπειρος ὢν dicitur, scriptis, ita: Βασιλεὺς βασιλέων Ξέρξης Ἐσδρᾳ ἱερεῖ καὶ ΑΝΑΓΝΩΣΤΗ, τȣ̃ θείȣ νόμȣ χαίρειν: quod interpres reddidit, *diuinae legis Professori:* idem paullo post eandem vocem interpretatus est, *legum Dei interpres:* Est sane hoc loco ἀναγνώςης, *qui legem Dei non solum populo praelegit, sed etiam interpretatur.*

v. 22. Πάντες ἐμαρτύρȣν αὐτῷ) Vertendum est, *omnes illum laudabant, praedicabant.* Elegans haec est τȣ̃ μαρτυρεῖν notio, et optimo cuique scriptori frequentissima. Iosephus Lib. VI. Ant. C. XIV. §. 6. Ἐγὼ μὲν ΜΑΡΤΥΡΩ ΣΟΙ πολλὴν περὶ ἐμὲ σπȣδὴν καὶ εὔνοιαν, *Ego laudo te propter tuum erga me studium et beniuolentiam.* Lib. XII. C. III. §. 3. Ἀντίοχος γράφει τοῖς τε ςρατηγοῖς αὐτȣ̃ καὶ φίλοις, ΜΑΡΤΥΡΩΝ τοῖς Ἰȣδαίοις ὑπὲρ ὧν εὖ πρὸς αὐτῶν πάθοι, *Antiochus scripsit ad duces suos et amicos, laudans Iudaeos ob ea, quae ab iis in se profecta essent.* Vnde apud eundem Lib. VI. Antiquitatt. C. XIV. §. 4. μαρτυρία est *laudatio, praedicatio.* Sed magnum in hanc rem exemplorum aceruum congessimus *in Commentario nostro ad Decretum Atheniensium* p. 72. et res est hodie post RAPHELII et ELSNERI notata satis nota.

CAPVT V.

V. 1. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ) Ἐπικεῖσθαι proprie dicuntur, *qui hostes pressius persequuntur et premunt*, et respondet Latinorum *instare.* Hac notione est apud Iosephum Lib. VI. Ant. C. XIV. §. 2. vbi

Saulus, a Samuele, ab inferis excito, interrogatus, cur huc venisset, respondet: τοὺς πολεμίους ΕΠΙΚΕΙΣΘΑΙ βαρεῖς αὐτῷ, αὐτὸν δὲ ἀμηχανεῖν τοῖς παροῦσιν, *hostes graues sibi instare, seque magnis in praesentia angustiis premi.* Hic autem de *populo, agmine quasi facto, irruente, aliumque premente* adhibetur.

CAPVT VI.

V. 30. Παντὶ δὲ τῷ αἰτοῦντί σε, δίδου· καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σὰ, μὴ ἀπαίτει) CASAVBONVS ad Theophrasti Character. p. m. 292. differentiam inter αἰτεῖν et ἀπαιτεῖν tradit esse hanc, vt αἰτεῖν sit, *aliquid ab altero poscere, quod gratiae apponatur acceptum:* ἀπαιτεῖν autem, *repetere, quod sibi debeatur:* quae obseruatio hoc Lucae loco mirifice confirmatur. Confirmat eandem Iosephus, apud quem saepe ἀπαιτεῖν denotat, *aliquid ab altero suo iure exigere.* Lib. VI. Ant. C. I. §. 1. de Arca Hebraeorum per quinque Palaestinorum vrbes, magno ipsarum damno, translata: περιέρχεται τὰς πέντε τῶν Παλαιστίνων πόλεις ἡ κιβωτὸς, ὥσπερ δασμὸν ΑΠΑΙΤΟΥΣΑ παρ' ἑκάστης τοῦ πρὸς αὐτὰς ἐλθεῖν, ἃ δι' αὐτὴν ἔπαθον. *Quinque Vrbes Palaestinorum peruagata est arca, a qualibet, ideo quod ad ipsas venisset, tributi vice exigens ea, quae passae sunt.* Lib. XII. C. IV. §. 5. τοὺς φόρους ΑΠΑΙΤΩΝ τοὺς Ἀσκαλωνίτας, *tributum ab Ascalonitis exigit.* Lib. VII. Ant. C. II. eadem pag. αἰτεῖν et ἀπαιτεῖν ita occurrunt, vt Casaubonianam differentiam confirment. Nam cum Deus Salomonem aliquid a se petere iuberet, Iosephus vsus Verbo est simplici: ἐκέλευσεν ΑΙΤΕΙΣΘΑΙ, τίνας ἀντὶ τῆς εὐσεβείας δώσει αὐτῷ δωρεάς· *iussit, vt posceret, quid sibi pro hac pietate ab ipso dari vellet:* et sic mox, Σολομὼν δὲ τὸν Θεὸν ΗΙΤΗΣΕΝ; contra ea paullo post de matre, quae suum sibi infantem, dolo malo ereptum, reddi cupiebat, ΑΠΑΙΤΩ τὸν ἐμὸν υἱόν· *iure meo filium mihi meum reddi volo:* et sic multis lo-

cis

cis aliis. Vid. v. c. Lib. VI. Antiquitatt. C. X. §. 3. Lib. VII. C. III. §. 1. Est tamen, vbi τὸ αἰτεῖν pro ἀπαιτεῖν positum occurrit, vt apud eundem Iosephum Lib. I. Ant. C. XIII. §. 1. de Deo, Isacum in sacrificium ab Abramo sibi postulante, ΗΙΤΕΙ τοῦτον αὐτῷ θῦμα καὶ ἱερεῖον παρασχεῖν, *poposcit, vt eum sacrificium sibi et victimam afferret:* vbi forte vsui Graecorum conuenientius τὸ ἀπαιτεῖν dixisset, quo Lucas in simili re vsus est infra C. XII. 20. Interim CASAVBONI obseruatio constanti fere Graecorum vsu loquendi stabilitur.

v. 32. Ποία ὑμῖν χάρις ἐστί;) Non hic audiendus est HOMBERGIVS et alii, qui χάριν de *beneficio in alterum collato* accipiunt: conuincuntur erroris cum ab ipsa orationis serie, tum loco parallelo Matthaei C. V. 46. χάρις h. l. est ἀνταπόδοσις, f. *gratia pro accepto beneficio relata.* Sic apud Iosephum Lib. VI. Antiquitatt. C. XIV. §. 4. de foemina Ventriloqua, quae liberalitatem Saulo praestiterat tum, cum nulla spes gratiae reddendae affulgeret, οὔτε ΧΑΡΙΝ μέλλουσαν θηρωμένη, *neque gratiam futuram aucupans.* Sed totus ille Iosephi locus est plane egregius, et huic orationi Christi perquam accommodatus, et dignus, qui apud ipsum legatur.

v. 35. Μηδὲν ἀπελπίζοντες) Infelicissime sane hic versatus est ELSNERVS, qui, interpretatione illa, optima et vnice vera, *nihil inde sperantes,* reiecta, lectionem sollicitat, legendumque putat, ἐπελπίζοντες, quod habere *sperandi* notionem existimat. Sed istud quidem est vim Textui sacro inferre. Nam ἀπελπίζοντες commode potest, et linguae Graecae conuenienter, exponi: illa autem τοῦ ἐπελπίζειν notio est perquam insolens et rara. Vulgatus τὸ ἀπελπίζοντες reddit *nihil inde sperantes:* quam huius vocis significationem nondum probatam existimat ELSNERVS. Quod sane in illo Viro mirum: cum ea interpretatione nihil certius sit, nihil accuratius. Miror sane, Viros quosdam doctos hanc elegantiam non cepisse. Est enim optimorum scriptorum is mos, vt, breuitatis causa, vna et

item altera voce omissa, eius rei indicium faciant ope Praepositionis, quae, cum sola poni nequeat, Verbo adiungitur. Quod quale sit, in tironum gratiam, et, quibus opus est, paucis declarabimus. Lucas infra C. XXII. v. 5. et 6. scribit: *συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δȣναι· καὶ* ΕΞΩΜΟΛΟΓΗΣΕ: vbi vltimam vocem WOLFIVS, auctore KEVCHENIO, reddidit: *iureiurando confirmauit, obstrinxit se:* quam notionem, vereor vt haec vox vnquam habeat; et, si habet, tamen ab hoc loco est alienissima, cum multum adhuc orationi supplendae desit. Ἐξομολογεῖν ibi habet *spondendi, promittendi* notionem, sensusque est: *Summi Sacerdotes, paciscentes cum Iuda, promiserunt, se ei daturos pecuniam: et hic spopondit.* Nulla igitur, inquis, vis est τȣ ἐκ Verbo praefixi? immo vero magna. Idem enim est, ac si dixisset, *καὶ ὡμολόγησεν* ΕΚ τȣ ἀργυρίȣ, Er hat es ihnen um das Geld versprochen, quam scil. pecuniam ei promiserant. Ὁμολογεῖν ἐκ τȣ ἀργυρίȣ, eodem modo dictum, quo Matth. XX. 2. *συμφωνεῖν ἐκ δηναρίȣ·* sic *ἀπεσθίειν* interdum *ἐσθίειν ἀπό τινος*: quod diserte tradit Athenaeus Lib. XIV. p. 649. *Edit. Casaub. χρῶνται τῷ ἀπεσθίειν ἀντὶ τȣ, ἀπό τινος ἐσθίειν, vtuntur verbo ἀπεσθίειν eo sensu, vt de re quadam gustare significet.* Theophrasto *περὶ ἀκαιρίας*, *ἀπαιτεῖν* idem est, quod *αἰτεῖν ἀπό τινος*, *ab aliquo aliquid petere.* Ἀπολαβεῖν interdum est *λαβεῖν ἀπό τινος*. v. c. apud Iosephum Lib. XI. C. VI. §. 2. de Esthere, *καὶ τȣ́των* ΑΠΕΛΑΒΟΝ *ἐπὶ μῆνας ἕξ, τετρακόσιαι τὸν ἀριθμὸν ȣ̓͂σαι. Atque ista illis, numero quadringentis, adhibita erant per sex menses.* Sic vltima verba reddidit HVDSONVS, minus accurate: neque ibi audiendus COCCEIVS, qui pro *ἀπέλαβον* legendum contendit *ἀπέλαυον*. Vulgata lectio sana est, et ita exponenda: *ex istis*, sc. odoribus et vnguentis, *accipiebant per sex menses*, *s. istis odoribus vnguentisque sex menses vngebantur.* Quae si quis paullo accuratius considerauetit, nihil insolentis in hoc Lucae, *ἀπελπίζοντες*, *sperantes, exspectantes ab iis*, inueniet. Idem enim est, ac si scripsisset,

μη-

μηδὲν ἐλπίζοντες ἀπ' αὐτῶν. Quae interpretatio lucu-lentiſſime confirmatur verbis v. 34. παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, quippe quibus vox ἀπελπίζοντες reſpondet. Senſus igitur verborum Lucae hic eſt: *Mutuum date etiam iis, a quibus nihil vnquam vobis redditum iri ſperatis: et in eo praeſtantiores eſtote peccatoribus, qui nolunt cuiquam mutuo quid dare, niſi certa ſpe freti, fore, vt* τὰ ἴσα *recipiant.* Hanc interpretationem, vnice veram illam, dudum agnouerunt CASAVBONVS ad Theophraſt. περὶ ἀκαιρίας p. m. 323. SALMASIVS de VSVRIS p. 131. et inprimis p. 624. GLASSIVS Philolog. ſacr. Lib. III. tr. VI. Can. 19. quibus adde ABRESCHIVM in Annotatt. Philolog. ad N. T. p. 502.

CAPVT VII.

V. 45. Αὕτη δὲ, ἀφ' ἧς εἰσῆλθον, ȣ̓ διέλειπε καταφιλȣ̃σά μȣ τȣ̀ς πόδας) Elegans his verbis ineſt Graeciſmus, quem neſcio an Interpretes ſatis ceperint. Vulgatus reddidit: *non ceſſauit oſculari pedes meos:* BEZA, *non intermiſit deoſculari pedes meos:* neuter bene; reddendum erat: *ſine vlla cunctatione, mora non interpoſita.* Hoc enim διαλείπω, Participio iunctum, ſaepe denotat. Ioſephus Lib. VIII. Antiquitatt. C. XII. §. ὥσπερ προκειμένων αὐτοῖς ἄθλων, ἐπὰν περὶ τὶ σπȣδάζωσιν, ȣ̓ ΔΙΑΛΕΙΠΟΥΣΙ περὶ τȣ̃το ΕΝΕΡΓΟΥΝΤΕΣ, *Quemadmodum ii, qui propoſitis ſibi praemiis, poſtquam rei alicui ſtudere coeperint, ſine vlla cunctatione, illi operam dant.* Alio ſenſu Lib. eodem C. X. §. 4 Οὗτος ȣ̓ ΔΙΕΛΙΠΕΝ ȣ̓δ' ἠρέμησεν εἰς τὸν Θεὸν ΕΞΥΒΡΙΖΩΝ, *Ille nihil reliqui faciebat, vt in Deum contumelias ederet, neque tandem quieſcebat.* Sic C. XI. §. 2. ἃς ὕβρεις ȣ̓ ΔΙΑΛΕΛΟΙΠΕΝ εἰς αὐτὸν ΥΒΡΙΖΩΝ, *quas huc vſque commiſit.* Cf. Lib. VII. C. II. §. 2.

CAPVT VIII.

V. 13. Οὐ τελεσφορȣ̃σι) Eleganter haec vox de frugibus, quae maturitatem duxerunt, vſurpatur. Ioſephus Lib. I.

Ant. c. VI. §. 3. καταφυτεύσας αὐτὴν, ἡνίκα, τοῦ καρποῦ ΤΕΛΕΣΦΟΡΗΘΕΝΤΟΣ, καθ᾽ ὥραν ἐτρύγησε, *cum vitibus terram conſeuiſſet, fructuque ſuo tempore maturescente, eam vindemiaſſet.* Eleganter quoque idem, ſenſu translato, in libro *de Maccabaeis* T. II. p. 514. ἐν ᾗ (γαστρὶ μητρῴᾳ) τὸν ἴσον ἀδελφοὶ κατοικήσαντες χρόνον, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ πλασθέντες, καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ αἵματος αὐξηθέντες, καὶ διὰ τῆς αὐτῆς ψυχῆς ΤΕΛΕΣΦΟΡΗΘΕΝΤΕΣ, καὶ διὰ τῶν ἴσων ἀποτεχθέντες χρόνων, καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν γαλακτοποτοῦντες πηγῶν, ἀφ᾽ ὧν συντρέφονται ἐν ἀγκάλαις μαστῶν φιλάδελφοι ψυχαί. *In quo* (vtero materno) *fratres pari tempore agentes, eodemque temporis ſpatio ficti ac formati, eodem ſanguine aucti, eiusdemque ſanguinis vi et facultate ad perfectionem perducti, aequali temporis interuallo in lucem editi, ex iisdem fontibus emanantes lactis riuulos haurientes, quibus ſimul in mediis vberum amplexibus nutriuntur coniunctiſſimae animulae.*

v. 42. ὅτι θυγάτηρ ἀπέθνησκεν) Cum demum infra v. 46. Archonti Synagogae a ſeruo nuncietur, filiam eſſe mortuam: facile intelligitur, haec verba, αὕτη ἀπέθνησκεν, non reddenda eſſe, *mortua erat*, ſed, *morti proxima erat*, *animam agebat*: quod diſerte Marcus, loco parallelo, C. V. 23. exprimit his verbis: ἐσχάτως ἔχει· Neque tamen Lucas putandus eſt ab optimorum Scriptorum loquendi ratione diſceſſiſſe. Ita Ioſephus Lib. V. Ant. c. I. §. 1. vbi Ioſua, Moſe rebus humanis erepto, Iſraëlitas cohortatur, vt, in illius gratiam, nullum vitae periculum ſubire dubitarent: ὑπεμίμνησκεν ἃ ὑπέσχοντο Μωϋσῇ, καὶ παρεκάλει, χαριζομένους τῇτε ἐκείνου προνοίᾳ, μηδ᾽ ΟΤΕ ΑΠΕΘΝΗΣΚΕ περὶ αὐτοὺς καμούσῃ, τῷ τε κοινῇ συμφέροντι παρέχειν αὐτοὺς εἰς τὰ παραγγελλόμενα προθύμους. *Eos illorum admonebat, quae Moyſi polliciti ſint, obſecrabatque, ut in eius gratiam, qui ne tunc quidem, CVM MORTI ESSET PROXIMVS, proſpiciendo iis defeſſus erat, et propter communem vtilitatem, alacriter ſemet ad promiſſorum fidem liberandam accingerent:* de B.

I.

I. Lib. I. c. XXXIII. §. 3. Ἅμα τοῖς ἐκείνων λόγοις, διεφημίσθη καὶ ΘΝΗΣΚΕΙΝ ὁ βασιλεύς. *Dum hi illos sermones inter se ferebant, rumor diuulgatus est, regem morti proximum esse.* Nec aliter fere Lib. IV. de B. I. c. VI. §. ΑΝΑΙΡΟΥΜΕΝΟΣ δὲ ὁ Νίγερ, τιμωροὺς Ῥωμαίους αὐτοῖς ἐπηράσατο, *Cum mox interficiendus esset Niger, Romanos ultores iis imprecatus est.*

Caput IX.

v. 43. Ἐξεπλήσσοντο δὲ πάντες ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ Θεοῦ) Vti omnia facta et miracula Christi, maiestatis diuinae plena, dicuntur μεγαλεῖα; ita μεγαλειότης est *ipsa illa maiestas diuina, s. illa virtus diuina, cuius ope illa tam stupenda miracula perpetrantur.* Hoc sensu μεγαλειότης apud Iosephum in Prooemio ad Ant. p. 5. φανεῖται σκοπουμένοις οὕτως, οὐδὲν οὔτ' ἄλογον αὐτοῖς, οὔτε πρὸς τὴν ΜΕΓΑΛΕΙΟΤΗΤΑ τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν φιλανθρωπίαν ἀνάρμοστον. *Sic considerantibus, nihil vel absurdum, vel Dei maiestati, eiusque erga homines amori parum congruum esse videbitur.*

v. 61. Ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου) Phrynichus, eiusque auctoritatem secutus SALMASIVS de L. H. p. 98. loquendi formulam ἀποτάσσεσθαί τινι pro *valedicere* barbaram plane et idioticam putant. Sed vterque falsus est. Non dubitarunt hac loquendi formula vti Philo, Iosephus, atque multi alii cultissimae orationis Scriptores. Sed nunc quidem uno Iosepho vtimur. Is igitur Lib. VIII. c. XIII. §. 7. δεηθεὶς δὲ συγχωρῆσαι αὐτῷ τοὺς γονεῖς ΑΣΠΑΣΑΣΘΑΙ, κελεύσαντος τοῦτο ποιεῖν, ΑΠΟΤΑΞΑΜΕΝΟΣ ΑΥΤΟΙΣ εἵπετο. *Rogauit tamen, vt sibi liceret parentes salutare; quo impetrato, cum illis Vale dixisset, eum secutus est:* quo loco non solum ἀσπάζεσθαί τινα (quod Phrynichus et SALMASIVS tantum pure graecum agnoscunt) sed etiam ἀποτάσσεσθαί τινι, sensu eodem, pro *valedicere*, occurrit.

Inde, ſenſu translato, vti apud Latinos *valedicere*, Lib. XI. c. VI. § 8. de Eſthere, cibo et potu abſtinente: Ἐσθὴρ δὲ ἱκέτευε τὸν Θεὸν - - τροφῆ καὶ ποτῷ καὶ τοῖς ἡδέσιν ΑΠΟΤΑΞΑΜΕΝΗ τρισὶν ἡμέραις· *Eſther autem ſupplicabat Deo -- per triduum a cibo, potu, omnibusque deliciis abſtinens.* Eſt etiam, vbi denotat aliquem *a ſe dimittere*; Lib. eod. c. VIII. §. 6. de Alexandro: τοῖς Σικιμίταις δὲ τοὺς ΑΠΕΤΑΞΑΤΟ, *Sichnitas ita a ſe dimiſit.*

CAPVT X.

v. 40. Ἡ δὲ Μάρθα περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν) Eleganter hoc verbum de iis vſurpatur, *qui nimis ſunt in aliqua re occupati, nimisque animo in ea defixi, curisque diſtricti*; ut erret Thomas Magiſter, qui hanc vocem improbat. Iis exemplis, quibus alii huius verbi bonitatem contra illum Grammaticum vindicarunt, addenda haec ſunt Ioſephi: Lib. V. Ant. c. I. §. 15. ἐνίων δὲ καὶ πρὸς θέαν τῶν ἔξω τὴν γνώμην ΠΕΡΙΣΠΩΜΕΝΩΝ, *aliqui vero et in illis, qui egreſſi fuerant, obſeruandis animo eſſent defixi:* de B. I. Lib. V. c. VI. §. 2. ἀναπνεύσειν, ΠΕΡΙΣΠΩΜΕΝΩΝ πρὸς τοὺς ἔξωθεν, ὑπελάμβανον, *exiſtimabant, ſe reſpiraturos eſſe, cum inimici adverſus externos diſtricti eſſent:* et Lib. VII. de B. I. c. VIII. §. 7. τοῦ σώματος τὰς ψυχὰς μὴ ΠΕΡΙΣΠΩΝΤΟΣ, *cum corpus animas non diſtringit.*

CAPVT XII.

V. 29. Καὶ μὴ μετεωρίζεσθαι) Tam multa de huius verbi ſignificatu dicta ſunt, vt, quaedam non dicta eſſe, praeſtaret. Equidem, reiectis aliis contortis, longeque petitis interpretationibus, omnino ſubſcribendum puto ſententiae GROTII, PRICAEI, CHEMNITII et aliorum, qui μετεωρίζεσθαι de *fluctuatione animi, inter ſpem metumque dubii et ſuſpenſi*, capiunt; quae interpretatio

tatio et sermoni Christi, eiusque consilio, et linguae Graecae optime convenit. Quamquam autem FABRICIVS, ὁ πάνυ, ad Sextum Empiricum, hunc vocis significatum satis luculenter probasse mihi videtur, tamen, cum RAPHELIVM et ELSNERVM de eo adhuc subdubitare videam, iuuat quaedam alia loca ei stabiliendo afferre. Iosephus Lib. IV. Ant. c. III. §. 1. de populo, qui pendens animi haerebat, quis summum Sacerdotium ex voluntate Dei adepturus esset: Συνέβαινε δ' εἶναι τὴν ἐκκλησίαν θορυβώδη, ΜΕΤΕΩΡΟΥ τοῦ πλήθους ὄντος ἐπ' ἐλπίσι τῶν ἐσομένων, *Contigit autem, vt tumultuosa esset concio, populo euentus expectatione suspenso.* Lib. VIII. Ant. c. VIII. §. 2. de populo anxie expectante, quid responsi ab Roboamo laturi sint: ὡς συνῆλθον ἀκουσόμενον τὸ πλῆθος τῇ τρίτῃ τῶν ἡμερῶν, ΜΕΤΕΩΡΟΥ τοῦ λαοῦ παντὸς ὄντος, καί τι λέγοντος ἀκοῦσαι τοῦ βασιλέως ἐσπουδακότος, *postquam tertia die populus ad audiendum conuenit, cunctis exspectatione suspensis, omnique studio agentibus, vt verba Regis audirent.* Sensu non fere dissimili, Lib. XVI. c. XI §. ἡ βασιλεία ΜΕΤΕΩΡΟΣ, est *regnum, quod cui deferatur, in dubio adhuc et incerto est.* Quamquam autem ipsum verbum μετεωρίζεσθαι apud Iosephum non deprehendi, tamen ex vocis μετεώρου significatu commodissime τοῦ μετεωρίζεσθαι notio erui potest, quae huic loco conuenit, ita ut μετεωρίζεσθαι dicantur, *qui animo ob curam futuri victus anxio, diuinaeque prouidentiae diffiso, fluctuant, neque spe in diuinam prouidentiam collocata firmati sunt:* metaphora haud dubie petita a nauibus, quae μετεωρίζεσθαι, h. e. *in alto maris aestu hinc illic agitari* dicuntur.

v. 36. Πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων) Recte et vsui loquendi optimorum Scriptorum conuenienter Lucas τὸ ἀναλύειν de *discessu ex conuiuio* vsurpauit. Sic Iosephus Lib. VI. Ant. c. IV. §. 1. ἐπεὶ δ' ἡ κοίτης ὥρα προσῆγεν, οἱ μὲν ἀναστάντες ΑΝΕΛΥΟΝ πρὸς αὐτοὺς ἕκαστοι· *Cum vero hora cubitus venisset, alii domum quisque suam discedebant.*

Lib.

Lib. XI. c. III. §. 2. ἐπεὶ δὲ, κατευωχηθέντες ἄχρι κόρȣ καὶ πλησμονῆς, ΑΝΕΛΥΣΑΝ κοιμηθησόμενοι παρ' αὐτοῖς ἕκαστοι· *Postquam autem, abunde et ad satietatem epulati, cubitum discesserant.* Vnde ἀνάλυσις de *discessu ex conuiuio*, infra Lib. XIX. c. IV. §. 1.

v. 58. Ὡς γὰρ ὑπάγεις - - δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτȣ̃) *Da operam, vt ab Aduersario libereris,* seu *tibi eum reconcilies.* Hic est verus horum verborum sensus. In verbis δὸς ἐργασίαν, *da operam*, est Latinismus, quem qui tollere conantur, operam et oleum perdunt: ἀπαλλάττεσθαι ἀπό τινος est, *ab aliquo, a quo periculum imminet, liberari.* Iosephus Lib. V. Ant. c. II. §. 8. πραγμάτων ἀπηλλάχθαι, *rebus difficilibus*, f. *periculo liberari*; et Lib. X. c. VI. §. 2. dicit Saulus, qui Dauidem, a quo periculum, nescio quod, timendum sibi calumniabatur, e medio sublatum cupiebat, ἀπαλλαγήσομαι ἀπ' αὐτȣ̃, *ab eo liberabor.* Igitur in hoc Lucae loco ἀπηλλάχθαι ἀπὸ τȣ̃ ἀντιδίκȣ nihil aliud est, quam *periculo, ab aduersario imminente, liberari*, siue, *aduersario reconciliari*: idem enim hic δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπὸ τȣ̃ ἀντιδίκȣ, quod Matthaeo c. V. v. 24. loco parallelo, est, διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ, *in gratiam reducas fratrem iratum.* Sed de toto hoc loco, paullo difficiliori, quem Interpretes intactum fere reliquerunt, pluribus disputabimus in *Commentario ad Decretum Flauianum* p. 42. seqq.

CAPVT XIII.

V. 1. Περὶ τῶν Γαλιλαίων) Huius Galilaeorum caedis, iussu Pilati commissae, Iosephus non meminit: Cuius rei causa forte haec est, quod instituto suo non admodum necessarium putauit, huius cruenti odii, quo Pilatus in gentem Iudaicam exarserat, documentum afferre, cum de eo alibi sat luculenta specimina proposuerit, v. c. Lib. XVIII. Ant. c. IV. §. 1. et de B. I. Lib. II. c. VIII. Non igitur intelligo, qua ratione commotus OTTIVS V. C. in *Spici-*

spicilegio ad N. T. p. 156. scribere potuerit, hanc ipsam caedem, de qua hic Lucas, consignatam legi apud Iosephum Lib. XVIII. C. II. in quo aeque falsus est, ac in hoc, quod hos Galilaeos a Iuda Galilaeo dictos esse dicit, cum dubium non sit, quin his Galilaeis a patria id nomen adhaeserit.

CAPVT XIV.

V. 18. Ἔχε με παρῃτημένον) Non possum assentire SCHWARZIO, V. C. qui in Notis ad OLEARIVM de stilo N. T. multis id agit, vt Latinismum hunc tollat, verbaque haec ita reddenda esse, aliis persuadeat: *memoria tene, me deprecatum esse*, vel, *tene, me deprecatum;* Vir doctus alibi audiendus est. Scilicet omnino hic agnoscendus Latinismus est, locusque ita reddendus: *habe me excusatum, s. habe me eum, qui inuitationem ad coenam deprecatus est.* Παραιτεῖσθαι ἑαυτὸν pro *semet ipsum excusare*, paullo rarius insolentiusque dictum, apud Iosephum quoque est, Lib. I. Ant. C. I. §. 3. Ἄδαμος δὲ ΠΑΡΗΙΤΕΙΤΟ τῆς ἁμαρτίας αὐτόν. *Adamus excusabat se ob peccatum commissum.* Sed magis huic Lucae loco illam huius Verbi notionem conuenire arbitror, qua παραιτεῖσθαι dicitur is, *qui, inuitatus ad coenam, modeste recusat.* Huius significatus, rarissimi sane, exemplum occurrere apud Plutarchum, H. STEPHANVS in Thes. Gr. L. T. I. p. 245. obseruat, sed ita, vt neque locum, neque librum indicet. Occurrit autem ea notione diserte apud Iosephum Lib. VII. Ant. C. VIII. §. 2. de Dauide, a filio Abesalomo ad conuiuium vocato: παρεκάλει τὸν πατέρα σὺν καὶ τοῖς ἀδελφοῖς ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν ἐφ' ἑστίασιν. ΠΑΡΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΥ δ' ὡς ἂν μὴ βαρὺς αὐτῷ γένοιτο· *rogauit patrem, simul et fratres, vt ad se venirent, et secum conuiuium agerent: hoc autem SE EXCVSANTE, quod nollet ei oneri esse.* Eadem notione hoc Verbum sumendum in ipso huius Versus initio: ἤρξαντο παραιτεῖσθαι πάντες. Caeterum in vocibus ἀπὸ μιᾶς sub-

subintelligendum puto φωνῆς, quod diserte adiecit Iosephus, *de Macc.* T. II. p. 509. πάντες ΔΙΑ ΜΙΑΣ ΦΩΝΑΣ ἐμῦ, ὥσπερ ἀπὸ τῆς αὐτῆς ψυχῆς, εἶπον· *Omnes vno ore simul, quasi ex eodem animo, responderunt.* Pro eo, sensu eodem, Lib. XII. Ant. C. II. §. 10. est, ἐκβοησάντων ὑφ' ἕν, *cum iunctis vocibus clamorem sustulissent.*

v. 23. Ἀνάγκασον εἰσελθεῖν) Satis notum, quam misere Pontificii hunc locum eo torqueant, vt ostendant, in religionis negotio esse vim adhibendam. Sed dudum a multis insulsa haec et impia opinio erroris conuicta, et luculenter demonstratum est, ἀναγκάζειν, ex vsu optimi cuiusque Scriptoris, saepe esse, *verbis alicui aliquid persuadere, rationibus aliquem permouere.* Iuuat eam rem claris aliquot locis Iosephi confirmare. Lib. VI. Ant. C. LIV. §. 3. de Saulo, apud mulierem illam ventriloquam commorante, μόλις ἑαυτῦ γενόμενον, ΣΥΝΗΝΑΓΚΑΣΕΝ ἡ γυνὴ γεύσασθαι· *Cum aegre ad se rediisset, mulier multis verbis eum permouit, vt cibum sumeret:* Sic paullo post in eadem re est ἐβιάσατο, quod quomodo vna cum τῷ συναναγκάζειν intelligendum sit, ipse Iosephus docet, cum, explicandi caussa, addidit συνέπεισεν. Sic βιάζειν apud eundem est, *verbis, rationibus persuadere*: Lib. V. Ant. C. VI. §. 7. Γεδεὼν, τὴν ἀρχὴν ἀποθέσθαι βυλόμενος, ΒΙΑΣΘΕΙΣ, ἔσχεν αὐτήν. *Cum in animo Gedeon haberet, imperium deponere, precibus permoueri se passus est, vt retineret.* Cf. Lib. VI. Ant. C. XIV. §. 3.

v. 31. Πορευόμενος συμβαλεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον) Mirum sane, RAPHELIVM, Virum graece doctissimum, dubitare potuisse, an graece dicatur συμβαλεῖν εἰς πόλεμον: de quo plane non erat dubitandum. Cum enim saepissime occurrat συμβαλεῖν εἰς μάχην, quidni dicatur συμβαλεῖν εἰς πόλεμον? praesertim cum πόλεμος saepe idem sit, quod μάχη. Ita autem Iosephus Lib. VI. Ant. C. V. §. 3. Συμβαλεῖν ΕΙΣ μάχην. Lib. XII. C. IV. §. 9. Συμβαλόντων αὐτῷ τῶν ἀδελφῶν ΕΙΣ μάχην. Lib. eodem Cap. VIII. §. 4. εἰ συμβάλοιεν ΕΙΣ μάχην τοῖς

Ἰυδαί-

Ἰουδαίοις, et §. 6. μὴ συμβαλεῖν ΕΙΣ μάχην, et sic multis locis aliis; adeo vt, vbi συμβαλεῖν nude pro *confligere* positum occurrit, vbique εἰς μάχην, vel πόλεμον subaudiendum videatur.

CAPVT XVI.

V. 1. Οὗτος διεβλήθη αὐτῷ) *Hic apud eum delatus est:* neque falsam fuisse istam delationem, sequentia docent. Διαβάλλειν enim non solum *calumniari*, seu *falso accusare*, sed in vniuersum *denunciare* aliquid denotat, siue verum illud sit, siue falsum. Est haec vox ex earum numero, quae Veteribus Grammaticis *ancipites* dicebantur. Apud Iosephum Lib. VI. Ant. C. X. §. 2. Sauli filia, amore Dauidis capta, eumque amoris affectum non celans, dicitur ΔΙΑΒΛΗΘΗΝΑΙ πρὸς τὸν πατέρα, *apud patrem delata esse*. Sic διαβολὴ est vocabulum μέσον, *sermonem quemcunque* denotans: vnde Lib. eodem C. XIII. §. 4. διαβολαὶ ψευδεῖς, *crimina falsa*.

V. 23. Ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ) Eadem futurae felicitatis dedescriptio apud Iosephum est, Lib. *de Maccab.* T. II. p. 514. vbi septeni illi fratres ad mortem intrepide subeundam se inuicem inter caetera his verbis cohortantur: καθοπλισώμεθα τοιγαροῦν τὴν τοῦ θείου λογισμοῦ παθοκράτειαν· οὕτω γὰρ θανόντας ἡμᾶς Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ ὑποδέξονται ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΚΟΛΠΟΥΣ ΑΥΤΩΝ, *Quare armemus nos diuinae rationis in perturbationes auctoritate et dominatu: vt ita mortuos Abrahamus, Isaacus et Iacobus in sinus nos suos excipiant.*

CAPVT XVII.

V. 7. Εὐθέως παρελθὼν ἀνάπεσαι) Ita vulgo: quidam autem Codd. ἀνάπεσε, quam lectionem BENGELIVS in sua Editione exprimendam curauit. Eadem huius vocis Varie-

tas occurrit supra C. XIV. 10. vbi alii ἀνάπεσε, alii ἀνάπεσαι, alii denique ἀνάπεσον: quod ad sensum, nihil interest. Illud autem ἀνάπεσαι paullo insolentius quidem, nec sine exemplo tamen, vsurpatum est. Occurrit enim aliud e πίπτειν compositum Voce Media etiam apud Iosephum, Lib. VII. de B. I. C. VI. §. 4. οἱ μὲν δ' ἀνδρότατοι τῶν ἐξιόντων ἔφθασαν ΔΙΕΚΠΕΣΑΣΘΑΙ. Alia ex aliis Auctoribus in hanc rem exempla suppeditat ABRESCHIVS, V. C. in Adnotatt. ad N. T. p. 588.

v. 8. Διήρχετο διὰ μέσυ Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας) sunt Viri docti, qui voces διὰ μέσυ hic plane otiosas putent. Neque nego, eas interdum παρέλκειν: (res enim hodie est, post GLASSIVM, VORSTIVM, et alios, satis nota) sed h. l. suam vim obtinent. Putarunt illi Viri optimi, his loquendi formulis, διέρχεσθαι διὰ τόπυ τινὸς, et διέρχεσθαι διὰ μέσυ τόπυ τινὸς, vnum idemque significari: quod longe secus est. Nam si Lucas scripsisset, διήρχετο διὰ Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας, ex linguae ratione id quoque significare possit, *Iesum Samariam et Galilaeam praeteriisse.* Nam διέρχεσθαι, παρέρχεσθαι, παριέναι διὰ τόπυ τινὸς, saepe Graecis non *per locum aliquem transire,* sed *locum aliquem praeterire* denotat: Sic v. c. apud Iosephum Lib. I. de B. I. C. III. §. 4. Ὃς ἐπειδὴ καὶ τότε τὸν Ἀντίγονον ἐθεάσατο ΠΑΡΙΟΝΤΑ ΔΙΑ τῦ ἱερῦ· quod non reddendum est, cum vidisset Antigonum *transeuntem per templum,* sed, *praetereuntem templum, euntem propter templum:* quod dilucide intelligitur ex alio Iosephi loco, vbi eadem res narratur, Lib. XIII. Ant. C. XI. §. 2. ἰδὼν τὸν Ἀντίγονον παριόντα τὸ ἱερὸν, omisso τῷ διά· et sic innumeris aliis locis: Quod si Viri quidam docti recordati fuissent, illa Marc. II. 23. ἐγένετο παραπορεύεσθαι αὐτὸν - - διὰ τῶν σπορίμων, non reddidissent, *cum transiret PER sata, s. agros frugibus consitos.* Nam hoc sine damno possessorum fieri non potuisset, nec Christus adeo discipulis suis id concessurus fuisset. Sed nec Marci ea mens est: qui si id, quod Viri illi docti putant, indi-

indicare voluisset, haud dubie scripturus erat, *παραπορεύεσθαι διὰ μέσυ τῶν σποριμων*; cum autem nude dixerit, *παραπορεύεσθαι διὰ τῶν σπορίμων*, verba, et rei ipsi, et linguae rationi conuenienter, ita reddenda sunt: *cum praeteriret segetes, IVXTA agros frugibus consitos ambularet.* Sed huius loci D. Lucae alia ratio est; adiectae voces *διὰ μέσυ* indicant, ea verba necessario esse intelligenda ita, vt *Christum per medios fines Samariae et Galilaeae transiisse* dicamus.

v. 23. Μὴ ἀπέλθητε, μηδὲ διώξητε) Notandum, τὸ διώκειν h. l. sensu bono pro *sequi aliquem* sumi. Sic apud Marc. I. 36. *καταδιώκειν* est sensu eodem; vbi WOLFIVS notat, ea voce Thucydidem quoque vti, sed *sensu sequiori:* quod sane monendum non erat, cum eo nihil sit tritius: Sed docendum, *sensu bono* apud alios etiam, praeter Sacros, scriptores occurrere. Quo sensu est apud Iosephum Lib. I. de B. I. C. XVI. §. 7. ὁ δὲ, ἐν ἐπιλογισμῷ τῶν ἡμαρτημένων γενόμενος, ταχέως ΜΕΤΑΔΙΩΚΕΙ τε τὸν βασιλέα, καὶ πολλὰ δεηθεὶς, ἑαυτῷ διαλλάττει· *At ille, cum sua secum reputasset delicta, et regem celeriter sequebatur, et multis precibus effecit, vt in gratiam rediret.* Latinorum quoque *persequi* interdum sensu bono vsurpatur, v. c. apud Horat. Sermon. I, 9. v. 16. vbi BENTLEIVS malebat *prosequitur*, male! Alia in hanc rem ex Graecis Latinisque Auctoribus Exempla larga manu suppeditat ABRESCH, V. C. in Animadu. ad Aeschylum p. 88.

CAPVT XIX.

V. 43. Καὶ συνέξυσί σε πάντοθεν) Reddunt, *te vndique affligent, prement;* nec est, quod valde dissentiam. Nescio tamen, an non pressius genuinae Vocis significationi insistendum, reddendumque sit, *te vndique obsidione cingent:* quae propria videtur esse huius Verbi significatio, vt denotet, *vndique circumdare, cohibere, coërcere:* vnde apud Iosephum Συνοχὴ, *ambitus, quo aliquid*

vndique circumdatur, qui significatus Vocis in STEPHANI Thesauro notatus est. Locus Iosephi extat Lib. VIII. Ant. C. III. §. 2. de cellis, quae templum cingebant: περιῳκοδόμησε δὲ τὸν ναὸν ἐν κύκλῳ τριάκοντα βραχέσιν οἴκοις, οἱ ΣΥΝΟΧΗ τε τοῦ παντὸς ἔμελλον ἔσεσθαι διὰ πυκνότητα καὶ πλῆθος ἔξωθεν περικείμενοι. *Aediculas autem Templo per circuitum adstruebat triginta, quae extrinsecus circumiectae totum Templum propter crebritatem earum et multitudinem erant cohibiturae.* Caeterum quod hic Christus praedixit his verbis, περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, ei vaticinio veritas ita constitit, vt, quamquam Titi animus non fuerit, Hierosolymas circum vallare, tamen id facere propemodum coactus fuerit. Testis eius rei grauissimus est Iosephus Lib. VI. de B. I. C. VII. §. 1. et C. VIII. §. 4. Sequentium vaticiniorum exitus vid. ap. eundem V. 10. 3. VII. 1. 1.

v. 46. Ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς ἐστιν, ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν) Idem exprobrat Iudaeis Iosephus, quod hic Christus. Locus est Lib. V. de B. I. C. IX. §. 4. ἐκδοχεῖον πάντων τὸ ἱερὸν γέγονε, καὶ χερσὶν ἐμφυλίοις ὁ θεῖος μεμίανται χῶρος, ὃν καὶ Ῥωμαῖοι πόῤῥωθεν προσεκύνουν, *Templum sanctum factum est receptaculum omnium rapinarum et caedium, et indigenarum manibus inquinatus est locus sacer, quem Romani e longinquo adorabant.* Ideo Duces Titi, nolentis templum ob loci religionem dirui, pro argumento Templi exscindendi afferunt hoc, φρούριον, οὐκέτι ναὸν εἶναι, *iam Castellum, non amplius templum esse*, teste eodem Iosepho Lib. VI. de B. I. C. IV. §. 3.

CAPVT XX.

V. 1. Ἐπέστησαν οἱ ἀρχιερεῖς) Vulgo reddunt, *superuenerunt:* quod vim vocis Graecae non satis exprimit. Ἐπιστῆναί τινι est *repente, tanquam ex insidiis, prosilire, et alterum opprimere.* Nostri dicunt, **Einem unvermu-**

thet

thet über den Hals kommen. Sic Actor. IV. 1. *ἐπέστησαν αὐτοῖς οἱ ἱερεῖς*. Iosephus Lib. XI. Ant. C. VII. §. 1. *Βαγώσης, ὁ στρατηγὸς Ἀρταξέρξου, εὐθὺς* ΕΠΙΣΤΑΣ *τοῖς Ἰουδαίοις, μετὰ θυμοῦ ἤρξατο λέγειν*, *Bagoses, copiarum Artaxerxis dux, Iudaeis nec opinis superuenit, eosque iracunde allocutus est.* Eleganter Chrysostomus *de Sacerdot.* p. 28. Edit. BENGELII, de Insidiatoribus: *ἄν ποτέ τι συμβαίη, πολλοὶ καὶ πολλαχόθεν ἐφεστήκασιν· Si quid mali acciderit, multis ex locis reprente prosiliunt.*

v. 20. *Ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους*) Ἐγκάθετοι proprie sunt, *qui in locum aliquem obscurum et occultum se demiserunt, ibique subsident, vt alteri insidias struant:* deinde hoc nomine insigniuntur *omnes subdoli, et insidiarum faciendarum cupidi, qui clam subrepunt, ad explorandum, audiendum, et ex alterius sermonibus aliquid eliciendum, quo ei nocere possint:* quo posteriori significatu haec vox capienda est in hoc Lucae loco. Tales homines eleganter et accurate depingit Sirach. VIII. v. 11. vbi eos dicit *ἐγκαθίζειν ὡς ἔνεδρον τῷ στόματί τινος.* Eadem vox, non vbiuis obuia, est apud Iosephum, vbi *ἐγκάθετοι* sunt *homines subornati, qui alios vana oratione et spe decipiunt, et in miseriam coniiciunt.* Locus est Lib. VI. de B. I. C. V. §. 2. *πολλοὶ δ' ἦσαν* ΕΓΚΑΘΕΤΟΙ *παρὰ τῶν τυράννων τότε πρὸς τὸν δῆμον προφῆται, προσμένειν τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ βοήθειαν καταγγέλλοντες, ὡς ἧττον αὐτομολοῖεν, καὶ τοὺς ἐπάνω δέους καὶ φυλακῆς γινομένους ἐλπὶς παρακρατοίη· Multi autem a tyrannis subornati erant ad populum prophetae, denunciantes, esse auxilium a Deo expectandum, vt populus minus transfugeret, et eos, qui supra metum et custodes erant, spes retineret.* Cf. de hac voce SALMASIVS in Praefat. ad Commentar. de Ling. Hell. p. 44. sqq.

CAPVT XXI.

V. 23. *Ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη*) An vox *ἀνάγκη* pro *calamitate, afflictione*, apud *τοὺς ἔξω* inueniatur, nescio.

nescio. H. STEPHANVS in Thesauro nullam huius significatus mentionem fecit; nec PFOCHENIVS, aut ELSNERVS, a WOLFIO in hanc rem ad 2. Cor. VI. 4. laudati, quicquam attulerunt, quod huc faceret. Apud Iosephum autem saepe *ἀνάγκην* pro *calamitate* vsurpari animaduerti. Lib. II. Ant. C. IX. §. 3. de Mose, populum Israëliticum ex Aegyptiaca calamitate et seruitute liberaturo: *τὸ μὲν Ἑβραίων γένος τῆς παρ' Αἰγυπτίοις* ΑΝΑΓΚΗΣ *ἀπολύσει. Hebraeorum genus ex Aegyptiaca calamitate liberabit.* Lib. VI. Ant. C. V. §. 6. *ὁ Θεὸς, εὐξαμένων τῶν πατέρων, χωρὶς βασιλέως παρέχεν αὐτοῖς ῥύσασθαι* ΤΗΣ ΑΝΑΓΚΗΣ *τὸ πλῆθος· Deus, a patribus vestris inuocatus, absque rege eis auctor erat, vt populus ex illa calamitate liberaretur.* Lib. IX. C. III. §. 2. *θεασάμενοι δ' αὐτὸν οἱ βασιλεῖς, κατῴκτειραν* ΤΗΣ ΑΝΑΓΚΗΣ, *Reges autem, cum ipsum vidissent, eius calamitatis miserti sunt.* Et sic locis multis aliis.

v. 26. *Ἀποψυχέντων ἀνθρώπων*) *Hominibus metu et timore exanimatis;* Haec enim est huius vocis genuina vis. Sic apud Iosephum Lib. XIX. C. I. §. 15. *Γάιος ὑπὸ τῶ πολλῶ τῶν τραυμάτων* ΑΠΟΨΥΧΘΕΙΣ *ἔκειτο, Caius, multis vulneribus confossus, exanimis iacebat;* et *de Maccab.* T. II. p. 516. *Τρίτος* ΑΠΟΨΥΧΩΝ, *tertius animam agens.*

Ἀπὸ φόβȣ καὶ προσδοκίας) Quamquam *προσδοκᾷν* et *προσδοκία* proprie de *spe, expectationeque rerum prosperrimarum* vsurpatur; tamen h. l. de *metu imminentis calamitatis* adhibetur, more loquendi optimis scriptoribus vsitato. Iosephus Lib. XV. C. III. §. 4. *Ἀλεξάνδρα τὸ καρτερεῖν ἀναγκαῖον ἐπὶ μείζονος κακȣ* ΠΡΟΣΔΟΚΙΑι *ποιȣμένη, Alexandra cogebatur omnia patienter ferre, METV grauioris mali:* paullo post §. 8. *δικαίȣ μέντοι τυγχάνων Ἀντωνίȣ, μηδὲν ἔτι* ΠΡΟΣΔΟΚΑιΝ *δυσχερές· verum sibi, aequum habenti Antonium, nihil mali timendum esse credebat.* Eodem Lib. C. X. §. 3. *οἱ Γαδαρεῖς* - - ΠΡΟΣΔΟΚΗΣΑΝΤΕΣ, *ὅπερ εἰκὸς, ἐκδοθήσεσθαι τῷ βασιλεῖ· Gadareni, metuentes, ne, vti verisimile*

mile erat, Regi dederentur. Sic vox **ἐλπὶς** aeque malo ſenſu, ac **προσδοκία**, interdum vſurpatur. Ioſephus Lib. II. Ant. C. XV. §. 4. de Iſraëlitis, in ſummis rerum anguſtiis verſantibus, Ἐν ΕΛΠΙΔΙ τῷ πάντα ἀπολέσθαι κατεστήσαν, *in METV erant, ne omnia perderent.*

v. 28. Ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν) Ἀνακύπτειν proprie eſt, *vultum erigere, oculos in altum tollere:* quo ſignificatu proprio eſt apud Ioſephum Lib. XIX. C. VIII. §. 2. de Herode Agrippa, theatrum ingreſſo: ΑΝΑΚΥΨΑΣ δ' οὖν μετ' ὀλίγον, τὸν βουβῶνα τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἐπὶ σχοινίου τινός. *Paullo poſt autem, oculis in altum ſublatis, ſupra caput ſuum bubonem, funiculo cuidam inſidentem, conſpexit;* Translate autem eleganter ἀνακύπτειν dicuntur, qui *animum moerore deiectum ſpe laetioris fortunae recuperant et erigunt:* qua notione diſerte eſt apud eundem, qui, dilucidationis cauſa, addit, ἐκ τοῦ δέους. Locus eſt Lib. VI. de B. I. Cap. VIII. §. 5. Αὖθις δ' ὀλίγον ΑΝΑΚΥΨΑΝΤΕΣ ἐκ τοῦ δέους, *CVM AD SE REDIISSENT ex metu.* Quemadmodum autem in hoc Lucae loco ἐπαίρειν τὰς κεφαλὰς ſenſu eodem τῷ ἀνακύπτειν iungitur; ita apud Ioſephum XVII. 7. ἐπαίρεσθαι vſurpatur: τούτων ἀκροασάμενος Ἡρώδης, βραχύ μέν τι ἀνήνεγκεν, ἡδονῇ τῶν γεγραμμένων, θανάτῳ τε τῆς Ἀκμῆς ΕΠΑΙΡΟΜΕΝΟΣ, καὶ ἐξουσίᾳ τῆς ἐπὶ τῷ παιδὶ τιμωρίας. *Cum iſta audiuiſſet Herodes, meliuſcule ſeſe habuit ex tam laeto nuncio, animo recuperato et ex Acmes interitu, et ex poteſtate de filio ſupplicium ſumendi ſibi permiſſa.*

V. 30. Ὅταν προβάλωσιν ἤδη) Ellipſin hic occurrentem ſupplet Ioſephus Lib. IV. Ant. C. VIII. §. 19. Γῆν ὁ φυτεύσας, πρὸ ἐτῶν τεσσάρων ἂν ΚΑΡΠΟΝ ΠΡΟΒΑΛΗι τὰ φυτά, *Qui terram conſeuerit, ſi ante quatuor annos fructum ediderint ſtirpes;* poſſis quoque ex Marco C. XIII. v. 28. ſupplere τὰ φύλλα.

CAPVT XXII.

V. 5. Συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι) Vulgo reddunt: *pacti sunt, se ei daturos esse pecuniam;* quod nolim equidem improbare, cum, hoc sensu eam vocem interdum occurrere, sciam; v. c. apud Iosephum Lib. I. A. C. XIX. §. 7. de Labano: τοῦ δ' Ἰακώβου τούτοις συγχωροῦντος, ἑπτὰ ἐτῶν χρόνον ΣΥΝΤΙΘΕΤΑΙ· *His assentiente Iacobo, paciscitur in septem annos:* tamen hic reddere malim, *polliciti sunt;* quod Voci Graecae accuratius conuenit. Apud Iosephum, praeter eum, quem diximus, adhuc triplici sensu τὸ συντίθεσθαι deprehendi. 1) Συντίθεσθαί τινι est, *constituere aliquid cum aliquo*, **Etwas mit einem verabreden**. Lib. VI. Ant. C. VI. §. 2. ΣΥΝΤΙΘΕΤΑΙ δὲ ὁ Σαούλου παῖς τῷ ὁπλοφόρῳ, κρύφα πορευθέντων αὐτῶν εἰς τὴν τῶν πολεμίων παρεμβολὴν ἐκδραμεῖν, *Sauli filius vero constituit cum armigero suo, vt clam digressi in hostium castra excurrerent.* Lib. VIII. C. XV. §. 5. ΣΥΝΕΘΕΝΤΟ ὅ, τε Ἀχαάβος καὶ Ἰωσάφατος· *Constituerunt Achabus et Iosaphatus.* 2) Συντίθεσθαι, *vnanimi consensu aliquid decernere:* quo sensu est Lib. IX. Ant. C. X. §. 2. de vectoribus illius nauis, qua Ionas vehebatur, suspicatis, aliquem in naui illius tempestatis esse caussam, ΣΥΝΕΘΕΝΤΟ κλήρῳ τοῦτον, ὅστις ποτὲ εἴη, μαθεῖν, *Constituerunt, vnanimi consensu decreuerunt, iactis sortibus, quisnam ille sit, deprehendere.* 3) Συντίθεσθαι denotat, *aliquid sub conditione quadam promittere:* qua notione hoc Verbum est Lib. XIII. Ant. C. IV. §. 7. Πτολεμαῖος πέμπει πρὸς Δημήτριον εὐθὺς περὶ συμμαχίας καὶ φιλίας, ΣΥΝΤΙΘΕΜΕΝΟΣ τὴν θυγατέρα δώσειν αὐτῷ εἰς γυναῖκα· *Ptolomaeus confestim mittit ad Demetrium legatos de societate et amicitia, pollicitus, se filiam ei vxorem esse daturum.* Et hoc vltimo sensu τὸ συντίθεσθαι in hoc Lucae loco sumendum arbitror.

V. 6. Καὶ ἐξωμολόγησε) WOLFIVS cum KEVCHENIO interpretatur, *iuramento confirmauit*, vel *obstrinxit se;*

se; quod, vereor vt admitti possit. Probandum his Viris doctis erat, ἐξομολογεῖν apud idoneum aliquem auctorem eo sensu occurrere. Ἐξομολογεῖν h. l. est *spondere*, qua notione Verbum simplex saepe inuenitur. Iosephus Lib. VI. Ant. C. III. § 5. Σαμουῆλος ἀποδείξειν αὐτοῖς βασιλέα ΩΜΟΛΟΓΗΣΕΝ, *Samuelus promisit, se eis regem creaturum esse.* Lib. VIII. Ant. C. IV. §. 3. in precibus Salomonis ad Deum, δέομαι - - τὸν οἶκον τὸν ἡμέτερον αὔξειν εἰς ἅπαν, ὡς καὶ ΩΜΟΛΟΓΗΣΑΣ Δαυίδῃ, *precor - - vt familiam nostram auctam velis in omne aeuum, quemadmodum promisisti Dauidi.* Lib. XVIII. C. VI. §. 3. ἀργύριον πλεῖστον ΩΜΟΛΟΓΗΤΟ αὐτῷ. Sic Matth. XIV. 7. μεθ᾽ ὅρκου ὡμολόγησεν. Sed haec satis nota. Miror autem, Viros illos doctos non cepisse in hoc Lucae loco Atticam illam elegantiam, qua, breuitatis causa, vna et item altera voce omissa, eius rei indicium faciunt per Praepositionem, quae, cum sola poni nequeat, Verbo adiungitur, sed si suppleueris, quae omissa sunt, ea Praepositio in locum transit suum. Sensus igitur horum verborum est: Summi Sacerdotes polliciti sunt, se Iudae pecuniam esse daturos: *et hic spopondit.* Nulla igitur, inquis, τῆς ἐκ hic vis est? immo vero est. Nam ἐξωμολόγησεν dictum est pro, ὡμολόγησεν ΕΚ τοῦ ἀργυρίου, **Er hat es ihnen um das Geld versprochen zu thun**, quam scil. pecuniam ei promiserant. Ὁμολογεῖν ἐκ τοῦ ἀργυρίου, eodem modo dictum, quo Matth. XXV. 2. συμφωνεῖν ἐκ δηναρίου. De hac autem elegantia Attica pluribus disputabamus supra ad C. VI. v. 35. Haec interpretatio mea si Tibi forte, Erudite Lector, minus probetur, en tibi alteram hanc: *Summi Sacerdotes se pecuniam Iudae daturos polliciti sunt: et hic CONDITIONEM ACCEPIT.* Ὁμολογεῖν enim saepe optimo cuique scriptori est, *conditionem accipere:* Nostri dicunt, **den Vorschlag annehmen.** Sie apud Iosephum Lib. VIII. Ant. C. V. §. 3. ΟΜΟΛΟΓΗΣΑΝΤΑ δὲ τὸν Εἴραμον, καὶ μὴ δυνηθέντα λῦσαι τὰ αἰνίγματα, πολλὰ τῶν χρημάτων εἰς τὸ ἐπιζήμιον ἀναλῶσαι.

λῶσαι. *Hiramus, cum conditionem accepisset, nec aenigmata explicare potuisset, magnam pecuniae vim pro mulcta pependit:* adeo vt, ex hac interpretatione, nulla Praepositionis ἐκ ratio habeatur: quod saepe apud Graecos fieri, ostendebamus multis supra ad Matth. III. v. 6. ipsius vocis ἐξομολογεῖσθαι exemplo. Sed, vt ingenue fatear, prior illa interpretatio prae hac sese mihi commendat.

v. 20. Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον) Cum ex regulis Grammatices dicendum fuisset, τῷ ἐκχυνομένῳ, ut τῷ αἵματι responderet; Soloecismum, vel σολοικοφανὲς certe, ab hoc loco remoturus STOLBERGIVS, rationes ita instituit, vt dicat, τὸ ἐκχυνόμενον non ad vocem αἵματι esse, sed ad ποτήριον referendum. Sed nihil hic quidem ille Vir doctissimus efficit. Nam, ne dicam, duriusculum esse, ex Graecorum loquendi more, *poculum pro vobis effunditur*, Matthaeus XXVI. 28. et Marc. XIV. 24. diserte docent, τὸ ἐκχυνόμενον ad αἷμα esse necessario referendum: Alius quidem Vir doctus, quem nominare, verecundia ductus, dubito, Constructionis integritati ita consulendum putat, ut haec verba per ellipsin explicentur hoc modo: ὅ ἐστιν ἐκχυνόμενον; sed vestram fidem, Philologi et Grammatici, quae tandem haec est loquendi ratio, ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὅ ἐστιν ἐκχυνόμενον? Mentem alibi occupatam habebat Vir doctus, cum ista scribebat. Est sane in hoc loco ratio loquendi, a Grammatices regulis quam longissime recedens (*Soloecismi* enim vocabulo, quo multorum aures religiosae offenduntur, vti nolumus) sed tales in N. T. plures occurrunt, quas si quis ad severas Grammaticorum regulas exigere velit, ab iis abhorrere eas deprehendet. v. c. Coloss. III. 16. ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ΥΜΙΝ - - ΔΙΔΑΣΚΟΝΤΕΣ, Apocalyps. c. I. v. 5. ἀπὸ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ ὁ ΜΑΡΤΥΣ-ΤΩι ΑΓΑΠΗΣΑΝΤΙ etc. Actor. XV. 22. τότε ἔδοξε τοῖς ΑΠΟΣΤΟΛΟΙΣ - - ΕΚΛΕΞΑΜΕΝΟΥΣ - ΓΡΑΨΑΝΤΕΣ, et multis locis aliis: quas constructiones, si quis ita expedire conetur,

vt

vt Grammaticorum regulis respondeant, nae is studium operamque lusisse videri queat. Tales autem Constructiones, a Grammaticorum praeceptiunculis valde discrepantes, apud Auctores profanos, qui tamen diligenter scribendi laudem aucupati sunt, multas occurrere, ostendebamus in *Commentario nostro Historico-Grammatico-Critico ad Decretum Atheniensium pro Hyrcano Pontif. M. factum*, p. 79. seqq. et nunc aliquot exemplis, ex uno Iosepho petitis, ostendemus. Lib. IX. Antiquitt. c. XI. §. 3. ὁ ΔΗΜΟΣ ἅπας ταρασσόμενος καὶ κλυδωνιζόμενος εἰχήσεται φεύγων, ΛΕΓΟΝΤΩΝ πρὸς ἀλλήλους. Lib. XVI. c. II. §. 1. Ἡρώδης Ἀγρίππαν ὑποδεχόμενος - ἔν τε τῇ Σεβαστῇ, καὶ Καισαρείᾳ περὶ τὸν λιμένα τὸν ὑπ' αὐτοῦ κατεσκευασμένον, κἂν ΤΟΙΣ ΕΡΥΜΑΣΙΝ - - ΤΟ, τε ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΟΝ, καὶ ΗΡΩΔΙΟΝ, καὶ ΤΗΝ ΥΡΚΑΝΙΑΝ. Lib. XVI. c. IX. §. 4. γίνεται λόγος εὐθὺς ΑΠΑΣΙ - - ΕΚΔΕΧΟΜΕΝΩΝ. Lib. XVII. c. VIII. §. III. Μελῆσαν ΑΡΧΕΛΑΩι - - πάντα τὸν κόσμον ΠΡΟΚΟΜΙΣΑΝΤΟΣ. Lib. XVIII. c. VI. §. 10. ΓΑΪΟΣ δ' ὡς ἐπὶ Ῥώμην παρῆν - - ΟΝΤΑ ΠΡΟΘΥΜΟΝ, κώλυμα Ἀντωνία ἦν, pro Γαΐῳ - παρόντι - ὄντι κώλυμα ἦν. Sed huius mutatae Constructionis exempla apud optimum quemque Scriptorem sunt ὅσα κόνις adeo vt non sit, quod quis vereatur, ne hac re sanctitati diuinarum literarum aliquid decedat.

v. 29. Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν - βασιλείαν) BEZA reddidit, *Ego paciscor vobis regnum*: quod iure improbatur: nec melius alii, *ego vobis dispono regnum*: reddendum erat: *Ego vobis tanquam testamento lego regnum*. Sic Iosephus Lib. XIII. Ant. c. XVI. §. 1. Δύο μέντοι υἱοὺς Ἀλέξανδρος κατέλιπεν, Ὑρκανὸν καὶ Ἀριστόβουλον, τὴν δὲ βασιλείαν εἰς τὴν Ἀλεξάνδραν ΔΙΕΘΕΤΟ, *Alexander duos filios reliquit, Hyrcanum et Aristobulum, sed regnum testamento legauit Alexandrae*.

v. 31. Ὁ Σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς) Iam RAPHELIO ad h. l. obseruatum, ἐξαιτεῖσθαι esse, *postulare*, *vt*

sibi quis dedatur, seu *deposcere aliquem ad poenam.* Confirmat Iosephus Lib. V. Ant. c. II. §. 9. de Israëlitis, Gabaënses iuuenes, ob nefandum stuprum commissum, ad poenas deposcentibus, Καλῶς ἔχειν, τῷ νόμῳ πειθομένους, πέμψαι πρὸς τοὺς Γαβαηνοὺς, ΕΞΑΙΤΟΥΝΤΑΣ τοὺς αἰτίους, *Aequum esse, vt iuxta legem ad Gabaënos legati mittantur, qui sceleris auctores ad supplicium deposcant:* quod hic ἐξαιτεῖν dicitur, id, paucis versiculis interiectis, exprimitur per αἰτεῖν πρὸς τιμωρίαν.

v. 37. Καὶ γὰρ τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει) *Quae de me praedicta sunt, implentur.* Loquendi ratio, λαβεῖν τέλος, hoc sensu frequentissima Iosepho est. Lib. II. Ant. c. V. §. 3. de interpretatione somniorum, a Iosepho facta: ταῦτα ΤΕΛΟΣ ὅμοιον οἷς ὁ Ἰώσηπος εἶπεν, ἀμφοτέροις ΕΛΑΒΕ, *Haec somnia ita, vt Iosephus praedixerat, impleta sunt.* Lib. IV. Ant. c. VI. §. 5. de vaticiniorum impletione: ὧν πάντων ΤΕΛΟΣ ΛΑΒΟΝΤΩΝ ὁποῖον ἐκεῖνος προεῖπε, *cum haec omnia implerentur, vti ille praedixerat.* Sic τέλος pro *rei praedictae euentu* est. Lib. X. c. II. §. 2. de Esaia: ἅπαντα ὅσα προεφήτευσεν ἐγγράψας βίβλοις κατέλιπεν, ἐκ τοῦ ΤΕΛΟΥΣ γνωρισθησόμενα τοῖς αὖθις ἀνθρώποις, *Quaecunque vaticinatus est, scriptis mandata reliquit posteris, ex euentu diiudicanda:* quo sensu est τελευτὴ apud eundem Lib. II. Ant. c. VI. §. 6. et Lib. I. c. III. §. 8. Deus eleganter dicitur τὰς εὐχὰς ΕΙΣ ΤΕΛΟΣ ἄγειν, *vota rata facere.*

CAPVT XXIII.

V. 23. Οἱ δὲ ἐπέκειντο φωναῖς μεγάλαις) *Hi autem magnis clamoribus urgebant.* Iosephus Lib. XVIII. Ant. c. VI. §. 6. πολλῷ μᾶλλον ΕΠΕΚΕΙΤΟ, ἀξιῶν ἐξέτασιν γενέσθαι τοῦ πράγματος, *Eo magis vrgebat, rogans, vt res discuteretur.* Lib. XX. c. V. §. 3. μᾶλλον ΕΠΕΚΕΙΝΤΟ βλασφημοῦντες, *magis conuiciis vrgebant.*

V. 51. Οὗτος οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος) *Ad eorum consilium non accesserat.* Eleganter enim συγκατατίθεσθαι dicitur pro *assentire*, *alicuius sententiae subscribere*, metaphora ducta a calculis eorum, qui rationes subducunt, aut suffragia ferunt. Eodem sensu apud Iosephum, A. VIII, 6, 5. de Regina Aethiopiae: πεισθῆναι ὑπὸ τῆς πείρας, ἀλλ᾽ οὐχ᾽ ὑπὸ τῆς ἀκοῆς· ἣν εἰκός ἐστι καὶ ψευδεῖ δόξῃ ΣΥΓΚΑΤΑΤΙΘΕΣΘΑΙ, *Volens ipsa experientia edoceri, non autem fama et auditione, quae, utpote a narrantium fide pendens, falsae nonnunquam, vt fieri solet, opinioni assentitur.* XX, 1, 2. ΣΥΓΚΑΤΕΘΕΜΗΝ τῇ γνώμῃ ταύτῃ: *huic voluntati vestrae assensus sum.* Eodem sensu est προστίθεσθαι τὴν γνώμην, I, 12, 3. ὁ δὲ κατ᾽ ἀρχὰς οὐ ΠΡΟΣΕΤΙΘΕΤΟ τὴν αὐτοῦ γνώμην, *ille vero primum assensum suum non praebebat.*

Capvt XXIV.

V. 14. Ὡμίλουν πρὸς ἀλλήλους) *Confabulabantur inter se, colloquebantur.* Ita Graeci T. V. Interpretes interdum Ebraicum שׂוּחַ pro *colloqui* per ὁμιλεῖν reddiderunt. Sic Genes. c. XXIV. v. 63. לָשׂוּחַ בַּשָּׂדֶה LXX. Seniores expresserunt per ἀδολεσχῆσαι, Symmachus λαλῆσαι, Aquila autem ὁμιλῆσαι. Idem Aquila vocem שִׂיחַ Psalm. LV. 3. redditit ὁμιλίαν, LXX. Seniores autem per ἀδολεσχίαν: et Psalm. CIV. 34. יֶעֱרַב עָלָיו שִׂיחִי *suaue ipsi erit colloquium meum*, vbi LXX. Seniores διαλογὴ, Aquila autem ὁμιλία. Vid. Drvsivs ad Fragm. Vett. Interprett. p. 34. Sed is huius verbi significatus apud Iosephum quoque frequentissime occurrit. Ant. X, 11, 7. πεπιστεύκαμεν ἐξ αὐτῶν (βιβλίων) ὅτι Δανιῆλος ΩΜΙΛΕΙ τῷ Θεῷ. *Libri Danielis nobis fidem faciunt, eum cum Deo colloquia habuisse.* XI, 3, 2. εἰς ΟΜΙΛΙΑΝ τρέπεται μετὰ τριῶν σωματοφυλάκων, *Confabulatus est cum tribus Satellitibus.* et c. V. §. 6. ξένων τινῶν εἰς τὴν πόλιν εἰσιόντων ἐπακούσας Ἑβραϊστὶ πρὸς ἀλλήλους ΟΜΙΛΟΥΝΤΩΝ, *cum animadvertisset, hospi-*

hospites quosdam, vrbem ingressos, hebraice inter se confabulari. XI, 6, 9. βασιλεὺς ταῖς ἀγκάλαις αὐτὴν ὑπολαβὼν ἀνεκτᾶτο, καταστπαζόμενός τε καὶ ΠΡΟΣΟΜΙΛΩΝ ἡδέως, *Rex eam vlnis exceptam refocillabat, et complexus eam blande alloquebatur.* Et §. 11. τούτων ἔτι πρὸς ἀλλήλους ΟΜΙΛΟΥΝΤΩΝ, *cum illi adhuc inter se colloquerentur:* et sic innumeris locis aliis.

* *

IN EVANGELIVM S. IOHANNIS.

CAPVT I.

V. 11.

Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον) Haud scio sane, an Viri docti huic loco difficultatis plus intulerint, quam in eo inuenerint. Commodissimum, et linguae rationi conuenientissimum erat, τὰ ἴδια, *de Iudaea*, quam, tanquam patriam Christi, Iohannes considerat, interpretari, cum in eam inprimis, Euangelium annunciaturus, Christus missus esset; quo spectant illa ipsius Christi verba, Matth. XV. 24. Οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. Qui τὰ ἴδια *peculium* interpretantur, eamque in rem locum Actor. IV. 32. οὐδ' εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ΙΔΙΟΝ εἶναι, *nemo dicebat, quicquam sibi proprium esse*, adducunt, ii, vt leuissime dicam, humanitus erant. Cum igitur τὰ ἴδια h. l. denotet *patriam Christi*; (quo nomine *Iudaeam* intelligendam diximus) facile intelligitur, τοὺς ἰδίους esse *Iudaeos, eam inhabitantes*, qui tanquam ciues, cognati et propinqui Christi considerantur. Viri enim docti, qui inter τὰ ἴδια et τοὺς ἰδίους ita hic distinguunt, vt per τοὺς ἰδίους *Iudaeos*, per τὰ ἴδια autem non unum quid, sed plu-

plura, quae Christi propria dici possunt, v. c. *terram Canaan*, *vrbem Hierosolymorum* etc. intelligant, subtiliter magis et ingeniose, quam vere et accurate interpretantur. Sed, auctore Iosepho, docebimus, cum τὰ ἴδια et οἰκεῖα, tum ἰδίους et οἰκείους esse, quod diximus. Quoniam autem in exemplis mox afferendis modo τὰ ἴδια, modo τὰ οἰκεῖα, ut synonyma laudabimus; prius ostendemus, τὰ ἴδια et τὰ οἰκεῖα unum idemque significare. Quod dixit Iosephus Ant. VI, 13, 9. ἀναχωρεῖν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα, *domum suam*, s. *in patriam reuerti*, id VIII, 15, 4. per ἀναστρέφειν εἰς τὰ ἴδια expressit. His igitur duobus locis, in quibus τὰ ἴδια et τὰ οἰκεῖα patriam denotant, addemus quaedam alia. Ant. V, 1, 2. χωρεῖν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα: in eodem cap. ἀπολύειν πρὸς τὰ οἰκεῖα. VIII, 6, 6. εἰς τὴν οἰκείαν ὑπέστρεψεν ibid. 15, 6. ἀνέζευξαν εἰς τὰ ἴδια. IX. 3, 2. οἱ δὲ διεσπάρησαν εἰς τὴν ἰδίαν χώραν φεύγοντες; et paullo post: ἕκαστος εἰς τὴν οἰκείαν ἀνέστρεψεν. Commodissime igitur, et linguae rationi conuenientissime, venisse Christus dicitur εἰς τὰ ἴδια, h. e. *in Iudaeam*, tanquam patriam suam: οἱ ἴδιοι autem sunt *Iudaei*, Iudaeam inhabitantes, gentilitatis adeo iure cum Christo coniuncti. Quemadmodum autem hic Iudaei dicuntur οἱ ἴδιοι Christi; ita οἰκεῖοι apud Iosephum saepe dicuntur, *qui eiusdem gentis sunt*. Ant. II, 12, 2. 4. et 13, 2. Hebraei dicuntur οἰκεῖοι τοῦ Μωϋσέως, h. e. *ex eadem*, *qua Moses*, *gente oriundi*. Eadem ratione hic Iudaei ἴδιοι τοῦ Χριστοῦ vocantur: ab his autem ἰδίοις, h. e. *Iudaeis*, eum non receptum, et pro vero Messia agnitum esse, Euangelistae non uno loco tradunt.

v. 20. Καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο) Satis familiare Iohanni, rem duplici phrasi, ex affirmatione et negatione, idem denotante, exprimere, fortius affirmandi causa: quod et optimis Scriptoribus non insolens esse, dudum Viri docti ostenderunt. Tale illud Iosephi, Ant. XVIII, 9, 6. ἄκων καὶ μὴ βουλόμενος ἄγει τὸν στρατόν, *Inuitus et nolens exercitum eduxit*; et inprimis Ant. VI, 7, 4.

7, 4. de Saulo, ΩΜΟΛΟΓΗΣΕ, καὶ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ΗΡΝΕΙΤΟ· *Fassus est, et peccatum suum non negauit.*

CAPVT III.

V. 7. Δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν) Accedo Viris doctis, qui τὸ ἄνωθεν, non *superne*, sed *denuo*, *iterum*, interpretandum contendunt; quo sensu ipsum Nicodemum intellexisse, ex his verbis, δεύτερον γεννηθῆναι, apparet. Huius autem significatus, paullo insolentioris, exemplum apud Iosephum est, Ant. I, 18, 3. de Abimelecho: δείσας μὴ τῆς προτέρας αὐτῷ φιλίας μηδὲν ὄφελος γένηται - - φιλίαν ΑΝΩΘΕΝ ποιεῖται πρὸς αὐτόν. *metuens, ne prior amicitia nihil ei prodesset - - DENVO amicitiam cum eo iniit.*

v. 30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι) Doctiss. RAPHELIVS vidit, verum sensum esse hunc: *Christi auctoritas et fama in dies magis magisque debet augeri et illustrari, meum contra nomen minui, atque obscurari.* Sed nullum exemplum huius notionis τοῦ ἐλαττοῦσθαι attulit. Sic autem est apud Iosephum Ant. VII, 1, 1. qui locus huic Iohanneo est simillimus, de Ioabo, rato, quicquid dignitatis Abenero accessisset, id suae detractum iri: δείσας μὴ τὸν μὲν ἐν τιμῇ καὶ τῇ πρώτῃ ποιήσηται τάξει - - αὐτὸς δ' ΕΛΑΤΤΩΘΕΙΗ καὶ τῆς στρατηγίας ἀφαιρεθείη. *Ioabus, veritus, ne Dauides Abenerum praecipuo dignitatis loco haberet, ipse autem suae dignitatis, auctoritatisque deminutionem pateretur, exercitusque imperium amitteret.* Eodemque libro, 9, 1. ἐλαττούμενοι dicuntur, *qui in iudicio altero inferiores sunt, causaque ceciderunt sua.*

CAPVT VI.

V. 4. Ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας) Omnes, quotquot consului, Interpretes τὸ ἔδει reddunt, *oportebat*; recte id quidem; sed causam non addunt, quare

re iis, qui ex Iudaea, et inprimis Hierosolymis, in Galilaeam, aut hinc in Iudaeam et Hierosolymas profecturi essent, necessitas quodammodo imposita fuerit per Samariam itineris faciendi. Eam vero causam nobis suppeditat Iosephus Ant. XX, 6, 1. Ἔθος ἦν τοῖς Γαλιλαίοις, ἐν ταῖς ἑορταῖς εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν παραγινομένοις, ὁδεύειν διὰ τῆς Σαμαρέων χώρας. *Mos erat Galilaeis, in diebus festis Hierosolyma euntibus, per regionem Samariae iter facere.* Iam ex c. III. v. 13. scimus, Christum Hierosolyma, instante festo Paschatis, petiisse; atque adeo, quemadmodum in itinere ex Galilaea per Samariam, ita in reditu per eandem profectus est. Sed alius est Iosephi locus, qui dilucidius docet, quae ista per Samariam proficiscendi fuerit *necessitas.* Is est in Vita Iosephi §. 52. de legatione e Galilaea Hierosolymas missa: ἔγραψα τοῖς ἐν Σαμαρείᾳ φίλοις προνοήσασθαι τοῦ ἀσφαλῆ γενέσθαι τὴν πορείαν αὐτοῖς· ἤδη γὰρ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἦν ἡ Σαμάρεια, καὶ ΠΑΝΤΩΣ ΕΔΕΙ τοὺς ταχὺ βουλομένους ἀπελθεῖν, δι᾽ ἐκείνης πορεύεσθαι· τρισὶ γὰρ ἡμέραις ἀπὸ Γαλιλαίας ἔνεστιν οὕτως εἰς Ἱεροσόλυμα καταλῦσαι. *Amicis Samariae scripsi, darent operam, vt legati per eorum agrum iter facerent: tum enim in Romanorum potestate erat Samaria: et OMNINO NECESSE ERAT volentibus celeriter Hierosolyma proficisci, per eam transire; sic enim tribus diebus e Galilaea Hierosolyma peruenitur.*

v. 6. Ὁ οὖν Ἰησοῦς, κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθέζετο οὕτως) Non erat sane, quare Viri docti in vera vi τοῦ οὕτως definienda tam sollicite hic laborarent, cum sit plane *otiosa* et *illativa.* Nihil enim usitatius optimo cuique Scriptorum, quam hanc particulam subiungere, vbi propositio quaedam causalis praecesserit, siue ea diserte, aliqua vocula, expressa sit, siue, vti h. l. in Participio inclusa lateat. Nostri dicunt: **Weil Jesus von der Reise müde war, SO sezte er sich nieder:** quod exemplis quibusdam docebimus. Iosephus V. Ant. 1, 26. οὐ πρὸς τὸ μέγεθος τῆς παρανομίας παριδόντας - -

πρὸς

πρὸς δὲ τὸ συγγενὲς καὶ τὸ τάχα καὶ λόγοις ἂν σωφρονῆσαι σκοπήσαντας, ΟΥΤΩ ποιήσασθαι τὴν πρεσβείαν. *Quia non ad culpae magnitudinem respeximus - - sed ad cognationem, spemque habemus, fore, vt verbis ad saniorem mentem reduci possint; hanc legationem suscepimus:* vbi dilucide apparet, τὸ ὕτω otiosum esse, et germanorum particulae illatiuae So respondere. Ib. VIII, 11, 1. Ἐπεὶ σὲ μέγαν ἐκ μικρῦ καὶ μηδὲν ὄντος ἐποίησα - - ΟΥΤΩΣ σε πάλιν καθαιρήσω, *Quia te magnum e paruo et de nihilo feci - - te e medio tollam.* B. I. II, 8, 5. ζωσάμενοι σκεπάσμασι λινοῖς, ΟΥΤΩΣ ἀπολέονται τὸ σῶμα ψυχροῖς ὕδασι· *Postquam lineis se praecinxerunt velaminibus, corpus frigidis aquis abluunt:* et sic innumeris fere aliis locis. Neque dubium mihi est, quin τὸ ὕτως in illo Actor. XX. 11. loco, Ἀναβὰς δὲ, καὶ κλάσας ἄρτον, καὶ γευσάμενος - - ὕτως ἐξῆλθε, aeque ac in his Flauianis exemplis, abundet.

v. 46. Ἦν τις βασιλικὸς) Non conuenit inter Interpretes, vtrum βασιλικὸς hic denotet eum, *qui e familia regia oriundus*, an tantum, *qui in famulitio et ministerio Regis sit.* Mihi quidem, loquendi morem Veterum consideranti, animus inclinat eo, vt βασιλικὸν eum esse putem, *qui in famulitio et ministerio Regis sit.* Apud Iosephum certe, vbi sexcenties haec vox occurrit, nunquam aliter, si recte memini, vsurpatur. Ant. XVII, 10, 3. ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ τὸ πλεῖστον ηὐτομόλησαν πρὸς αὐτύς. *Maxima pars militum regiorum ad Iudaeos se conferunt.* Porro §. 4. Δισχίλιοι μὲν τῶν ὑφ' Ἡρώδῃ ποτὲ στρατευσαμένων - - προσεπολέμυν ΤΟΙΣ ΒΑΣΙΛΙΚΟΙΣ. §. 7. et disertius §. 6. ὁ Γρᾶτος - ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ Ῥωμαίοις προσεθεμένος, *Postquam Gratus regios milites Romanis adiunxerat.* De vita Iosephi §. 72. προεκαλέμην ΤΟΥΣ ΒΑΣΙΛΙΚΟΥΣ εἰς μάχην: et paullo post: μετὰ τῆς δυνάμεως ὑπήντησα ΤΟΙΣ ΒΑΣΙΛΙΚΟΙΣ. De B. I. I, 1, 5. πλήθει δὲ ὑπερέχοντες ΟΙ ΒΑΣΙΛΙΚΟΙ; neque aliter II, 4, 1. διεμάχοντο

ΤΟΙΣ

ΤΟΙΣ ΒΑΣΙΛΙΚΟΙΣ. Et Lib. I, 13, 1. Ὁ δὲ, οἰνοχόῳ τινὶ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ὁμωνύμῳ μοῖραν τῆς ἵππȣ παραδȣ́ς. *Ille vero, cum pocillatori cuidam regio; ipsi cognomini, exercitus partem tradidisset.* In quibus locis omnibus βασιλικοὶ dicuntur, *qui in Regis famulitio et ministerio sunt*, non autem, *e familia regia oriundi:* quos Iosephus, si indicare vult, aliis vocibus vtitur, v. c. B. I. II, 5, 3. οἱ τȣ̃ βασιλέως συγγενεῖς, *Regis cognati*, et προσήκοντες Ἡρώδῃ κατὰ γένος, *consanguinei Herodis*, nunquam autem, quantum quidem recorder, iidem βασιλικοὶ a Iosepho vocantur.

Caput V.

V. 13. Ὁ γὰρ Ἰησȣ̃ς ἐξένευσεν) Non sententiae illorum accedere possum, qui ab ἐκνέυω derivant: cum sit ab ἐκνεῖν, *enatare*, quae prima et propria huius vocis sedes est, ut alibi docebimus: deinde ἐκνεῖν est *ex malis emergere, instantique periculo liberari*, quo spectant omnia exempla, a PFOCHENIO ex Euripide huc allata, inepte sane, cum is significatus ad huius Iohannei loci interpretationem nihil faciat, vt dudum contra PFOCHENIVM docuit MOS. SOLANVS apud RHENFERDIVM p. 304. nec alius generis exempla sunt ab ELSNERO ad h. l. congesta. Tertius denique significatus, isque huic loco conueniens, hic est, vt simpliciter *abire, secedere* denotet. Iosephus Ant. VII, 4, 2. ὁ Δαυίδης - - ΕΚΝΕΥΣΑΣ ἔις τι χωρίον, *Dauides cum in agrum quemdam secessisset.* Sic ἀπονεῖν VIII, 7, 7. Ἀχίας προσαγορέυσας αὐτὸν ἀπήγαγεν ἐκ τῆς ὁδȣ̃ μικρὸν ΑΠΟΝΕΥΣΑΣ, *Achias, cum illum salutasset, e via paullulum deflexus, Hieroboamum secum abduxit.* IX, 6, 3. τὸ ἅρμα ἐις ἑτέραν ὁδὸν ΕΞΕΝΕΥΣΕ, *Currus in aliam viam deflexit.* XII, 8, 3. ΑΠΟΝΕΥΣΑΣ ἐις Μάλλην πόλιν ὅυτω λεγομένην τῶν ἀλλοφύλων, λαμβάνει αὐτήν. *Atque inde ad Mallen, alienigenarum vrbem, ita appellatam, flexit iter, eamque cepit.*

v. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς) WOLFIVS, auctore STEPH. le MOYNE, vocis ἐρευνᾶν eam vim et ἔμφασιν hanc esse dicit, vt denotet, *aliquid cum maxima ἀκριβείᾳ, animi attentione, et cum magno animi conatu quaerere.* Eandem emphasin in hac voce plerique fere omnes inuenisse sibi visi sunt. Ego quidem, etsi probe scio, multis, iisque luculentissimis, SS. locis edoctus, scio, acriterque contendo, Sacram Scripturam cum summa animi attentione legendam, summoque studio eius sensum perscrutandum esse; vereor tamen, vt id vi vocis ἐρευνᾶν satis grauiter luculenterque contra aduersarium in concedendo difficilem probari possit. Nam vox ἐρευνᾶν *quamcunque inquisitionem, siue remissiorem illam, siue accuratiorem,* denotat. Quod ne temere, aut studio dicendi contra abrepti, dixisse videamur: iuuat unum et item alterum locum in hanc rem afferre. Sic ἐρευνᾶν de inquisitione, non multum studii et ἀκριβείας desiderante, est apud Iosephum Ant. II, 6, 7. de scypho Iosephi, in sarcinis fratrum illius quaerendo: ὡς δὲ, τοῦ Βενιαμὶν φορτίον ΕΡΕΥΝΩΝΤΕΣ, τὸν σκύφον λαμβάνουσι, *vt vero, Beniamini sarcinam scrutati, scyphum protulerunt:* nemo autem dixerit, hanc ἔρευναν cum maxima ἀκριβείᾳ, animique conatu fuisse factam, ob rationem ab ipso Iosepho suppeditatam: οὐκ ἀγνοοῦντες, ὅτι εἰς τὸ ἐκείνου σακκίον τὸν σκύφον εἶεν ἀποκεκρυφότες, *quia non ignorabant, se in illius sarcina scyphum occultasse:* et qui totum illum locum perlegerit, inueniet, ἔρευναν et ζήτησιν, nec non ζήτησιν ποιεῖσθαι et ἐρευνᾶν, vnum idemque esse, adeo vt huic non maior vis, ac illi, tribuenda videatur. Itaque Scriptores, studium inquirendi paullo accuratius expressuri, adiecta aliqua voce id indicant. Sic Philo *de Mundi Opific.* p. 14. de naturae perscrutatoribus paullo diligentioribus, οἱ τὰς φύσεις τῶν πραγμάτων ΑΚΡΙΒΕΣΤΕΡΟΝ ἐρευνῶντες. *De Sacrif. Cain. et Abel.* p. 144. ἐρευνᾶν ΜΕΤΑ ΠΑΣΗΣ ΑΚΡΙΒΕΙΑΣ. *De confus. linguarum*, p. 328. ἐρευνᾶν ΜΗ ΠΑΡΕΡΓΩΣ, et paullo post, διερευνήσασθαι ΑΚΡΙΒΩΣ. Quae

Quae loca satis luculenter, ni fallor, docent, Voci ἱερουργᾶν per se non eam inesse vim et ἔμφασιν, quam Viri docti ei tribuendam esse contendunt. Cf. de Emphasibus S. Scripturae fictitiis S. R. DEYLINGIVS Obseruatt. Sacr. P. V. obseru. XIV.

v. 40. Καὶ οὐ θέλετε) Καὶ h. l. est *nihilominus, tamen:* qua notione quoque occurrit C. VI. 36. Matth. X. 20. Iacob. III. 5. neque aliter apud Iosephum Ant. II. 6. 11. εἰ καὶ ἡ κακία σε παροξύνει νῦν ἡ ἡμετέρα, ΚΑΙ τὸ κατ' αὐτῆς δίκαιον χάρισαι τῷ πατρί· *tametsi tibi iram commouet hoc scelus nostrum, TAMEN vindictae gratiam facito patri.*

CAPVT VI.

V. 25. Πότε ὧδε γέγονας) *Quando huc aduenisti?* Nempe ordinarie dicendum erat, παραγέγονας: Sed optimis scriptoribus non insolens est, γίνεσθαι pro παραγίνεσθαι, *veniendi* notione, ponere. Cuius rei exempla in N. T. non desunt: in hoc ipso Cap. v. 21. Luc. XXII. 40. Actor. XXI. 17. Apud Iosephum A. IV. 3. 2. ὁ δὲ πλησίον ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ, *Ille vero cum propius accessisset.* Neque aliter Latini, quibus *esse* interdum idem est, quod *venire.* Suetonius in August. c. 16. *Militibus in conspectum fuisse*, i. e. venisse, vbi CASAVBONVS ex Eustathii Ἐρωτικῶν Lib. VI. affert: Γενοῦ περὶ τὸ δωμάτιον· εὐθὺς οὖν ἐξανέστη τῆς τραπέζης, καὶ περὶ τὸ δωμάτιον γέγονεν· *Abi in cubiculum: illa igitur e mensa statim surrexit, et in cubiculum venit.*

CAPVT VII.

V. 2. Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, ἡ σκηνοπηγία) De hoc festo insignis est Iosephi locus, sed paullo longior, quam vt huc transferatur, A. III. 10. 4. f. De hoc Festo, ἡ μεγίστη ἑορτὴ Plutarcho in Apophthegm.

Iudaeis autem κατ᾽ ἐξοχὴν חג dicto, copiose et erudite disputauit FR. BERNHARD DACHS in Commentar. ad *Codicem Succa*, s. *de tabernaculorum Festo*, et BERNARDVS ad hunc Iosephi locum. De ritibus, quos Iudaei a Graecis petierunt, et huic Festo, praeter institutionem diuinam, immiscuerunt, dignus omnino est, qui legatur, LAKEMACHERVS in Obseruatr. Philolog. P. I. p. 17. sqq. Ex Gentilibus hoc Festum descripsit Plutarchus in Symposiac. Lib. IV. quamquam, vt ignarus rerum Iudaicarum, multos in hac re errores commisit.

v. 35. Μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι) Facio cum SALMASIO, qui διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων interpretatur *gentes*, seu *regionem gentium*, *quam* διασπαρέντες Ἰουδαῖοι *inhabitabant*, non autem *Iudaeos*, *qui inter ipsos dispersi degebant*, *quia verbum Dei isti admittere nolebant*. Vide SALMASIVM ipsum, cum in Commentar. de L. H. tum inprimis in Funere L. H. p. 98. sq. Iudaeos autem per totum terrarum Orbem fuisse dispersos, cum aliunde, tum Iosepho auctore scimus, qui B. I. VII. 3. 3. scribit: τὸ Ἰουδαίων γένος πολὺ μὲν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ΠΑΡΕΣΠΑΡΤΑΙ τοῖς ἐγχωρίοις, *Magna pars Iudaicae gentis per totum orbem terrarum indigenis interspersum erat*. Cf. Philo Iudaeus *Legat. ad Cai.* pag. 1023. et 1232.

CAPVT VIII.

V. 42. Ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω) Recte *Vulgatus* vltima reddidit, *et veni:* BEZA mauult, *adsum*, τῷ ἥκω pro πάρειμι sumpto; male. Scilicet non recordabatur, τὸ ἥκειν semper fere, non apud sacros solum, sed profanos quoque auctores, *Temporis Praeteriti* notione adhiberi. Sic Luc. XV. 27. ὁ ἀδελφός σου ἥκει. Ioh. II. 4. IV. 47. Οὗτος ἀκούσας ὅτι Ἰησοῦς ἥκει ἐκ τῆς Ἰουδαίας, *qui cum audisset, Iesum ex Galilaea VENISSE*. Neque aliter apud Iosephum A. II. 3. 10. βασιλεὺς δ᾽ ἀκούσας

ΗΚΟΝ-

ΗΚΟΝΤΑΣ πρὸς Ἰώσηπον τοὺς ἀδελφοὺς, ἥσθη μεγάλως, *Rex, cum cognouisset, fratres Iosephi ADVENISSE, vehementer laetatus est.*

Capvt X.

V. 22. Ἐγένετο δὲ τὰ ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις) De hoc festo, Hebrais חֲנֻכָּה dicto, a Iuda Maccabaeo, in memoriam repurgati Templi, ab Antiocho profanati, instituto, est locus illustris Iosephi A. XII, 7. 7. qui h. l. conferendus. Quod autem Iohanni ἐγκαίνια, Auctori I. Maccab. IV. v. 59. ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ dicitur, id Iosepho l. c. Φῶτα, *Lumina* vocatur: cuius denominationis vera ratio esse videtur non ea, quam Iosephus affert, *quod illo lumine designetur lumen libertatis, cum iis insperato ea affulserit*, sed, *quia per totos hos octo dies noctu lucernae in domibus etiam, in signum laetitiae, accenderentur*. Cf. ad hunc Iosephi locum RELANDVS.

v. 23. Ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Σολομῶντος) De hac porticu, Orientem versus spectante, στοὰ ἀνατολικὴ eam ob caussam Iosepho dicta, dilucide exponit hic scriptor grauissimus A. XX. 9. 7. Id opus cum esset splendidissimum, et ingentibus sumptibus exstructum, Rex Agrippa (cui Claudius Caesar curam templi commiserat) induci non potuit, vt id demoliretur, et de nouo excitaret, quantumuis a populo rogatus, vt tradit Iosephus l. c.

v. 24. Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις) Vulgo reddunt, *Quamdiu animam nostram suspendis* aut *dubiam tenes?* nullo exemplo allato, quo is τοῦ αἴρειν significatus, paullo insolentior, confirmari possit. ELSNERVS mauult, *Quamdiu nos enecas?* cui interpretationi, miror sane, doctissimum WOLFIVM potuisse subscribere, cum sit contra ipsam linguae rationem. Nam quae ei confirmandae ab ELSNERO adducuntur loca, sunt quam maxime ἀπροσδιόνυσα, vt alibi ostendemus. Mihi omnino haec verba ita videntur reddenda: *Quamdiu nos ludificaris et*

decipis? Eleganter enim αἴρειν, ἐπαίρειν τινα est *ludificari*, *decipere aliquem*, ad imitationem Ebraici נשׁא seu potius in Hiph. השׁיא, quod LXX. Seniores modo per ἐπαίρειν, modo per ἀπατᾷν expresserunt, adeo vt, illorum loquendi more, ἐπαίρειν saepe sit *decipere*. Sic Esaiae XXXVI. 14. אל־ישׁיא לכם חזקיהו quod LXX. Seniores reddiderunt, μὴ ὑμᾶς ἀπατάτω Ἐζεκίας λόγοις: Sed illi ipsi eadem verba Ebraica IV. Regg. XVIII. 29. reddiderunt, μὴ ἐπαιρέτω ὑμᾶς Ἐζεκίας, vbi ἐπαίρειν idem quod ἀπατᾷν. Et sic C. XIX. 10. eiusdem Libri, μὴ ἐπαιρέτω σὲ ὁ Θεός· Cf. Ierem. XXXVII. 9. Neque est, quod quis vereatur, ne haec interpretatio iis, quae subiiciuntur, εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ, aduersetur. Hanc enim Iudaeorum quaestionem ex subdolo animo profectam esse, Viri docti iam dudum monuerunt. Caeterum non memini, me hunc τοῦ αἴρειν aut ἐπαίρειν significatum apud illum Graecorum scriptorum obseruasse: apud Iosephum autem A. VIII. 13. 5. διαιρεῖν est eodem sensu: ibi enim διηρημένοι τῇ διανοίᾳ sunt, *qui ludificari se et decipi patiuntur*, vnde paullo post dicuntur λαὸς πεπλανημένος, *populus deceptus*.

CAPVT XI.

V. 17. Εὗρεν αὐτὸν τέσσαρας ἡμέρας ἤδη ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ) *Cum iam quatuor dies in sepulchro transegerat.* Sic Iosephus A. VII. 1. 1. ἤδη δ' αὐτοῦ δύο ἡμέρας ΕΧΟΝΤΟΣ, *Cum iam biduum ibi fuisset.* VIII. 3. 1. Σολομὼν τέταρτον ἔτος ἤδη τῆς βασιλείας ΕΧΩΝ, *Cum iam quartum imperii sui annum transegerat*, et A. I. 13. 2. τοῦ Ἰσάκου πέμπτον καὶ εἰκοστὸν ἔτος ΕΧΟΝΤΟΣ, *Cum Isacus vigesimum quintum annum ageret.*

v. 19. Πολλοὶ ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐληλύθεισαν πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν) Vulgo ex Graecismo exquisitiori, τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν interpretantur *Martham et Mariam.* Illustris TRILLERVS autem, cui

cui subscribere videtur, WOLFIVS, ita accipi haec mauult, vt intelligantur *foeminae*, *quae ad Martham et Mariam*, *de obitu fratris consolandas*, *accesserint*, quasi dictum esset, πρὸς τὰς γυναῖκας. Neque nego, hunc quoque loquendi morem optimorum scriptorum esse, vt οἱ περί τινα denotet *certum quendam hominem*, *et eos*, *qui cum illo sunt*. Sic apud Iosephum A. V. I. 18. κατεστραμμένων δ' ὅτως τῶν περὶ τὰς βασιλέας, *Deiectis regibus*, *et iis*, *qui cum illis erant*, *s. eorum copiis:* et sic in ipsis literis sacris Actor. XIII. 13. οἱ περὶ τὸν Παῦλον non est *Paullus solus*, sed *Paullus eiusque comites*. Quamquam igitur Illustr. TRILLERI interpretatio linguae rationi non aduersatur, vereor tamen, vt hic locum habere possit. Nam primo, Iudaei eo venisse dicuntur, vt consolarentur αὐτάς· quasnam? nempe τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν, quod non aliter reddi potest, quam, *Martham et Mariam*. Nam si per τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν alias intellexeris foeminas, quae ipsae quoque, ex sententia illius Viri doctissimi, ad Martham et Mariam, consolandi causa, accesserint, sensus erit hic: *Iudaei in domum Marthae et Mariae venerunt*, *vt consolarentur foeminas*, *quae eo venerant*, *consolaturae Martham et Mariam;* quem sensum quis non intelligit esse quam maxime incommodum? Deinde Iudaei eo consilio dicuntur accessisse, vt consolarentur αὐτὰς περὶ τȣ ἀδελφȣ αὐτῶν: quae vox αὐτῶν omnino referenda est ad τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν, h. e. *ad solas Lazari sorores*, *Martham et Mariam*, non autem ad alias foeminas, quae eo venerant. Igitur malim ita capere, vt αἱ περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν sint *Martha et Maria*, ex Graecismo satis noto, de quo, praeter alios, GRAEVIVS ὁ πάνυ in Lect. Hesiod. C. IX.

CAPVT XII.

V. 6. Τὸ γλωσσόκομον εἶχε) *Vsurpatur haec vox cum in vniuersum de quacunque arcula, rebus pretiosis, aut*

certe necessariis, condendis apta: proprie autem videtur vsurpari de illa theca, in qua tibicines lingulas tibiarum reponebant, ne attritu corrumperentur. Eo haud dubie respexit Hesychius hac glossa: Γλωττόκομον, ἐν ᾧ οἱ αὐληταὶ ἀπετίθεσαν τὰς γλωσσίδας. Postea ad similes res ea vox translata est. Sic *arca foederis* Exod. XXXVII. 1. אָרוֹן, a LXX. senioribus per κιβωτὸς reddita, Aquilae dicitur γλωσσόκομον. Apud Iosephum VI. 1. 2. *ille loculus, in quo aurei mures, et aureae statuae, quas Palestini Hebraeis vna cum Arca remiserunt*, Γλωσσόκομον dicitur, quod idem paullo post, §. 3. interpretatur per τὸ ἄγγος, ὃ τὰς ἀνδριάντας εἶχε καὶ μύας, *Capsam, in qua aurea erant simulacra et mures.* Longinus περὶ Ὕψους Segm. XLIII. γλωττόκομα vocat *arculas illas ligneas, quibus tenera adhuc pygmaeorum corpora includebantur, ne crescerent:* quo forte respexit Hesychius hac glossa: γλωττόκομον, θήκη, σορὸς ξυλίνη λειψάνων. Apud LXX. Seniores γλωσσόκομον saepe est *vas, in quod stipem colligendam coniiciebant;* vide v. c. II. Paralip. XXIV. 8. 10. 11. qui significatus huic loco conuenit, vbi γλωσσόκομον nihil aliud denotat, quam *loculum, pecuniis condendis asservandisque aptum, s. marsupium.* Denique apud Graecos interdum est *loculus*, aut *Sandapila*, vt obseruat HEMSTERHVSIVS, V. Cel. ad Aristophanis Plut. p. 238.

Καὶ τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν) Cum iam paullo ante dictum sit, Iudam curam marsupii asseruandi habuisse: ne his verbis idem dici videatur, atque tautologia amoueatur, Viri docti τὸ βαστάζειν non simpliciter per *portare*, sed, *auferendo et furando portare*, reddi volunt, vt adeo βαστάζειν hic idem sit, quod *interuertere*, *furari*, et ratio eo dilucidius appareat, quare Iudas κλέπτης vocetur. Sed vellem, Viros illos Doctissimos exempla paullo luculentiora adduxisse, quibus ille τοῦ βαστάζειν significatus, paullo insolentior, confirmari possit. Nam quae duo loca Matth. III. 11. et Ioh. XX. 15. in hanc rem ELSNERVS laudauit, ea sunt quam maxime ἀπροσδιόνυσα, cum

ibi

ibi βαςάζειν fit *ex loco in alium transferre*, fine vlla tamen *furandi* notione: nisi forte et ministri *mensas furari* dicendi sunt, cum *eas*, conuiuio peracto, *remouent*, quoniam iis τὸ βαςάζειν in ea retribuitur, auctore EVSTATHIO ad Homer. p. 1525. Edit. Rom. παραθέσθαι τραπέζας, ἐν καταρχῇ δαιτός, τὸ μέντοι αἴρειν αὐτὰς ΒΑΣΤΑΖΕΣΘΑΙ ἔφασαν. Igitur alia loca afferenda sunt, quae *furandi* significatum τῦ βαςάζειν luculenter confirmant: quod, vereor vt fieri possit. Scilicet τὸ βαςάζειν per se, suaque indole nunquam *furari* denotat, sed eum significatum ab ipsius rei, de qua agitur, ratione, et contextu accipit, quo saepe verba affici solent ita, vt significationem accipiant, quae iis, separatim, aut in alio, dissimilique contextu positis, nullo modo tribui potest: in quam rem consulendus Celeberr. ERNESTI, *in Commentatione de Vsu Glossariorum Graecorum*. Nam βαςάζειν proprie, et natura sua significat *auferre*, *asportare*, nulla furti aut violentiae notione admixta. Sic apud Iosephum A. V. 8. 6. Samson, qui ex pectore leonis, ipsius manu occisi, tres mellis fauos abstulit, et secum ad Philistaeos attulit, dicitur τρία ΒΑΣΤΑΣΑΣ μέλιτος κηρία: vbi βαςάζειν idem est quod κομίζειν, qua voce ibidem in eadem re vtitur. Interdum tamen βαςάζειν est, *aliquid praeter ius auferre*. Sic VII. 15. 5. dicitur Hyrcanus Pontifex, ab Antiocho Pio oppugnatus, cum pecunia obsidionem redimere vellet, neque aliunde pecunia ad largiendum ei suppeteret, ἀνοίξας ἕνα οἶκον τῶν ἐν τῷ Δαυίδυ μνήματι, καὶ ΒΑΣΤΑΣΑΣ τρισχίλια τάλαντα, μέρος ἔδωκεν Ἀντιόχῳ· *aperta cella vna monumenti Dauidis, et inde ABLATIS tribus talentorum millibus, partem Antiocho dedit:* pro eo paullo post ἀνείλετο vsurpatur de Herode M. qui ipse quoque ex illo monumento ingentem pecuniae vim abstulit. Porro A. VIII. 10. 3. Susacus dicitur expilasse thesauros sacros, χρυσῦ καὶ ἀργύρυ μυριάδας ἀναριθμήτυς ΒΑΣΤΑΣΑΣ, καὶ μηδὲν ὅλως ὑπολιπών· A. IX. 7. 1. Iosabetha, Ochoziae Soror,

quae clanculum et furtim Ioasum domo regia extulerat, dicitur ipsum *βαςάζυσα ἀποκλεῖται εἰς τὸ ταμιεῖον τῶν κλινῶν.* Et XII. 5. 4. *συλᾷν, περιδύειν* et ΒΑΣΤΑΖΕΙΝ tanquam synonyma occurrunt: et dilucidius XIV. 7. *Κράσσος τὰ ἐν ἱερῷ χρήματα, ἃ Πομπήϊος κατελελοίπει, δισχίλια δ᾽ ἦν τάλαντα,* ΒΑΣΤΑΣΑΣ, *Crassus pecuniam in Templo reconditam, quam Pompeius non attigerat, ABSTVLIT.* Apud eundem *βαςάζειν* ita pro *auferre* occurrit, *vt nullum eius rei vestigium appareat,* atque adeo idem sit, quod *delere:* A. X. 4. 5. vbi de Iosia, occupato in eo, vt omnes impii cultus deastrorum reliquias penitus tolleret, *ἅρματα, ἃ κατεσκεύασαν οἱ πρόγονοι, καὶ εἴ τι ἄλλο τοιῦτον ἦν ᾧ προσεκύνυν ὡς Θεῷ,* ΕΒΑΣΤΑΣΕ, *Currus solis, a maioribus fabricatos, et si quid aliud vt Deum adorabant, e medio sustulit.* Haec loca magis, opinor, quam quae ab ELSNERO adducta sunt, confirmant, *τὸ βαςάζειν,* pro rei praesentis natura, esse idem, quod *auferre, furtim subdoleque tollere:* quem significatum in hoc quoque Ioannis loco obtinere putem, cum diserte paullo ante Iudas dicatur *κλέπτης.* Scio, longe aliter sentire ABRESCHIVM, Virum graece doctissimum, in Annotatt. ad N. T. p. 535. vbi *βαςάζειν* h. l. idem esse contendit, quod *tractare, administrare,* quod Gallis est *manier.* Qui Vocis significatus si auctoritate Veterum a Viro doctiss. satis esset confirmatus, non inuiti eius sententiae subscriberemus: cum autem id nobis quidem non videatur praestitum, in priori interpretatione acquiescendum putamus.

CAPVT XIII.

V. 2. Τῦ διαβόλυ ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰύδα Σίμωνος Ἰσκαριώτυ) Reddendum est: *Cum diabolus Iudae consilium suggessisset, Christum prodendi.* Sic contra ea *βάλλεσθαί τι εἰς νῦν* est, *alicuius rei faciendae consilium capere.* Ita apud Iosephum A. VI. 13. 4. *ἃ μήτε εἰς*

ἰῦν

νῦν ἐβαλόμην, *quorum faciendorum nunquam consilium cepi.* et VII, 4. 3. vbi Deus Nathanem Dauidi, Templum aedificaturo, nunciare iussit, ὡς τὴν μὲν προαίρεσιν αὐτῦ καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἀποδέχεται, μηδενὸς μὲν πρότερον εἰς νῦν βαλλομένε ναὸν αὐτῷ κατασκευάσαι· *Sibi voluntatem eius et desiderium probari, praesertim cum nemo antea consilium ceperit Templi aedificandi.*

CAPVT XVIII.

V. 31. Λάβετε αὐτὸν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτὸν - - Ἡμῖν ὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι ὐδένα) Diversae sententiae Virorum doctorum, quorum alii, ius supplicium capitis infligendi a Romanis ademptum Iudaeis, alii iis relictum, contendunt, commodissime ita conciliari inter se possunt, vt dicamus, in iis criminibus, quae ad religionem spectarent, Iudaeis ius supplicium capitale sumendi fuisse relictum; in criminibus autem aliis, v. c. seditionis, tumultus, perduellionis, et ad laesam Maiestatem Caesaris pertinentibus, illud ius iis non fuisse concessum, sed omnem eius rei cognitionem Praesidi prouinciae commissam. Sic Iosephus diserte tradit, a Iul. Caesare ob merita Hyrcani, Pontificis Iudaeorum, in Romanos, ei concessum esse hoc, vt, si qua contentio inter Iudaeos de institutis Iudaicis incidisset, eius rei iudicium penes Hyrcanum, Pontificem M. esset: cuius in hanc rem verba Ant. XIV. 10. 2. sunt haec: Ἂν δὲ μεταξὺ γένηταί τις ζήτησις περὶ τῆς Ἰεδαίων ἀγωγῆς, ἀρέσκει μοι κρίσιν γενέσθαι παρ' αὐτῦ (Ὑρκανῦ) *Si qua vero inter ipsos oriatur disceptatio de institutis, religioneque Iudaica, placet mihi, iudicium penes Hyrcanum esse.* Sed dilucidius ex alio Iosepho loco patet, Romanos Iudaeis concessisse ius interficiendi in criminibus ad ipsorum religionem spectantibus; adeo vt, si quis, quamuis Romanus, illud septum, quo aedes circumdata erat, transgredi ausus esset, extemplo impune a Iudaeis occidi posset. Dignus in hanc rem locus est, qui huc transferatur, de

B. I,

B. I. VI. 2. 4. vbi Titus Iohannem eiusque Socios ſceleratiſſimos ita alloquitur: Ἀρ᾽ οὐχ᾽ ὑμεῖς, ὦ μιαρώτατοι, τὸν δρύφακτον τοῦτον προὐβάλεσθε τῶν ἁγίων; οὐχ᾽ ὑμεῖς δὲ τὰς ἐν αὐτῷ στήλας διεστήσατε, γράμμασιν Ἑλληνικοῖς καὶ ἡμετέροις κεχαραγμένας, ἃ μηδένα τὸ γείσιον ὑπερβαίνειν παραγγέλλει; οὐχ᾽ ἡμεῖς δὲ τοὺς ὑπερβάντας ὑμῖν ἀναιρεῖν ἐπετρέψαμεν, κἂν Ῥωμαῖός τις ᾖ; *Nonne Vos, o ſceleratiſſimi, hunc cancellum locis ſanctis obieciſtis? Nonne vos columnas ad certa intervalla in eo ſtatuiſtis, literis graecis et noſtris inſcriptas, quibus edicitur, ne ſepta quidem cuiquam licere transgredi? Nonne eos, qui tranſiſſent, QVAMVIS ROMANVS QVIS ESSET, VOBIS NECARE PERMISSIMVS?* Luculentiſſime etiam, quae diximus, confirmantur iis, quae in hiſtoria Paſſionis I. C. ab Euangeliſtis literarum monumentis conſignata leguntur. Nam Iudaei, cum Chriſtum, ope et auctoritate Pilati, morti addici vellent, accuſabant eum apud Prouinciae Praeſidem non impietatis erga Deum et religionem, (cum ea criminatione Pilatum non magnopere commotum iri erga Chriſtum ſcirent) Sed ſeditionis, et criminis laeſae Maieſtatis, Luc. XXI. l. 2. quam accuſationem alte in pectus Pilati deſcenſuram eſſe credebant. Pilatus autem, cum, huius criminationis vanitate cognita, nullam ſe mortis cauſam inuenire dixiſſet, et Iudaei adeo ſua ſe ſpe deſtitutos viderent; tum demum crimen impietatis in Deum, religionemque Chriſto intendunt, prouocantque ad LEGEM SVAM, ex qua Chriſtum illud crimen morte luere oporteret, Ioh. XIX. 7. ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ΗΜΩΝ ὀφείλει ἀποθανεῖν: ex quibus verbis dilucidiſſime, opinor, cognoſcitur, in cauſis religionis violatae Iudaeos ius ſupplicii capitalis habuiſſe. Neque enim vllo modo credibile videtur, Iudaeos tam audacter potuiſſe de mortis poena, ex lege ipſorum Chriſto infligenda, loqui, adeo vt iſtam eorum audaciam Pilatus verbis ſaltem non coërceret, niſi id ius a Romanis fuiſſet illis relictum. Magnam auctoritatem huic ſententiae ſtabilienda

dae addunt quoque ea, quae Actor. XVIII. 14. relata legimus. Paullus enim, cum Corinthi ad Gallionem, Achaiae Proconsulem, esset adductus, eo nomine accusandus, quod, vnum verum Deum esse, doceret, grauissimosque in religione errores disseminaret; Gallio, *Si hunc hominem*, inquit, *cuiusdam sceleris et facinoris postulauissetis*, *Vos*, *vti decet*, *audirem: iam vero*, *cum tota ista criminatio ad Vestram Legem spectet*, *ipsi videritis:* Κριτὴς γὰρ ἐγὼ τέτων ἐ βέλομαι εἶναι; *Nolo enim huius rei cognitionem in me suscipere.* Vindicant quoque illud ius, capitis supplicio, in caussis religionis, afficiendi, illa Tertulli verba Actor. XXIV. 6. Ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι, ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΗΜΕΤΕΡΟΝ ΝΟΜΟΝ ἠθελήσαμεν κρίνειν etc. Ne dicam de illustri illo supplicio capitis, quod subire coctus est sanctissimus ille Protomartyr, de quo Actor. VI. et VII. Cum autem Iudaei hic dicunt, *Nobis non licet quemquam interficere*, facile intelligitur, id capiendum esse de criminibus iis, quorum Seruatorem Optimum postulauerant, nempe *seditione*, et *laesae Maiestatis crimine*, quarum rerum cognitionem ad Praesidem Prouinciae pertinuisse, supra monebamus. Haec vera caussa est, quare Iudaei dicant, *sibi non licere quemquam interficere;* non ea, quam quidam Patrum reddiderunt, qui illud, *non licet*, spectare putant ad Festum Paschatis et Azymorum: quos sequitur BARONIVS, et, Iudaeos ius capitalis supplicii exigendi habuisse, probare conatur illo loco Marc. XIV. 64. vbi Iesus, de communi Concilii Magni sententia, declaratus dicitur ἔνοχος θανάτε, *reus mortis:* Sed illius loci alium sensum esse, alibi ostendemus. Caeterum iam dudum hunc Iohannis locum eo, quo diximus, modo cepit Chrysostomus, cuius in hanc rem verba sunt haec: Τίνος ἕνεκεν αὐτὸν ἐκ ἀνεῖλον, ἀλλ' ἐπὶ τὸν Πιλάτον ἤγαγον; μάλιςα μὲν, ὅτι τὸ πολὺ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν καὶ τῆς ἐξεσίας ὑπετέτμητο λοιπὸν, ὑπὸ Ῥωμαίοις τῶν πραγμάτων κειμένων· *Quare Iudaei Christum non occiderunt*, *sed ad Pilatum adduxerunt? praecipua cau-*

causa erat, quod parte maxima dominationis suae fuerant priuati, quum esset eorum Resp. in Romanorum potestate. Cf. CASAVBONVS in Exercitatt. Anti-Baron. XVI. §. 71.

CAPVT XIX.

V. 13. ὁ ὖν Πιλάτος -- εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον) Qui λιθόστρωτον interpretantur de conclaui illo, quod Senatui M. in Templo secundo disceptandis controuersiis erat destinatum, aut de loco quodam iudicii accipiunt, in errore non leui versantur. Λιθόστρωτον est *pauimentum paruulis, sectis, variique coloris frustis marmoreis constratum.* Ea voce de pauimento templi Hierosolymitani utitur Iosephus B. I. VI, 1, 8. τὰ γὰρ ὑποδήματα πεπαρμένα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις ἔχων, ὥσπερ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος, καὶ κατὰ ΛΙΘΟΣΤΡΩΤΟΝ τρέχων, ὑπολισθάνει; *Nam Iulianus, calceis crebros clauos et acutos, vt et caeteri milites, infixos habens, et in pauimento lapidibus constrato currens prolabitur.* Et c. III, 2. ὁ δὲ δεξάμενος, ὑπὸ τῦ βάρυς τῷ ΛΙΘΟΣΤΡΩΤΩι προσαραχθεὶς, παραχρῆμα θνήσκει· *qui vero eum exceperat pondere allisus pauimento lapidibus constrato, illico moritur.* In hoc autem Iohannis loco intelligendum est illud pauimentum extra Praetorium, cui βῆμα s. Tribunal impositum erat: illud pauimentum autem dicitur λιθόστρωτον, quia paruulis, sectilibus, colorisque varii frustis marmoreis stratum erat. Est autem huius rei intelligentia et interpretatio vnice petenda ex more, tunc temporis cum Romae, tum in prouinciis recepto. Scilicet luxus cum Romae inualuisset, inter multa alia munditiarum genera et hoc est introductum, vt pauimenta tessellata et sectilia facienda curarent: cuius luxus originem Syllae temporibus adscribit Plinius Lib. XXXVI. c. 15. *Pauimenta,* inquit, *originem habent apud Graecos, elaborata ante ratione picturae, donec λιθόστρωτα expulere ea. Lithostrota autem coeptauere sub Sylla, paruulis certe crustis.* Sed hic luxus Ro-

Romae non constitit, sed prouincias quoque peruagatus est. Cuius rei testis est Suetonius in Caes. c. XXXXVI. vbi tradit, Caesarem tessellata et sectilia pauimenta secum circumtulisse in expeditionibus bellicis, eo consilio, vt, quoties locus castris ponendis esset dimetiendus, iis frustis marmoreis pauimenta in Praetorio struerentur. Dignus omnino est, qui ad hunc Suetonii locum consulatur, CASAVBONVS. Sensum igitur huius loci Iohannei puto esse hunc: *Pilatus e Praetorio eduxit Iesum, eumque in Tribunal in loco, ob sectilia illa frusta marmorea, quibus stratus erat*, λιθόστρωτον *dicto, collocauit:* τῷ ἐν pro εἰς sumpto, antiptosi frequentissima. Fusius quondam de hoc loco disputabamus in Libello *de Vsu et Praest. Rom. Hist. in Interpr. N. T.* p. 43 sqq. De λιθοστρώτοις fuse, vt solet, etsi non satis diligenter, disputat SALMASIVS ad Solin. T. I. p. 854. et ad Spartiani Pescen. Nigr. T. I. p. 657. seqq. Ed. Hack. Vide accuratius de hac re differentem BREITINGERVM, Virum doctissimum, apud SCHELHORNIVM in amoenitatt. Liter. T. VII. p. 19. sqq. Cf. Celeberr. ERNESTI ad Suetonium Excurs. IV. Illustris TRILLERVS ad H. GROTII Christum Pat. p. 416. seqq. p. 703. et qui ibi laudantur. Quod autem hic dicitur, ἤγαγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν, *eduxit EXTRA* Praetorium *Iesum*, id ipsum quoque ex more Romanorum iudicandi, in Prouinciis vsitato, exponendum est. Scilicet rei audiebantur illi quidem, causaeque eorum in Praetorio, h. e. *in habitatione Praesidis Romani*, cognoscebantur; sed cum iudicium ipsum habendum, et solennia iurisdictionis peragenda essent, Tribunal *extra Praetorium* in loco excelso maximeque conspicuo ponebatur, et ad illud reus perductus condemnabatur. Quod quemadmodum Pilatus hic fecisse a Iohanne narratur, ita id idem ille fecit alia occasione, ut auctor est Iosephus de B. I. Lib. II. c. IX. §. 3. vbi Pilatus, Iudaeorum causam cogniturus, non in Praetorio, sed extra illud, audiuisse eos dicitur: Τῇ δὲ ἑξῆς ὁ Πιλάτος ΚΑΘΙΣΑΣ ΕΠΙ ΒΗΜΑΤΟΣ ἐν τῷ μεγάλῳ σταδίῳ,

ςαδίῳ, καὶ προσκαλεσάμενος τὸ πλῆθος, *Postridie autem Pilatus Tribunali insidens in magno stadio, cum populum ad se vocasset.* Cf. de hoc more PERIZONIVS de Praetorio p. 179.

* *

IN ACTA APOSTOLICA.

CAPVT I.

v. 4.

Καὶ συναλιζόμενος) Haec lectio, quippe vnice vera, omnino retinenda est, reiectis aliis, συναλισκόμενος et συναυλισκόμενος, a librariorum aut incuria, aut ignorantia profectis. Quae autem vera hic sit τȣ͂ συναλίζεσθαι notio, id vero disputandi materiam, quam iustam, nescio, praebuit. Omnes omnium Interpretum de hac voce sententias afferre et refutare, nec iuuat, nec operae pretium est. Vulgatus, qui reddidit, *conuescens*, non omnino inepte fecisse putandus est, cum haec vox interdum sic occurrat, vt Psalm. CXLI. v. 4. בַּל־אֶלְחַם בְּמַנְעַמֵּיהֶם, quod LXX. Seniores reddiderunt: ȣ̓ μὴ συνδυάσω, alius Vett. Interprett. μὴ συμφάγομαι τὰ ἡδέα αὐτῶν, alius denique, μὴ συναλισθῶ ἐν ταῖς τερπνότησιν αὐτῶν, *ne vna vescar deliciis eorum.* Vid. DRVSII Fragm. Vett. Interprett. p. m. 1042. Neque tamen ei interpretationi subscribere possum, cum hic vocis significatus sit paullo insolentior, et huic loco non satis conueniens, qui longe aliam huius vocis notionem postulat. Scilicet ἁλίζειν et ἁλίζεσθαι voce med. est *colligere*. Iosephus A. VIII, 4, 1. τὰ δὲ λοιπὰ σκεύη πάντα ΣΥΝΑΛΙΣΑΣ, *Cum caeteram supellectilem omnem collegisset:* inde pro *congregare*, XIX, 7, 4. καὶ δή τις ἀνὴρ ἐν τοῖς Ιεροσολύμοις ἐπιχώριος - - πλη-

πλῆθος εἰς ἐκκλησίαν ΣΥΝΑΛΙΣΑΣ, *Quidam Hierosolymitanus indigena, cum populum in concionem conuocasset.* Inde ἁλίζεσθαι est *conuocari, congregari.* VLPIANVS ad Demosthen. c. Timocrat. p. 227. Ed. Wolf. Ἰςέον ὅτι ἡ Ἡλιαία λέγεται αὐτὸς ὁ τόπος τῦ μεγάλυ δικαςηρίυ, καὶ τὸ ἄθροισμα αὐτῶν τῶν ἐκεῖσε δικαζόντων· Ἡλιαία δὲ ἐκλήθη ὁ τόπος, παρὰ τῷ ἐκεῖσε ΑΛΙΖΕΣΘΑΙ καὶ συναθροίζεσθαι τὸ πλῆθος τῶν δικαζόντων, *Sciendum est, Heliaeam dici locum ipsum magni indicii, et conuentum eorum, qui ius ibi dicebant. Dicta autem est Heliaea locus ab eo, quod ibi CONVENIRET et congregaretur multitudo iudicum.* Vnde Ἀλία est *ipsa populi concio*, s. *conuentus populi*; sic est v. c. apud Demosth. pro Coron. in Decret. Byzantin. 325. Ed. Wolf. ἐν τᾷ ἁλίᾳ, *in concione*: ita enim, non dubium est, quin vere et eleganter emendarit VAN DALEN in Dissertatt. ad Antiquitatt. et Marmor. p. 777. pro inepto illo Ἐντεαλίᾳ. Sic ἁλίζεσθαι pro *conuenire* est apud Iamblichum de vita Pythagorae c. 12. p. 44. Edit. Kuster. ἐςὶ δὲ καὶ τρίτον εἶδος, καὶ τόγε ἐλευθεριώτατον, συναλιζόμενον, vbi recte KVSTERVS ex Codice MS. pro συναυλιζόμενον restituit συναλιζόμενον, ostenditque, in multis locis συναλίζεσθαι et συναυλίζεσθαι esse confusa. Sensus igitur huius loci est: *Cum EOS congregasset, praecepit* etc. subintellecto τῷ αὐτὺς, ex αὐτοῖς repetendo.

Ἀλλὰ περιμένειν - - ἣν ἠκύσατέ μυ) Oratio obliqua mutata in rectam, more, optimo cuique Scriptori recepto. Tale illud Iosephi A. I, 19, 4. οἱ δὲ πάντες ἐπιςασθαί τε ἔφασαν· ὐ γὰρ εἶναι τοιῦτον ὥςε ἀγνοεῖσθαι· καὶ συμποιμαίνειν αὐτοῖς θυγατέρα αὐτῦ, ἣν θαυμάζειν ὅτι μήπω παρείη· παρὰ γὰρ ταύτης ΜΕΜΑΘΗΚΕΙΣ ἂν ἀκριβέςερον, *Illi vero omnes et se nouisse dixerunt (non enim talem esse, vt ignotus esse possit) eiusque filiam una pascere, seque demirari, quod nondum adsit. Ex ea enim, inquiunt, accurate de illis omnia, quae scire aues, poteras intelligere.* Et §. 6. Ἰάκωβος αὐτῷ πᾶσαν τὴν αἰτίαν διηγεῖτο, λέγων, Ἰσάκῳ γενέσθαι παῖδας διδύμυς - - ταύτην τε

τι ΕΙΝΑΙ τὴν αἰτίαν τῆς ἐνθάδε παρουσίας, κατὰ τὴν τῆς μητρὸς ἐντολήν· πᾶσί τε γὰρ ἡμῖν ἀδελφοὶ ΤΥΓΧΑΝΟΥΣΙ. Et §. 10. Λάβανος δὲ - - ἤρξατο κατηγορεῖν αὐτοῦ, προφέρων, ὅτι καὶ πένητα αὐτὸν - - ΥΠΕΔΕΞΑΤΟ - - καὶ γὰρ θυγατέρας τὰς ἐμὰς ΣΥΝΕΖΕΥΞΑ. Interdum transitus iste ab oratione obliqua ad rectam dilucidius indicatur inserto τῷ φησὶ aut ἔλεγεν, vt ibidem: Ἰάκωβος ἀπελογεῖτο· μὴ μόνῳ πατρίδος ἐρῶντα τὸν Θεὸν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ΕΜΦΥΣΑΙ -- ὑπὲρ δὲ τῆς Λείας ἃ ἐγκαλεῖς, ΦΗΣΙΝ, ἀδικῶν αὐτὸς ἂν εὑρεθείης ἐπ' ἄλλῳ κριτῇ. Sic. Ant. V, 2, 12. οἱ δὲ πρέσβεις - - πρᾴως ἔπειθον ΦΕΡΕΙΝ, καὶ ΣΥΝΕΛΘΕΙΝ - - συγχωροῦμεν δὲ ὑμῖν, ΕΛΕΓΟΝ. Et similia multis locis occurrunt.

v. 13. Καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον) Communis sententia est, ipsi quoque WOLFIO probata, quae hoc ὑπερῷον in domo priuata aliqua fuisse contendit. Nec nego, in domibus priuatis quoque ὑπερῷα fuisse; sed, de eo h. l. quo minus accipere possimus, ipsa sermonis series videtur prohibere. Lucas v. 12. dixerat, Apostolos, Iesu in coelum sublato, a monte Oliuarum rediisse Hierosolymas: nunc v. 13. pergit: καὶ ὅτε εἰσῆλθον, *et cum ingressi essent*, quidnam? Hierosolymasne, an aliquam domum? hoc enim, relictis omnibus, constituendum erat; de quo plerique fere omnes silent Interpretes. Et BEZAE quidem dubium non est, quin subintelligendum sit, *in domum priuatam*. Sed hoc est, ni fallor, contra omnem loquendi vsum. Desidero enim exemplum, vbi aliquis, aliunde in vrbem profectus, in alicuius domum digressus, simpliciter dicatur εἰσελθών. Nam semper aut εἰς οἶκον diserte additur, vt in his ipsis Actis, c. IX. 17. XVIII. 15. XXI. 8. et innumeris locis aliis, aut certe vox οἴκου vel diserte, vel implicite praecessit, ad quam εἰσελθεῖν refertur, vt c. V. 7. 10. et pluribus aliis locis, quorum longe alia ratio est, quam illius, quo hic vtimur. Igitur εἰσῆλθον, cum hic non adiunctum habeat casum loci, in quem ingressi dicuntur Apostoli; necessa-

rio

rio ſubintelligendus is eſt et repetendus, quem ipſa orationis ſeries nobis oſtendit: qui qualis ſit, inueniemus in ipſis Lucae verbis: *Tunc a monte Oliuarum redierunt Hieroſolymas, et poſtquam ingreſſi erant* ſ. *venerant*, quo? nempe *Hieroſolymas*, quod praeceſſit. Haec eſt orationis ſeries, hoc filum, quo ea connectenda. Vim verbis inferre videntur, qui aliter. His confectis, ad diiudicandum non difficile erit, quod ὑπερῷον ſit intelligendum. Viri docti plerique omnes accipiunt de eo, quod fuit in domo priuata. Videamus, an orationis συνάφεια id permittat, quae, ex illorum ſententia, eſſe debet haec: *Tunc Apoſtoli a monte Oliuarum redierunt Hieroſolymas, et poſtquam hanc vrbem ingreſſi erant, aſcenderunt in coenaculum ſuperius:* quodnam? *domus priuatae.* Credibile eſt, Lucam innuere voluiſſe coenaculum ſuperius cuiusdam domus priuatae, non facta mentione prius *domus*, in qua iſtud ὑπερῷον fuerit? Mihi quidem id perſuadere vix poſſum. Quodſi igitur, ſaluis tantorum Virorum iudiciis, meam ſententiam proponere liceat, non diffiteor, animum mihi inclinare eo, vt putem, per τὸ ὑπερῷον h. l. intelligendum eſſe *cellam ſuperiorem in Templo Hieroſolymitano*, quae κατ' ἐξοχὴν videtur appellata eſſe ὑπερῷον. In qua ſententia me confirmat auctoritas Ioſephi, qui in Templi Hieroſolymitani deſcriptione tradit, primam et ſecundam contignationem habuiſſe centum oecos, ſ. περιςύλια, Säle: tertiam vero non habuiſſe oecos, ſed fuiſſe τὸν οἶκον. Locus eſt A. VIII, 3, 2. ΥΠΕΡΩΙΟΣ (οἶκος) ὐκ ἦν περιῳκοδομημένος, *Superius conclaue nullis domunculis erat circumdatum*; et paullo poſt idem conclaue vocatur ὁ ὑπερῷος οἶκος: vt illud ſupremum Templi Hieroſolymitani conclaue κατ' ἐξοχὴν dictum videatur ὁ ὑπερῷος οἶκος, aut, vt h. l. τὸ ὑπερῷον, ſubintellecto τῷ μέρος, quod diſerte addit Ioſephus B. I. V, 5, 5. Alibi Ioſephus hoc ὑπερῷον ita deſcribit, vt locum ſubdiualem fuiſſe, ibique homines congregari ſolitos, oſtendat. Locus eſt A. XI, 5. 4. Γενομένυ δὲ κηρύγματος, ὥςε πάντας τὺς ὑπὸ τῆς αἰχμα-

λωτίας συνελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα - - συνῆλθον οἱ ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς καὶ Βενιαμίτιδος ἐν τρισὶν ἡμέραις - - καθισάντων δὲ ἐν τῷ ΥΠΕΡΩιΩι τοῦ ἱεροῦ, παρόντων ἅμα καὶ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ ὑπὸ τοῦ κρύους ἀηδῶς διακειμένων, ἀναστὰς Ἔσδρας, ᾐτιᾶτο ἐκείνους· *Cum autem edictum esset, vt omnes ex captiuitate reduces Hierosolyma conuenirent - - Iudaicae et Beniamiticae tribus homines intra triduum convenerunt: - - At postquam consederunt in SVPERIORE PARTE Templi, Senioribus etiam vna praesentibus, quibus molestiam creabat frigus, Esdras, cum surrexisset, accusabat eos.* Totum fere locum attuli eo consilio, vt dubitationem tollat, motam a WOLFIO ad c. II v. I. contra sententiam a me allatam. Nam ille Vir Doctissimus τὸ ὑπερῷον h. l. de conclaui Templi Hierosolymitani ob eam quoque caussam accipi posse negat, quia non verosimile sit, illud conclaue in templo tantae amplitudinis fuisse, vt 120 homines capere potuerit. Sed hanc dubitationem esse nullam, vel Iosephi locus adductus docet. Mihi vero potius non prope verum videtur, vllum fuisse in domo priuata ὑπερῷον, tantae hominum multitudini capiendae aptum. Hanc sententiam meam mirifice confirmat, quod infra dicitur, Apostolos vna cum fidelibus semper fuisse in templo: et dilucide locus Lucae in Euangel. XX. 53. vbi Apostoli, Iesu in coelum sublato, Hierosolymas reuersi, semper in Templo fuisse dicuntur. Mea igitur sententia, sensus huius loci est: *Tunc Apostoli a monte Oliuarum reversi sunt Hierosolymas: et postquam ingressi erant* hanc vrbem, *adscenderunt in superius illud Templi conclaue.* Nihil video in hac interpretatione coacti: sed iudicent me doctiores.

v. 18. Οὗτος μὲν οὖν ἐκτήσατο χωρίον) Recte observarunt Interpretes, illud κτήσασθαι h. l. non esse *possidere*, sed *occasionem dare alicuius rei emendae et possidendae.* Quam loquendi rationem Scriptoribus Sacris frequentissimam esse, docet GLASSIVS Philolog. Sacr. Lib. III. Tr. III. can. 10. Eadem notione idem verbum apud Iosephum

est

eſt A. IX, 8, 3. de Iodao: τῷ Δαυὶδȣ γένει τὴν βασιλείαν ΕΚΤΗΣΑΤΟ, *occaſio ſ. cauſa fuerat, regni Dauidis ſtirpi reſtituendi.*

Πορευθῆναι εἰς τόπον τὸν ἴδιον) Communiſſima horum verborum interpretatio eſt, *Iudam ad inferos abiiſſe.* Sed vereor, vt is ſignificatus linguae auctoritate confirmari poſſit: certe, quae adducta ſunt loca in hanc rem, nihil conficiunt. Accommodatius huc vocare potuiſſent Viri docti locum Clementis Romani ex Epiſt. I. ad Corinth. p. 24. Edit. WOTTONI, vbi de Petro ita: πλείονας ὑπήνεγκεν πόνȣς, καὶ ὕτω μαρτυρήσας, ἐποϱεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης· *plures labores perpeſſus eſt, atque ita martyrium paſſus, in debitum gloriae locum ingreſſus eſt.* Sed nec hoc loco vti velim. Ego quidem haec verba explicanda putem ex notiſſima illa loquendi ratione, *qua homines ad ſuum quisque locum,* h. e. domum, *abiiſſe dicuntur;* adeo vt idem ſit, quod *ex loco aliquo recedere, ſ. ab hominibus, quibuscum fueris, ſecedere.* Haec loquendi ratio et in *Veteri Teſt.* et apud Ioſephum eſt frequentiſſima, ex quo exempla ſupra ad Ioh. II. 11. attulimus, quae hic ſunt videnda. Ex hac igitur loquendi ratione Lucae verba interpreter, *Iudas ſeceſſit a nobis, munere Apoſtolatus relicto.*

CAPVT II.

V. 2. Ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον, ȣ̃ ἦσαν καθήμενοι) Plerique fere omnes τὸν οἶκον interpretantur de *domo priuata*, illa ipſa nempe, in qua fuerit illud ὑπερῷον, de quo ſupra C. I. 13. Quod mihi vix veroſimile videtur. Nam, vti ſupra rationibus, ni fallimur, luculentis oſtendimus, illud ὑπερῷον de conclaui non domus priuatae, ſed Templi Hieroſolymitani, capiendum eſſe; ita aliae rationes ſuadent, τὸν οἶκον h. l. non de *domo aliqua priuata*, ſed de *oeco ſ. conclaui, quod in Templo fuerit*, intelligendum eſſe. Conſtat enim, Feſto Pentecoſtes, illa diei par-

te; hora nempe tertia, (vid. infra v. 15.) solemnissima quippe omnium hora precandi, vnumquemque sacris publicis interesse oportuisse, nec sine impietatis summa nota abesse potuisse, vt ex Talmudistis docet CAPELLVS in Spicileg. Obseruatt. ad h. l. Ea igitur precum hora cum omnes in Templo conuenire oportuerit, quis credat Apostolos abfuisse? praesertim cum Spiritum sanctum publico potius loco, tot spectatoribus praesentibus, quam in domo priuata, accepturi essent. Deinde vix prope verum videtur, quemquam hominum tenuium, et a re familiari non optime constitutorum, quales fere erant, qui Apostolis fauebant, *oecum* habuisse tot hominibus capiendis aptum. Denique vix intelligi potest, quomodo tanta multitudo tot gentium tam celeriter, audito sonitu, confluere potuerit, nisi iam antea in loco propinquo fuisset congregata. Itaque puto, *τὸν οἶκον* h. l. esse intelligendum oecum aliquem Templi. Οἶκος autem, s. latine *oecus*, (Latina enim lingua caret voce, quae hanc graecam exprimat) nihil aliud est, quam quod nos dicimus ein Saal. Tales autem *oecos* in Templo Hierosolymitano triginta fuisse, testis est Iosephus, in Descriptione Templi Hierosolymitani A. VIII. 3. 2. *Περιωκοδόμησε δὲ τὸν ναὸν ἐν κύκλῳ τριάκοντα βραχέσιν* ΟΙΚΟΙΣ, *οἳ συνοχή τε τοῦ παντὸς ἔμελλον ἔσεσθαι, διὰ πυκνότητα καὶ πλῆθος ἔξωθεν περικείμενοι*, *Porro Templo adstruxit per circuitum oecos triginta, qui, extrinsecus circumiecti, totum Templum, propter crebritatem et multitudinem, erant cohibituri.* Et VII. 14. 10. de Dauide, *τὴν διαγραφὴν καὶ τὴν διάταξιν τῆς οἰκοδομίας τοῦ ναοῦ, πάντων ὁρώντων, ἔδωκε Σολομῶνι, θεμελίων καὶ* ΟΙΚΩΝ *καὶ ὑπερῴων*, *Templi autem aedificandi exemplar, eiusque descriptionem, omnium in conspectu, tradidit Solomoni, vt et substructionum et Oecorum et coenaculorum.* Alias saepe Iosepho *οἶκοι* sunt *conclauia domus priuatae:* die Zimmer, Säle im Hause, quo sensu occurrit v. c. A VIII. 5. 2. X. 11. 2. XII. 4. 11. B. I. 21. 1. Sed, vti diximus, *οἶκος* h. l. de *Oeco*, qui in Templo fuit, intel-

intelligendus est. Scilicet, auctore Iosepho, scimus, νεὼν τῦ Θεῦ, s. ναὸν, circumdatum fuisse περιβόλοις, h. e. *porticibus*, *basilicis*: in his autem περιβόλοις non modo erant στοαὶ, sed etiam *oeci*, in quibus et Doctores legis de rebus sacris scholas habebant, hominesque precandi caussa conuenire solebant: neque dubium mihi est, quin Apostoli, Pentecostes Festo Spiritum S. accepturi, precandi caussa in tali Templi *oeco* fuerint. Caeterum sonitus ille, tanquam venti vehementer irruentis, signum fuit praesentiae diuinae, aduentumque Spiritus S. in Apostolos illabentis portendit. Tale quid narratur Iosepho A. VII. 4. 1. vbi Dauidi, cum Palaestinis proelium inituro, arcamque repetituro, a Deo iniungitur hoc, κινεῖν αὐτὸν μὴ πρότερον, μηδ' ἄρχεσθαι μάχης, πρὶν ἢ τὰ ἄλση σαλεύεσθαι μὴ πνέοντος ἀνέμυ· ὡς δ' ἐσαλεύθη τὰ ἄλση, καὶ ὁ καιρὸς, ὃν αὐτῷ προεῖπεν ὁ Θεὸς, παρῆν - - εὐθὺς ἀπὸ τῆς πρώτης συμβολῆς τραπέντας ἐνέκειτο κτείνων, καὶ διώκει μὲν αὐτὺς ἄχρι πόλεως Γαζάρων, *ne exercitum prius moueret, pugnamque iniret, quam silua, nullo perflante vento, agitaretur. At simulac silua concussa erat, tempusque, quod ei Deus praedixerat, aderat, - - statim a primo congressu in fugam versis multa cum caede ingruit, et illos persequitur vsque ad vrbem Gazara.*

v. 22. Ἄνδρα ἀπὸ τῦ Θεῦ ἀποδεδειγμένον) Illud ἀπὸ pro ὑπὸ dictum est simillimo modo apud Iosephum A. VII. 14. 5. ἵνα γνῷ πᾶς ὁ λαὸς ἀποδεδειγμένον αὐτὸν ΑΠΟ τῦ πατρὸς βασιλέα, et multis aliis locis ἀπὸ pro ὑπὸ positum inuenies; ut mirari subeat, IOH. IENSIVM in *Fercul. Liter.* p. 17. de ea re dubitare. Sed hoc leue. Grauioris momenti est, quo sensu vox ἀποδεδειγμένον hic sumenda, quae sententiarum diuortio occasionem dedit, quas nec afferre, nec sub examen vocare nunc iuuat. Nuper ALBERTI V. C. in Obseruatt. sacr. p. 223. nouam attulit, cum reddidit: *celebrem factum inter vos.* Sed haec interpretatio contra omnem loquendi vsum est; neque in Arriani locis, a Viro Celeberr. in hanc rem adductis,

ἀποδεδειγμένος est *celeber*, sed *certo cuidam vsui destinatus*: quo exquisito significatu quoque apud Iosephum est, A. VIII. 3. 8. Sed is significatus huic loco non conuenit. Immo *ἀποδεδειγμένος* hic est, *qui multis documentis, et miraculis, resurrectioneque e mortuis, Dei filius, verusque Messias demonstratus est*; quo sensu *ὁρισθεὶς* dicitur Rom. I. 4. Quae haud dubie causa est, quare quidam Patrum vocem *ὁρισθέντος* in illo loco Paullino reddiderint *ἀποφανθέντος, δειχθέντος, ἀποδειχθέντος*, allusione ad hunc locum: neque dubium est, quin vox *ἀποδεδειγμένον* summam rei certitudinem indicet, quam Graeci suae *ἀποδείξει* tribuebant.

Προγνώσει τῦ Θεῦ ἔκδοτον λαβόντες) Non conuenit inter interpretes, quo sensu vox *πρόγνωσις* h. l. sit capienda. Nostratium plerique de *praescientia* intelligendam eam censent, BEZA autem, GROTIVS, et nuper ELSNERVS, cum multis aliis, de *decreto*. Ego quidem, si communem vocis vsum considero, non alienus sim ab eorum sententia, qui pro *praescientiae* significatu hic pugnant. Nam *προγινώσκειν* et *πρόγνωσις*, si non semper, saepe tamen, non solum in scriptura sacra, sed apud alios quoque scriptores, de *praescientia* vsurpatur: ex quibus cum nullum neque WOLFIVS ad h. l. neque H. STEPHANVS in Thes. Gr. L. exemplum in hanc rem attulerit; operae pretium fuerit, ex Iosepho quaedam adducere. A. V, 11, 3. *Eli, cum audisset, suis mali aliquid accidisse*, ῥᾷων ἦν ἐπί τε τοῖς παισὶ, καὶ τοῖς συνηγγελμένοις περὶ τὸ στρατόπεδον, ὡς ἂν ΠΡΟΕΓΝΩΚΩΣ παρὰ τῦ Θεῦ τὸ συμβησόμενον, καὶ προαπηγγελκώς, *leuius ferebat filiorum caedem, et quae vna nunciata erant de exercitus strage, vt qui PRAESCIVERAT a Deo, quod futurum erat, et praedixerat.* B. I. 8, 12. Εἰσὶ δὲ ἐν αὐτοῖς οἱ καὶ τὰ μέλλοντα ΠΡΟΓΙΝΩΣΚΕΙΝ ὑπισχνῦνται, *sunt etiam inter Essenos, qui profitentur rerum futurarum praescientiam.* Eodem sensu est *προγινώσκειν* et *προειδέναι* A. VI, 14, 4. et vox *πρόγνωσις* ipsa pro *rerum futurarum scientia* occurrit VIII, 8, 5. Μαθὼν δὲ ἀληθῆ τὸν ἄνθρωπον καὶ ΘΕΙΑΝ

ἔχοντα

ἔχοντα ΠΡΟΓΝΩΣΙΝ, *Cum autem rex intellexisset, hominem esse veracem, et ex afflatu Dei futura praenoscere:* et XV, 5, 10, 5. Ἦν τὶς τῶν Ἐσσηνῶν, Μανάημος ὄνομα - - ΠΡΟΓΝΩΣΙΝ ἐκ Θεȣ̃ τῶν μελλόντων ἔχων, *Erat Essenorum aliquis, nomine Manahemus - - qui diuino instinctu rerum futurarum praescientiam habebat.* Quod si igitur communem loquendi vsum respicio, *praescientiae* notio praeferenda videtur: Sin autem ipsius orationis rationem considero, magis huc facere putem *decreti* notionem. Nam quod et Iudaei, et Romani impune vim et crudelitatem in Christum exercere potuerunt, id non tam a *praescientia*, quam *decreto diuino* pendet. Haec autem προγνώσεως notio pro *decreto* ex profanis auctoribus probari nequit (nam quae loca in hanc rem ELSNERVS attulit, tam inepta sunt, vt Vir doctus in re seria lusisse videatur) sed ex more loquendi Hebraeorum deriuanda est. His enim quemadmodum ידע, ita scriptoribus sacris N. T. γνῶναι et εἰδέναι tanquam causa pro effectu ponuntur, et saepe notant *voluntatem et decretum diuinum.*

Ἔκδοτον λαβόντες) Ἔκδοτον λαβεῖν τινα graece dicitur, *qui aliquem siue ab altero proditum, siue alia ratione deprehensum in potestatem accipit.* Iosephus A. VI, 15, 9. Σάȣλος γνωρίσας τὴν Δαυίδȣ φωνὴν, καὶ μαθὼν ὅτι ΛΑΒΩΝ αὐτὸν ΕΚΔΟΤΟΝ ὑπὸ τȣ̃ ὕπνȣ καὶ τῆς τῶν φυλαττόντων ἀμελείας ȣ̓κ ἀπέκτεινεν· *Saulus, agnita voce Dauidis, quod, cum eum, a somno, et negligentia custodum proditum, in suam potestatem accepisset, non tamen occiderit.* Apud eundem ἔκδοτον παρέχειν est *aliquem alii dedere*, quod Nostrates dicunt **ausliefern**, XVIII, 9, 7. μὴ δεξαμένοις τȣ̃τον τὸν λόγον, ȣ̓δὲ γὰρ βȣλομένοις ΕΚΔΟΤΟΝ ΠΑΡΑΣΧΕΙΝ δυνατὸν ἦν, *cum dictis istis locum concedere nollent, neque enim, si id maxime vellent, hominem dedere potuerunt.* Cf. XIV, 13. pro quo est παραςῆσαι sensu eodem B. I. III, 7. 31. Θεὸς τὸν τῆς πόλεως λαὸν - - πρὸς ἀπώλειαν ΕΚΔΟΤΟΝ φονεῦσιν ἐχθροῖς ΠΑΡΕΣΤΗΣΕΝ, *Deus vniuersum populum ad*

interitum dedidit hostibus caedium auidissimis. Eodem significatu ἐκδιδόναι (vnde ἔκδοτος) est apud eundem XI, 6, 12. et XIV, 1, 4.

V. 27. Ου δώσεις) *non concedes, non permittes,* significatu non Ebraeis magis, quam Graecis frequenti. Iosephus A. IV, 4, 2. Μωϋσῆς - ἤρετο τὸν Θεὸν εἰ πολεμεῖν αὐτῷ ΔΙΔΩΣΙ, Moses *consulit Deum, an concederet, ipsum armis decertare:* vnde διδόναι et συγχωρεῖν interdum vt synonyma iunguntur, v. c. A. VI, 6, 4. καλέσας ὁ βασιλεὺς Ἀχίτωβον τὸν ἀρχιερέα, ἐκέλευσεν αὐτὸν γνῶναι, εἰ ΔΙΔΩΣΙΝ ὁ Θεὸς αὐτοῖς καὶ ΣΥΓΧΩΡΕΙ, *Rex, accito Achitobo pontifice, iussit eum rescire, an illis Deus permitteret atque concederet.*

v. 41. Οἱ μὲν ἂν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι) Recte hic WOLFIVS disputat contra MILLIVM, τὸ ἀσμένως ex Scholio marginali natum esse existimantem. Vero simile est, librarium hanc vocem consulto omisisse, quasi non opus ea esset, cum eius notio in Verbo ἀποδεξάμενοι iam inclusa lateret. Nam ἀποδέχεσθαι, vt ex innmeris locis patet, denotat eum animi adfectum, quo aliquid comprobamus, iudiciique nostri calculo confirmamus. Vid. TAYLOR ad Lysiam p. 423. Sed ita optimus quisque loquitur. Iosephus A. IV, 7. οἱ δ' ΑΣΜΕΝΩΣ δεξάμενοι τοὺς λόγους: Et XVIII, 34: 5. ΑΣΜΕΝΩΣ ἐδέχετο τὸν περὶ αὐτοῦ λόγον, et sic multis aliis locis.

CAPVT III.

V. 1. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὲ) In diuersas sententias Viri docti scinduntur, vtrum haec verba ad finem Capitis II. sint referenda, an pro initio Cap. III. habenda. Mihi quidem, et orationis seriem, et linguae rationem consideranti, dubium non est, quin Capitis huius initium sit habenda; de qua re alio et tempore et loco commodius. Verba autem ἐπὶ τὸ αὐτὸ quomodo latine sint reddenda, Viri docti dubii haerent. Vidit iam WOLFIVS, ἐπὶ τὸ αὐτὸ hic

hic significare non posse *in eundem locum*, quia diserte additur locus, in quem ascendisse dicuntur, nempe εἰς τὸ ἱερόν. ABRESCHIVS, V. C. in Adnotatt. ad N. T. p. 604. reddi vult, *in eundem finem:* quod etsi hac formula interdum significari scio, intellecto τῷ πρᾶγμα, vt apud Herodot. Lib. I. C. 13. tamen hic eum significatum locum habere non posse putem, quia mox sequitur, ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην, quod satis dilucide iam docet, *quo consilio* Petrus et Iohannes Templum adierint. Restat igitur, vt interpretemur *simul, vna:* qui significatus huius locutionis LXX. Senioribus est frequentissimus: neque his solum, sed et aliis. Sic diserte est apud Iosephum A. XVI, 8, 6. Ἐποιήσατο δὲ καὶ συνθήκας, εἰς Ῥώμην ἐλθεῖν, ἐπειδὴ περὶ τούτων ἐγέγραπτο Καίσαρι, καὶ μέχρις Ἀντιοχείας ΕΠΙ ΤΟ ΑΥΤΟ παρῆλθον. *Pepigit etiam, se iturum Romam, quoniam de negotiis suis ad Caesarem scripsisset; iueruntque SIMVL Antiochiam vsque.* Caeterum Verba, ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην, vt hoc obiter addamus, capienda sunt pro, ἐπί τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς, ἥτις ἦν ἡ ἐννάτη τῆς ἡμέρας, *circa precationis horam, quae erat nona diei:* hora nostra fere tertia pomeridiana, quae Iudaeis erat nona.

v. 13. Κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν) BOISIVS reddit, *Cum ille dimittere decreuisset*, improbante WOLFIO. Immo vero nihil verius, nihil accuratius. Κρίνειν enim apud optimum quemque auctorem est *decernere, statuere, velle.* Iosephus A. I, 4. ἀφανίσαι ἐκ παντὸς οὐκ ΕΚΡΙΝΕΝ, *omnes omnino perdere NOLVIT:* Et II, 2. Ταῦτα τοῦ Θεοῦ ΚΡΙΝΑΝΤΟΣ περὶ τῶν Σοδομιτῶν, *Cum haec Deus de Sodomitis DECREVISSET.* A. III, 14. δύο ΚΡΙΝΑΝΤΟΣ ἡμῖν τοῦ Θεοῦ παρασχεῖν ἀγαθά, *Cum Deus decreuerit duplex bonorum genus nobis impertire.* VII. 1, 5. ΚΡΙΝΑΣ Ἀβέννηρον ἀποκτεῖναι, 6, 2. οὐκέτι διὰ στρατηγῶν πολεμεῖν ΕΚΡΙΝΕΝ, IX, 4, 4. Φανερῶς πολεμεῖν ΕΚΡΙΝΕ, et §. 5. παραδοῦναι τοῖς πολεμίοις ΕΚΡΙΝΑΝ, Add. XII, 10, 4. Vit. Ios. 8, 9. Itaque mirum

sit,

sit, WOLFIVM, graece doctissimum, de hoc significatu subdubitare. Redde igitur: *Cum* Pilatus *eum dimittere decreuisset, voluisset*; nec necesse est, cum WOLFIO aliisque τὸ δεῖν intelligere.

v. 14. Ἠτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν) h. e. *rogastis, vt in gratiam vestram homicida mortis poena liberaretur:* quo sensu elegantissime Graecis de reis χαρισθῆναί τινι dicitur. Iosephus A. II, 6, 9. in Oratione Iudae ad Iosephum pro Beniamine: γενόμενος οὖν ἐν τούτῳ τῶν λογισμῶν, εἰ καὶ ἡ κακία σε παροξύνει νῦν ἡ ἡμετέρα, καὶ τὸ κατ' αὐτῆς δίκαιον ΧΑΡΙΣΑΙ τῷ πατρί. *His igitur perpensis, tametsi iram tibi commovet scelus hoc nostrum, patri tamen vindictae gratiam facito:* et paullo post, τῷ πατέρων ὀνόματι ταύτην ΧΑΡΙΖΟΜΕΝΟΣ τὴν δωρεάν: *in gratiam nominis patrum hoc beneficium concede.* A. V, 1, 1. παρεκάλει, ΧΑΡΙΖΟΜΕΝΟΥΣ τῇ τε ἐκείνου προνοίᾳ - - παρέχειν αὑτοὺς εἰς τὰ παραγγελλόμενα προθύμους· *Obsecrabat, vt in gratiam curae Mosis alacriter sese ad promissorum fidem liberandam accingerent.* Add. A. VII, 8, 4. VI, 7, 4. B. I. I, 27, 5. Hanc loquendi elegantiam Graecorum etiam Latini imitati sunt. v. Graev. ad Cic. Ep. V, 4.

v. 19. Ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως) Communissima horum verborum interpretatio, *Wolfio* quoque probata, ea est, quae *diem iudicii extremi* indicari contendit: Cui vt subscribam, animum pluribus de caussis inducere non possum. Primum enim *dies iudicii extremi* definitum quoddam tempus denotat, quod si indicari debuisset, vox καιροῦ, non autem χρόνου, adhibenda fuisset, quippe quae, inprimis multitudinis numero posita, *temporis durationem* indicat: adeo vt vel hæc vox huic interpretationi adversetur. Deinde ἀποκατάστασις indicat *tempora N. T.* quod exinde intelligitur, quia Matth. XVII, 11. Elias, s. Iohannes Baptista, dicitur venturus, qui ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΗΣΕΙ πάντα: quod de N. T. temporibus intelligendum esse, facile omnes concedunt. Est autem ἀποκαθιστάναι, vnde ἀποκατάστασις, non solum *instaurare*, sed etiam *emendare*, *in me-*

meliorem statum redigere. Vid. Marc. III, 6. Luc. VI, 10. Porro verba sequentia v. 22. προφήτην ὑμῖν ἀναςήσει κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν, docent, de temporibus N. T. hic sermonem esse. Quae cum ita sint, me non eius sententiae esse poenitet, ut putem, ἀποκατάςασιν h. l. denotare *Tempora N. T. quibus omnia ad salutem hominum, remque Christianam pertinentia, emendanda, et in meliorem statum constituenda sint.* Decepit haud dubie Viros illos optimos significatus τȣ ἄχρι paullo rarior. Non enim hic, vt alibi fere, *donec, vsque ad* hæc particula, sed *dum, quamdiu* denotat. Elegans hic est particularum ἄχρι et μέχρι cum Genitiuo significatus, non omnibus autem satis cognitus. Sic Rom. V. 13. Ἄχρι γὰρ νόμȣ, ἁμαρτία ἦν ἐν τῷ κόσμῳ quod vulgo reddunt, *Nam usque ad Legem peccatum erat in mundo*, male! vertendum erat, *Quamdiu Lex erat, erat quoque peccatum in mundo*; et his ipsis Actis XX, 6, ἄχρις ἡμερῶν πέντε, *per quinque dies.* Apud Iosephum A. VI. 11, 9. ΜΕΧΡΙΣ ȣ̃ περίεςι Δαυΐδης, *Quamdiu superfit Dauides:* dilucidius X, 2, 2. ηὔχετο ΜΕΧΡΙΣ τῆς αὐτȣ̃ ζωῆς εἰρήνην ὑπάρξαι, *orabat, vt, quamdiu ipse viueret, pax esset:* et XII, 7, 6. ἐπιλεξάμενος δέ τινας τῶν αὐτȣ̃ ςρατιωτῶν, προσέταξε τȣ́τοις ἐκπολεμῆσαι τέως τȣ̀ς τὴν ἄκραν φυλάττοντας, ΑΧΡΙ ἂν αὐτὸς τὸν ναὸν ἁγνίσειε. *Deinde quibusdam ex suis militibus delectis negotium dedit, vt eos, qui custodiebant arcem, oppugnarent tam diu, quamdiu lustratio Templi duraret.* Ἀποκατάςασιν autem esse *emendationem, mutationem in meliorem conditionem, restitutionemque in pristinum statum*, vel haec Iosephi loca docent, XI, 3, 8. ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ τῶν Ἰȣδαίων est *Indaeorum reditus e captivitate Babylonica, restitutioque in pristinum statum:* et ib. 4, 6. τῶν Ἱεροσολύμων ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ, *instauratio Hierosolymorum.*

v. 23. Ἐξολοθρευθήσεται) Hæc vox *Alexandrina*, quam apud τȣ̀ς ἔξω forte frustra quaesieris, occurrit illa quidem apud Iosephum A. VIII, 11, 1. πᾶν ΕΞΟΛΟΘΡΕΥΣΩ σȣ τὸ γένος, *omne genus tuum ad internecionem*

vsque

vsque perdam; Sed hoc, non dubium eſt, quin a LXX. Senioribus hauſerit. Alio loco autem, XI, 6, 6. vſurpat vocem ΕΞΟΛΟΘΡΕΥΣΙΝ pro *exitio*, vbi non LXX. Seniorum, ſed ſuis verbis loquitur.

CAPVT IV.

v. 1. Ἐπέστησαν αὐτοῖς) Latine optime reddideris, *eos oppreſſere*, i. e. ſubito et praeter opinionem iis ſuperuenere. Id enim eleganter Graecis ἐπιστῆναί τινι denotat. Noſtri dicunt, einem unvermuthet über den Hals kommen. Sic apud Ioſephum A. II, 11, 1. ΕΠΙΣΤΑΝΤΩΝ δὲ ποιμένων καὶ ἀπελαυνόντων τὰς παρθένους, *Cum ſubito ſuperveniſſent paſtores, puellasque repuliſſent*. Plura in hanc rem afferebamus ſupra ad Luc. XX, 1.

v. 5. Τοὺς ἄρχοντας) Ἄρχοντες, qui v. 8. diſertius vocantur ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, non alii ſunt, quam *Synedrii Magni aſſeſſores*, qui in hiſtoria Maccab. Lib. I. c. 14. dicuntur ἄρχοντες τοῦ ἔθνους. Apud Ioſephum XX, 1, 2. ΑΡΧΟΝΤΕΣ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΙΤΩΝ. Hi autem ἄρχοντες a πρεσβυτέροις, qui ipſi quoque non exigua pars illius ſenatus erant, hic diſtinguuntur, quia illorum dignitas auctoritasque haud dubie maior, quam πρεσβυτέρων, erat. Caeterum hic Lucae locus inprimis eſt notatu dignus, cum diſerta fiat enumeratio omnis generis Virorum, ex quibus Synedrium illud Magnum conſtabat. Scilicet compoſitum erat ex triplicis ordinis hominibus, ſacerdotibus, Leuitis, et filiis Iſrael, h. e. primoribus Iudaeorum, neque ſacerdotum, neque Leuitarum Claſſi adſcriptis, quibus addebantur γραμματεῖς, cum eorum muneris eſſet, interpretationem locorum paullo difficiliorum, de quibus diſceptatio eſſet orta, ſuppeditare. Cf. quoque in hanc rem Eruditiſſimus *Bernardus* ad Ioſeph. A. IV, 14. 8, 4.

v. 6. Καὶ Ἄνναν τὸν Ἀρχιερέα, καὶ Καϊάφαν) Cum ex inſtitutis Iudaeorum non niſi unus fuerit ſummus Ponti-

ti-

tifex, tempore autem hoc, nempe Pentecostes Festo, is fuerit Caiphas, cum tempore paschali ejusdem anni eo Sacerdotio functus sit. (vid. Matth. XXVI, 57. et Ioh. XVIII, 13.) quaerunt hic viri doctissimi, quomodo Annas quoque ἀρχιερεὺς dici possit. Mihi quidem optima huius difficultatis tollendae ratio videtur haec, vt dicamus, eo anno, quo haec acciderunt, non nisi vnum fuisse Pontificem Max. nempe *Caipham*; *Annam* autem, qui ipse quoque ἀρχιερέως titulo hic insignitur, non nisi vicarium *Caiphae*, summi Pontificis, fuisse. Scilicet auctore Iosepho scimus, *Caipham* anno decimo quinto principatus Tiberii, quo acciderunt, quae hic narrantur, summum sacerdotium obiisse, quod ei Valerius Gratus, Iudaeae Procurator, contuletat; Vid. A. XVIII, 2, 2. Retinuisse autem Caipham hanc dignitatem usque ad Vitellii in Syriam adventum, idem tradit Lib. eodem, 4, 2. Vitellium porro, constat, in Syriam missum fuisse Praesidem, cum Consulatu functus esset, quem, Collega Fabio Prisco, anno vigesimo Tiberiani imperii gessit; Ex quibus conficitur, Caipham vltra septem annos summo sacerdotio fuisse functum. Caiphas igitur XV. anno principatus Tiberii et erat, et proprie appellabatur Ἀρχιερεύς. *Annas* autem, qui ipse hic ἀρχιερεὺς vocatur, fuit Caiphae, Pontificis Maximi, vicarius. Neque quicquam dubitationis habet, quin Pontifex M. suum sibi interdum habuerit Vicarium, qui dicebatur כֹּהֵן מִשְׁנֶה ἀρχιερεὺς ὁ δεύτερος, quemadmodum ille כֹּהֵן הָרֹאשׁ ἀρχιερεὺς ὁ πρῶτος. Vid. II. Regg. XXV. 18. et I. Paralip. XXIV. Multa autem tempora causaeque incidere poterant, vbi necessitas exigebat, vt Pontifici M. Vicarius daretur. Cuius rei illustre exemplum est apud Iosephum Ant. XVII, 6, 4. Qui locus inprimis notatu dignus est contra PETAVIVM, qui in Doctr. Temp. X. 58. negat, Vicarium Pontificis Max. vnquam appellari ἀρχιερέα, quod fit in illo Iosephi loco. Hanc autem Iudaeorum consuetudinem ad postrema vsque tempora Reipubl. Iudaicae durasse, copiose docteque

que docet magnus ille SCALIGER in Prolegom. Eusebianis. Hos Pontificis Max. Vicarios CASAVBONVS in Exercitatt. Anti Baron. XIII. §. 30. non male confert cum *Syncellis* vel *Proto-Syncellis* Patriarchae Constantinopolitani, de quibus multa lectu dignissima SCALIGER l. c. Aliam autem rationem difficultatis, in hoc Lucae loco occurrentis, tollendae suppeditat PETAVIUS, l. c. sententiam Augustini amplexus, qui duos eo tempore fuisse Pontifices Maximos, per vices summo sacerdotio functos, putabat, vt Romae Coss. per vices fascibus fuerint vsi. Sed huic rationi obstare vel illud videtur, quod supra ex Iosepho de summo sacerdotio, septem annos, serie non interrupta, a Caipha administrato, attulimus. Prior igitur illa ratio magis mihi probatur. Neque vero cuiquam mirum videri debet, Annam, etsi vicarius tantum Pontificis M. fuerit, Caiphae a Luca praeponi. Id enim haud dubie ea de causa factum est, quia Caiphae socer erat, praeterea summa dignitate auctoritateque apud populum valebat, et filios suos ad idem amplissimum honorificumque munus euexerat.

Ἀλέξανδρον) Si conjecturae locus sit, dicerem, hunc Alexandrum esse Philonis, scriptoris celeberrimi, fratrem, de quo saepe apud Iosephum, v. c. XVIII, 8. *φίλων, ὁ προεστὼς τῶν Ἰουδαίων τῆς πρεσβείας, ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος; ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ τοῦ Ἀλαβάρχου ἀδελφὸς ὤν, Philo, princeps legationis Iudaeorum, vir vndique clarissimus, Alexandrique Alabarchae frater*; XIX, 5, 1. dicitur *Alexander Lysimachus*, a Claudio, cum quo vetus ei intercesserat amicitia, vinculis solutus. Fuerat scilicet Procurator Antoniae, matris Claudii Imperatoris. Cf. quem hic laudat WOLFIUS, PEARSONIVM in Lectionibus super Acta p. 41.

CAPVT V.

V. 6. *Συνέστειλαν αὐτὸν*) *Συστέλλειν* et *περιστέλλειν* (nam vtrumque promiscue usurpatur) Graecis adhibentur

tur *ad denotandam omnem curam, quam pollinctores cadaveribus adhibent, vt, membra collocare, vngere, componere faciem, fasciis inuoluere, vestes induere:* de qua re tota lectu digna est obseruatio CVPERI in Obseruatt. Lib. II. c. 9. vnde pro *sepulturae praeparare,* vti h. l. et apud Iosephum A. XVII, 3, 3. *θανόντα δὲ* ΠΕΡΙΣΤΕΙΛΑΣ, *ἐπὶ Ἱεροσολύμων ἀγόμενος, ταφῆς ἠξίου, Mortuum quum saepulturae praeparatum Hierosolymas deportasset, sepultura dignatus est.* Porro XIX, 4, 1. *νεκρὸν περιέπλεξε τοῦ Γαΐου, καὶ ἀναθέμενος ἐπὶ κλίνης, καὶ* ΠΕΡΙΣΤΕΙΛΑΣ *ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, ὑπεχώρει, cum Cajum mortuum complexus esset, et collocatum in lectulo sepulturae praeparasset, quoad ejus fieri poterat, discessit.*

v. 17. *Ἀναστὰς δὲ ὁ ἀρχιερεὺς καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ, (ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων) ἐπλήσθησαν ζήλου)* Quod hic a Luca Sadducaei inprimis memorantur, qui, ira in Apostolos exacerbati, feueritatem exerceri voluerunt, eius causa haec est, quod Sadducaei prae caeteris omnibus Iudaeis seuerissimi, et in poenis infligendis acerbissimi fuerunt. Ita supra C. IV. 1. Sadducaei vna cum sacerdotibus et praefecto Templi Apostolos oppressisse narrantur. De hac Sadducaeorum seueritate acerbitateque diserte testatur Iosephus A. XX, 9, 1. *αἵρεσιν μετήει τὴν Σαδδουκαίων, οἵπέρ εἰσι περὶ τὰς κρίσεις* ΩΜΟΙ *παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους. Sequebatur Sectam Sadducaeorum, qui prae caeteris Iudaeis in iudiciis acerbi et immites sunt.* Neque mirum, Sadducaeos erga alios fuisse feros, cum erga se inuicem essent duri, teste Iosepho B. I. II, 8, 14. *Σαδδουκαίων καὶ πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αἵ τε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς, ὡς πρὸς ἀλλοτρίους· Sadducaeorum mores et erga se mutuo magis sunt feri, et cum sui similibus versantur, quemadmodum cum alienis.* Contra ea Pharisaei mitioris erant ingenii, et in reis puniendis leniores. Quod cum ex hoc ipso Cap. v. 34. intelligi potest, vbi Gamaliel Pharisaeus Apostolos dimittendos suadet; tum ex Iosepho, qui A. XII, 10, 6. ita: *φύσει πρὸς τὰς κολά-*

σεις ἐπιεικῶς ἔχουσιν οἱ Φαρισαῖοι. *Pharisaei natura ita comparati sunt, vt in poena irroganda clementes sint.* Itaque Iosephus ipse, quippe Pharisaeus, passim in vita sua clementiam praedicat, qua saepe maleficis poenam remiserit. Vid. RELANDVS ad A. XX, 9.

v. 24. ὁ ἱερεὺς - - καὶ οἱ ἀρχιερεῖς) Locus paullo difficilior; itaque a variis varie tentatus. MANGAEVS ad Philon. p. 50. pro ἱερεὺς legit ἀρχιερεὺς, quae coniectura, paullo audacior, nullo modo ferri potest, cum sequatur ἀρχιερεῖς, et versus 27. doceat, ἱερέα hic nullum alium esse, quam ἀρχιερέα. Ceterum hanc coniecturam MANGAEI firmant *Chrysostomus* et *Theophylactus*, qui ἀρχιερέα exhibent, quam veram lectionem contendit MILLIVS in Prolegom. ad N. T. §. 1105. et 1184. Sed vterque fallitur. Retinenda omnino, vtpote vera lectio, ἱερεύς. Non recordabantur Viri illi optimi, ἱερέα saepe κατ' ἐξοχὴν dici Pontificem Maximum. Lib. I. Maccab XV. 1. 2. Simon Pontifex M. nunc nude ἱερεὺς, nunc ἱερεὺς μέγας dicitur. Quid? ipse Christus, a Paullo tantum non semper ἀρχιερεὺς dictus, nonne ab eodem Hebr. V. 6. ἱερεὺς tantum vocatur? Confirmemus hunc loquendi morem ex Iosepho nostro, vel vno exemplo, a quo A. VI, 12, 1. Achimelechus Pontifex M. simpliciter ἱερεὺς vocatur, quem paullo post aliquoties ἀρχιερέα dicit. Neque Latini ab hoc loquendi more abhorrent. Apud Liuium Lib. V. 41. κατ' ἐξοχὴν Pontifex dicitur, qui erat Pontifex Maximus. Nec aliter apud Florum Lib. III. 21. *Mucius Scaeuola Pontifex.* Et Lib. I. c. 13. *deuouente Pontifice;* utroque loco Pontifex M. intelligendus. Cf. DVKERVS. Qui autem hic a Luca ἀρχιερεῖς dicuntur, de iis v. ad Matth. II, 4.

v. 34. Ἐκέλευσεν ἔξω βραχύ τι τοὺς ἀποστόλους ποιῆσαι) *Iussit Apostolos secedere:* Est locutio elliptica, τῶ ἑαυτοὺς supplenda: vt apud Iosephum A. X, 6, 2. οἱ ἡγεμόνες - - κελεύουσιν αὐτόν τε καὶ τὸν γραμματέα Βάρουχον ἐκποδὼν ΕΑΥΤΟΥΣ ποιῆσαι, *Principes iusserunt cum ipsum, tum eius scribam, e medio secedere.* Nec Latini ab

hoc

hoc loquendi more abhorrent. Terentius, *Huc te fac* h. e. accede, exponente Donato: Apuleius, *Intra limen se facit.* Cf. CASAVBONVS ad Sueton. August. c. 16. et ABRESCH Animadv. ad N. T. p. 607.

v. 36. Πρὸ γὰρ τέτων τῶν ἡμερῶν ἀνέςη Θευδᾶς) Cum ille Theudas, de quo Iosephus XX, 5, 1. exponit, quatuordecim vel quindecim annis post hanc Gamalielis orationem turbas in Iudaea excitauerit, ob quas Cuspio Fado, Procuratori, iustas poenas dedit; facile intelligitur, non potuisse hic Gamalielem ad istum homuncionem respicere. Doctissimus enim RELANDVS ad Iosephum l. c. humanitus errat, qui hunc Lucae Theudam eundem esse contendit cum illo, de quo Iosephus loco paullo ante laudato. Neque tamen illi satis caute et sapienter agunt, qui hunc nodum, cum soluere non possint, secant, ita vt Iosepho, quae fatalis quaedam ipsius infelicitas est, vel negligentiae, vel mendacii crimen impingant. Alii, paullulum aequiores circumspectioresque, auctoritatem orationis Gamalielis ita defendunt, vt Iosephi fidei nihil derogatum velint. Diversas rationes difficultatis, hic occurrentis, tollendae a Viris doctis allatas, diligentissime, vt solet, recensuit praestantissimus WOLFIVS, quibus addendae illae, quas nuper attulit IO. BAPTISTA OTTIVS, V. C. *in Excerptis ex Flauio Iosepho ad N. T. p.* 256. *seqq.* vbi ipse nouam, quantum equidem sciam, Iosephi cum Luca conciliandi rationem suppeditat hanc, vt dicatur, *primo factam hic esse apud Lucam in narratione verborum μετάθεσιν, ita vt ista sic legi debeant : πρὸ γὰρ τέτων τῶν ἡμερῶν ἀνέςη Ἰέδας ὁ Γαλιλαῖος* etc. *Deinde, μετὰ τέτων δὲ ἀνέςη Θευδᾶς* etc. *includi parenthesi, et verba non esse Gamalielis in Synedrio sententiam dicentis, sed Lucae scribentis et velut interfantis, et factum Theudae cum illo Iudae Galilaei, ob similitudinem, coniungentis.* Sed vereor, vt Vir ille eruditissimus quemquam sit nacturus, qui huic coniecturae, audaci sane et violentae, subscribat. Omnium autem rationum difficultatis amouendae

optima, παρ' ἐμοίγε κριτῇ, haec eſt, quae duos ſtatuit Theudas, quorum ille, Ioſepho commemoratus, recentior, hic autem, cuius Gamaliel mentionem facit, antiquior fuerit. Hanc ſententiam luculentiſſime inprimis CASAVBONVS, ὁ πάνυ, adornauit in Exercitatt. Anti-Baron. Exercit. II. n. 57. Scilicet hunc Theudam, quo Gamaliel vtitur, ſimile vero eſt vixiſſe circa tempora nati Chriſti, vltimosque adeo Herodis M. annos, quo tempore Herodes omni fere Auguſti gratia exciderat, ſuisque inuiſus, iniuriae opportunus expoſitusque erat. Neque enim dubium eſt, quin, vti alii multi, vt apud Ioſephum eſt, ita et hic Theudas, Herodis moribus, crudelitatique infenſus, occaſionem turbas mouendi arripuerit. Quodſi coniecturae VSSERII ad A.M. 4001. p. 538. Edit. Lond. aliquid tribuendum ſit, iſte Gamalielis Theudas non alius eſt, quam infamatus iſte Ioſephi Iudas, filius Ezechiae, latronum praefecti, de quo Ioſephus A. XVII, 10, 5. Sed tota haec res non niſi coniectura nititur. Caeterum quod de iſto Theuda hic dicitur: λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν, ᾧ προσεκολλήθη ἀριθμὸς ἀνδρῶν ὡσεὶ τετρακοσίων, idem fere de altero iſto bipedum nequiſſimo eiusdem nominis Ioſephus XX, 5, 1. tradidit: Προφήτης ἔλεγεν εἶναι, καὶ προστάγματι τὸν ποταμὸν σχίσας, δίοδον ἔφη παρέξειν αὐτοῖς ῥᾳδίαν· καὶ ταῦτα λέγων, πολλοὺς ἠπάτησεν· *Aiebat ſe Prophetam eſſe, diremptisque imperio ſuo aquis fluminis, facilem ſe ipſis tranſitum praebiturum dicebat; et huiusmodi ſermonibus plurimos decepit.*

v. 37. Μετὰ τοῦτον ἀνέστη Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος) Recte reiicit WOLFIVS argutam, nullaque ſpecie commendabilem HEINSII interpretationem, qua μετὰ τοῦτον referri vult ad finem v. 36. et reddi, *poſt ipſum Theudam eius aſſeclas periiſſe.* Nempe arguta ſubtilitas in aliud tempus differenda erat. Verba μετὰ τοῦτον omnino tempori denotando hic adhibentur, et indicant, huius Iudae Galilaei rebellionem eſſe recentiorem illa, a Theuda excitata. Tempus autem rebellionis, cuius fax

et

et tuba Iudas, non obſcure ab ipſo Luca indicatur, cum dicit, ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς· quam deſcriptionem facultatum in populo Iudaico de illa accipiendam eſſe, quae Archelao Viennam relegato, illiusque ditione in prouinciae Romanae formulam redacta, a Quirinio peracta fuerit, grauiſſima nos Ioſephi auctoritas docet, Ant. XVIII, 1, 1. vbi diſerta mentio iniicitur huius Iudae, concitatoris turbarum et rebellionis ob cenſum a Quirinio agendum. Si igitur illa coniectura non vana eſt, qua paullo ante dicebamus, iſtum Theudam ultimis Herodis M. annis illas turbas excitaſſe; facile colligitur, rebellionem a Iuda motam, decem annis, et quod excurrit, illa poſteriorem fuiſſe. Caeterum, qui Iudas hic vocatur Γαλιλαῖος, is Ioſepho A. XVIII, 1, 1. dicitur Ἰȣ́δας Γαυλανίτης ἀνὴρ, ἐκ πόλεως ὄνομα Γάμαλα: *Iudas Gaulanites, ortus ex oppido Gamalis.* Neque vero exiſtimandum eſt, pugnam hic inter Lucam et Ioſephum intercedere. Nam Ioſephus, qui alibi (v. c. B. I. II, 20, 4.) accurate Galilaeam et Gaulanitem diſtinguit, hunc ipſum Iudam non vno loco Γαλιλαῖον appellat, adeo vt non vanam huius diuerſae denominationis cauſam habuiſſe cenſendus ſit. Sic A. XVIII, 1, 6. ὁ Γαλιλαῖος Ἰȣ́δας. XX, 5, 2. οἱ παῖδες Ἰȣ́δα Γαλιλαίȣ· Et de B. I. II, 9, 1. ἐπὶ τȣ́τȣ τὶς ἀνὴρ Γαλιλαῖος, Ἰȣ́δας ὄνομα, εἰς ἀπόστασιν ἐνῆγε τȣ̀ς ἐπιχωρίȣς: vbi ALDRICHIVS hallucinatur, cum putat, locum XVIII, 1, 1. vbi Iudas Γαυλανίτης dicitur, deprauatum eſſe, legendumque Γαλιλαῖος. Nam Ioſephus, qui, vti diximus, Gaulaniten a Galilaea ſecretam eſſe, probe ſciebat, non ſine iuſta cauſa hunc Iudam nunc Γαλιλαῖον, nunc Γαυλανίτην appellaſſe exiſtimandus eſt. Non dubium enim eſt, quin hic Iudas duplex habuerit cognomen, ab vrbe natali alterum, a loco educationis aut habitationis alterum: quemadmodum ille Apollonius, Argonauticon Scriptor, qui patria *Aegyptius* erat, a loco habitationis *Rhodius* dicitur. Facit huc obſeruatio CAPELLI, exiſtimantis, Iudam dici *Gauloniten*, quia *Gaulone* eſſet oriundus:

undus: *Galilaeum* autem, quia *Gaulon*, etsi ad *Galilaeam* proprie et stricte sic dictam non pertineret, tamen de Galilaea censeri posset, quatenus in N. T. paullo latius sumatur Galilaea, pro iis omnibus Iudaeorum locis, quae non erant de Iudaea proprie et stricte dicta. Et sane *Gaulon Galilaeae* contigua et contermina erat, quod intelligitur ex Iosepho B. I. II, 20, 4.

Capvt VI.

V. 2. *διακονεῖν τραπέζαις*) Omnes fere, ipseque WOLFIVS, vocem *τράπεζα* interpretantur de *rebus ad vitam sustentandam necessariis*, de *victu et alimento*, vt adeo *διακονεῖν τραπέζαις* sit *ministrare in conuiuiis*, *συσσιτίαις Christianorum*. Iam, etsi praefracte negare nolim, *τράπεζαν* interdum pro *conuiuio* sumi, tamen et illum significatum non nisi rarissimum esse scio, et ab hoc loco quam maxime alienum puto. Malim equidem, *διακονεῖν τραπέζαις*, interpretari, *inseruire pecuniae et colligendae, et in pauperes distribuendae*. Voce *διακονεῖν* nihil aliud indicatur, quam illa *διακονία καθημερινὴ*, de qua v. 1. Illa autem *διακονία* nihil aliud est, quam *cura eleemosynarum et colligendarum, et pauperibus distribuendarum:* qua notione saepe haec vox in Epistolis Pauli. Vide ipsum WOLFIVM ad II. Corinth. VIII. 4. et de eo ministerio *διακονεῖν* eod. cap. v. 19. et *διακονία* pro *ipsa eleemosyna*, in his ipsis Actis c. XI. v. 29. unde *διάκονος τραπέζης*, *qui eleemosynas collectas pauperibus distribuit*. Sic vox *τράπεζα* apud Iosephum in Edicto Ptolomaei de Iudaeis manumittendis, A. XII, 2, 3. *τούτους ἀπολυέτωσαν οἱ παρ' αὐτοῖς ἔχοντες, ὑπὲρ ἑκάστου σώματος λαμβάνοντες δραχμὰς ἑκατὸν εἴκοσι, οἱ μὲν στρατιῶται μετὰ καὶ τῶν ὀψωνίων, οἱ δὲ λοιποὶ ἀπὸ τῆς βασιλικῆς ΤΡΑΠΕΖΗΣ κομιζόμενοι τὰ λύτρα*, *Hos*, Iudaeos captiuos, *manumittunto, qui penes sese habent, accipientes pro singulis capitibus drachmas centum viginti, ita vt milites quidem vna cum stipendiis, reliqui*

qui autem DE PECVNIA REGIA, pretium redemptionis accipiant: paullo post βασιλικὴ κτῆσις, *facultates regis* dicuntur, et ibidem βασιλικοὶ τραπεζῖται, *qui pecuniam regiam curant, aliisque soluunt et distribuunt*. Caeterum hoc διακονίας munus videtur ad Christianos ex Iudaica Ecclesia transiisse, in qua tres erant in singulis Synagogis פַּרְנָסִים. Vid. LIGHTFOOT ad Matth. IV. 20^s p. 249.

v. 9. Κυρηναίων) Κυρηναῖοι hic sunt *Iudaei, vrbes prouinciae Cyrenaicae incolentes*. Auctor est Iosephus, Iudaeos in omnibus Cyrenaicae vrbibus habitasse, et eodem, quo inquilini, ciuitatis iure fuisse usos. Locus est XIV, 7, 2. Τέτταρες ἦσαν ἐν τῇ πόλει τῶν Κυρηναίων, ἥτε τῶν πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεωργῶν, τρίτη δ' ἡ τῶν μετοίκων, καὶ τετάρτη ἡ τῶν Ἰουδαίων· αὕτη δ' εἰς πᾶσαν πόλιν ἤδη παρεληλύθει, καὶ τόπον οὐκ ἔστι ῥαδίως εὑρεῖν τῆς οἰκουμένης, ὃς οὐ παραδέδεκται τοῦτο τὸ φῦλον, μηδ' ἐπικρατεῖται ὑπ' αὐτοῦ· *In vrbe Cyrenaeorum quatuor erant hominum classes, vna ciuium, altera agricolarum, tertia inquilinorum, et quarta Iudaeorum. Haec autem iam vrbes vniuersas fere inuaserat, haudque facile est, locum in toto orbe inuenire, qui hoc genus hominum exceperit, et ab eo teneatur.* Cum reliquis autem inquilinis ibidem Iudaeos habuisse ἰσονομίαν s. *idem ius ciuitatis*, idem testatur, XVI, 6, 1. Mox Ἀλεξανδρεῖς sunt *Iudaei Alexandriam habitantes*. Ita diserte Iosephus XIX, 5, 2. τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίους, καὶ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΣ λεγομένους· *Iudaeos, qui Alexandriae sunt, et ALEXANDRINI appellantur*. Ingens autem multitudo Alexandriae consederat, auctore Philone in Flacc. p. 971. decies centena millia; adeo, vt ex quinque illis regionibus, in quas ea vrbs descripta erat, duas tenerent, et sparsim per reliquas sua sibi domicilia haberent, auctore eodem Philone in Flacc. p. 973. Quid? quod iis ius ciuitatis pari cum Macedonibus conditione datum erat, auctore Iosepho, XII, 1, 1. et XIX, 5, 2 Neque id ius iis ademptum est, etsi Antiochenses et Ale-

drini importunis precibus id a Vespasianis flagitarent, teste eodem XII, 3, 1. Habebant hi Iudaei Alexandrini suum pra fe ꝉum, qui Ἐθνάρχης dicebatur, vt ex Strabone refert Iosephus Lib. XIV, 7, 2. Ἐν Αἰγύπτῳ κατοικία τῶν Ἰȣδάιων ἐςὶν ἀποδεδειγμένη χωρίς· καὶ τῆς τῶν Ἀλεξανδρέων πόλεως ἀΦώρισο μέγα μέρος τῷ ἔθνει τȣτῳ· καθίςαται δὲ καὶ ΕΘΝΑΡΧΗΣ αὐτῶν, ὃς διοικεῖ τε τὸ ἔθνος, καὶ διαιτᾷ κρίσεις, καὶ συμβολαίων ἐπιμελεῖται καὶ προσταγμάτων, ὡς ἂν πολιτέιας ἄρχων αὐτοτελȣ̃ς. *In Aegypto concessum est Iudaeis habitare, et magna pars vrbis Alexandrinae seorsim huic genti assignata est.. Quin et suus illis est Ethnarcha, qui gentis res administrat, et iudicia exercet, curatque contractus et mandata, quasi esset perfectae reipublicae Princeps.* Cf. inprimis eundem contra Apion. Lib. II. §. 2.

v. 11. Τότε ὑπέβαλον ἄνδρας) Ὑποβάλλειν Graecis est, quod Latinis *subornare.* Nostri dicunt, einen heimlich anstellen. Eodem sensu fere est ὑπόβλητος apud Iosephum A. VII, 8, 4. συνίησι δ᾽ ὁ βασιλεὺς ΥΠΟΒΛΗΤΟΝ ȣ̃σαν τὴν σκῆψιν ἐξ Ἰωάβȣ, *Regi autem suboluit, hoc commentum esse Ioabi:* et de B. I. V, 10, 4. τὸ δὲ ἑτοιμότατον ἦν, μηνυτής τις ΥΠΟΒΛΗΤΟΣ, ὡς αὐτομολεῖν διεγνωκότων, *Praesentissimum autem erat, indice aliquo subornato, qui diceret, illis decretum esse transfugium.*

Caput VII.

V. 3. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν· Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σȣ) Dei iussu igitur euocatus et egressus est Abrahamus ex vrbe Vre Chaldaeorum. Iosephus aliam causam discessus Abrahami, patrisque Tharrae ex Chaldaea reddit, A. I, 6, 5. Θάῤῥȣ δὲ μισήσαντες τὴν Χαλδαίαν διὰ τὸ Ἀράνȣ πένθος, μετοικίζονται πάντες εἰς Χαῤῥὰν τῆς Μεσοποταμίας. *Tharras autem cum odio haberet Chaldaeorum terram, propter acerbum luctum Aranae*, in vrbe Vre Chaldaeorum mortui, *omnis familia ipsius vna cum illo migrarunt Charram Mesopota-*

potamiae. Neque vero eo nomine mendacii crimen Iofepho impingendum eft. Nam potuit Tharra et Abrahamus cum Chaldaeam pertaefus, tum iuffu diuino excitatus, Vr reliquiffe: nec vna caufa allata tollit alteram, quamquam non diferte commemoratam. Sed neque alteram Iofephus alio loco tacuit, cum A. I, 7, 1. de Abrahamo ita: *Ἄβραμος καταλείπει τὴν Χαλδαίαν, ἑβδομήκοντα καὶ πέντε ἔτη γεγονώς,* ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΚΕΛΕΥΣΑΝΤΟΣ, *Abramus ex Chaldaea difceffit, cum iam effet annorum feptuaginta et quinque, Deo iubente.*

v. 5. *Δοῦναι εἰς κατάσχεσιν αὐτὴν*) *Κατάσχεσις* hic eft idem quod *κατοίκησις*, *habitatio, poffeffio*, qua notione faepe eft apud LXX. Seniores, neque apud hos folum, fed et alios. Apud Iofephum A. IX, 1, 2. Iofaphatus Deum precibus implorat, vt fibi concedat victoriam de Moabitis reportandam, *οἱ τὴν ὑπ' αὐτοῦ δοθεῖσαν γῆν εἰς* ΚΑΤΑΣΧΕΣΙΝ *ἀφελέσθαι πάρεισιν αὐτούς, qui eo animo venerint, vt illos de poffeffione terrae deturbarent, in quam habitandam eos immiferit.* *Κατέχειν* pro *inhabitare* apud eundem eft A. I, 11, 4. II, 7, 2. *κατασχεῖν τὴν Χαναναίαν, inhabitare Cananaeam.* Pro quo, fenfu eodem, fimplex verbum eft, A. I, 7, 1. de Abrahamo *τὴν Χαναναίαν* ΕΣΧΕ *γῆν.*

v. 6. *Κακώσουσιν ἔτη τετρακόσια*) Quidam, cum non viderent, quomodo Ifraëlitae 400. aut potius 430. annos in Aegypto exegiffe dici poffent, ita fe rem expedire poffe putarunt, fi, poft *τὸ κακώσουσιν* interpunctione facta, verba *ἔτη τετρακόσια* per hyperbaton referrent ad *πάροικον εἶναι ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ*: hanc autem *παροικίαν ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ*, non modo de Aepyptiaca, fed Cananaea etiam Abrahami, Ifaaci et Iacobi intelligendum effe, quarum vtraque 215. annos complectatur. Horum fententiae fauere videntur LXX. Seniores, Exod. XII, 40. fi vera lectio, quae in Edit. BREITINGERI ita exhibetur: *Ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ισραὴλ, ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια.*

τρίακοντα. Sed haec verba interpolata sunt, adiectis multis, quae in sermone Ebraeo frustra quaeres, qui diserte docet, Israëlitas in Aegypto commoratos esse 430. annos; quod ipsum quoque diserte tradit Iosephus A. II, 15, 2. *Κατέλιπον τὴν Ἄιγυπτον μετὰ ἔτη* ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΚΑΙ ΤΕΤΡΑΚΟΣΙΑ, *reliquerunt Aegyptum anno quadringentesimo trigesimo.* Non dubium autem est, quin spatio horum 430. annorum non tantum tempus seruitutis Aegyptiacae, sed etiam tota illa Patriarcharum, Abrahami, Isaaci et Iacobi, peregrinatio in Cananaea intelligenda et comprehendenda sit. In qua sententia mirifice me confirmat Iosephi locus modo laudatus; *Κατέλιπον τὴν Ἄιγυπτον μετὰ ἔτη τριάκοντα καὶ τετρακόσια ἢ τὸν πρόγονον ἡμῶν Ἄβραμον εἰς τὴν Χαναναίαν ἐλθεῖν· τῆς δὲ Ἰακώβȣ μεταναστάσεως εἰς τὴν Ἄιγυπτον γενομένης, διακοσίοις πρὸς τοῖς δεκαπέντε ἐνιαυτοῖς ὕστερον. Reliquerunt Aegyptum anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abrahamus pater noster in Cananaeam venit: et post Iacobi migrationem in Aegyptum anno ducentesimo quintodecimo.* Neque aliter ille Paulli locus ad Galat. III. 17. vbi scribit, a promissionibus Abrahamo factis ad legem datam, h. e. ad exitum Israëlitarum ex Aegypto, annos elapsos esse 430. ille, inquam, locus non aliter capiendus est, quam vt intelligatur omne illud promissionis tempus, per quod Abrahamo, Isaaco et Iacobo, repetitis vicibus, promissiones factae sunt; vt dudum docuit PERIZONIVS, Vir Eruditissimus, et in docendo diligentissimus, in *Originibus Aegyptiac.* C. XX. p. 357. Cf. IS. VOSSIVS in Chronol. sacra p. III. Quod autem Stephanus Israëlitas 400. annos tantum in Aegypto seruiisse dicit, cum Moses 430. scribat, in eo nulla inter ipsos pugna et discrepantia est. Stephanus enim, cum 400. annos tantum edit, cum, accurate loquendo, 430. fuerint, numero vsus est rotundo, quo nihil fere frequentius apud historicos. Ne aliunde exempla petam, Iosephus de hac Israëlitarum seruitute Aegyptiaca A. II, 15, 2. ita loquitur, vt ei 430. tribuat:

Sed

Sed ecce, idem Iosephus ibid. 9, 1. non nisi 400. annis eam circumscribit: ΤΕΤΡΑΚΟΣΙΩΝ *μὲν ἐτῶν χρόνον ἐπὶ ταύταις διήνυσαν ταῖς ταλαιπωρίαις. Per annos quadringentos has perpessi sunt miserias.* Et ne quid in his verbis vitii subesse, et cum PETITO *καὶ τριάκοντα* addendum putes, addamus aliam locum, vbi eundem numerum tuetur. Locus est B. I. V, 9, 4. *σιγῶ ἢ εἴπω τὴν εἰς Αἴγυπτον μετοικίαν τῶν πατέρων; οἳ τυραννούμενοι καὶ βασιλεῦσιν ἀλλοφύλοις ὑποπεπτωκότες* ΤΕΤΡΑΚΟΣΙΟΙΣ *ἔτεσι - - σφᾶς αὐτοὺς ἐπέτρεψαν τῷ Θεῷ; Silebo an dicam patrum nostrorum migrationem in Aegyptum, qui annos quadringentos tyrannis ac regibus alienigenis subditi, - - semet ipsos Deo permiserunt?* Quid, quod ipsa Scriptura S. non aliter de hac ipsa re loquitur? Nam seruitus Aegyptiaca, quae Exod. XII. 40. durasse dicitur 430. annos, Genes. XV. 13. non nisi 400. annis terminatur; vt Iosephus ad vtrumque, Stephanus autem ad posteriorem tantum locum Geneseos respexisse existimandi sint.

v. 7. *Καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ*) Auctor libri *Chissur Emuna* imperitiae accusat Stephanum, quod haec verba, cum non extent Genes. XV. 13. vnde praecedentia petita sint, ex Cap. III. Exodi adduxerit. WOLFIVS huic virulento auctori ita respondet, vt dicat, Stephanum ex duobus locis, Geneseos nempe C. XV. et Exod. III. rem vnam indicantibus, vnam sententiam formasse, more et scriptoribus sacris, et ipsis Iudaeis recepto. Sed recutito isti regeri quoque potest, hanc ipsam rem inueniri Genes. XV. 18. etsi non iisdem verbis, ipso tamen sensu. Neque aliter, ac Stephanus, in hac re narranda versatus est Iosephus, A. I, 10, 3. *φωνὴ θεία παρῆν, ἀποσημαίνουσα πονηροὺς αὐτοῦ τοῖς ἐκγόνοις γείτονας ἐπὶ ἔτη τετρακόσια γενησομένους κατὰ τὴν Αἴγυπτον, ἐν οἷς κακοπαθήσαντας περιέσεσθαι τῶν ἐχθρῶν, καὶ κρατήσαντας πολέμῳ Χαναναίων, ἕξειν αὐτῶν τὴν γῆν καὶ τὰς πόλεις· Adfuit* Abrahamo sacrificanti *vox diuina, denuntians, posteris eius malignos fore vicinos, annos quadringentos in Aegypto: quo tem-*

tempore, grauia perpessos, hostibus superiores euasuros, deuictisque Cananaeis, regionem eorum et vrbes occupaturos: cum dicit, Israelitas, deuictis Cananaeis, terram illorum esse occupaturos et inhabitaturos, facile intelligitur, eos quoque Deo ibi cultum praestituros. Caeterum haec Lucae verba, ἐν τέτῳ τῷ τόπῳ, significant *in Cananaea*, vbi tum Abrahamus erat.

v. 9. Ἦν ὁ Θεὸς μετ' αὐτȣ̃) h. e. *Deus ei erat propitius*, loquendi ratione Hebraeis perquam familiari, quamquam apud Graecos quoque inuenitur; v. c. apud Iosephum A. XI, 6, 10. οἱ δ' ȣ̓κέτ' ἀμύνασθαι τὸν Μαρδοχαῖον ἔλεγον δυνήσεσθαι, τὸν γὰρ Θεὸν εἶναι σὺν αὐτῷ. *Illi dixerunt, non posse amplius Mardochaeum laedi, Deum enim ei propitium esse;* XV, 5, 9. μεθ' ὧν τὸ δίκαιόν ἐστι, μεθ' ἐκείνων ὁ Θεός· *a quorum partibus est ius, iis Deus est propitius.* Occurrit quoque haec loquendi formula apud Lysiam p. 549. Ed. TAYLORI. Sed ibi probe obseruauit MARKLANDVS, hoc esse e reliquiis linguae Orientalis, ex qua Graeca sit orta.

v. 10. Ἔδωκεν χάριν καὶ σοφίαν) h. e. *gratiosum cum apud Pharaonem reddidit per datam facultatem interpretandi somnia.* Haec enim inprimis intelligenda hic est σοφία, h. e. *somniorum interpretandorum facultas*, quam Iosephus A. X, 10, 2, 3. κρίσιν ὀνείρων vocat. Neque per σοφȣ̀ς illos, quos Pharao arcessit, intelligendi sunt alii, quam ὀνείρων ἐξηγηταὶ, *somniorum interpretes.* Et hanc Iosephi σοφίαν dicitur Rex Pharao apud Iosephum A. II, 5, 7. admiratus esse: quo pertinet, quod infra v. 22. Moses πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων institutus dicitur, quae inprimis *in somniorum interpretatione* cernebatur. Χάριν autem denotare *fauorem*, *gratiam*, *qua apud alios floremus*, alibi exemplis docebimus.

v. 14. Καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτȣ̃ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε) In hoc loco interpretando, et cum Mosis narratione conciliando, mire se torserunt Interpretes: quorum praecipuas sententias iam attulit diligentissi-

tissimus WOLFIVS. Difficultas exinde nascitur, quod, cum Moses non nisi 70. homines numeret, in LXX. Virali, et in hac Stephani oratione 75. fuisse dicuntur. Alii aliam huius difficultatis tollendae viam ingressi sunt. BEZA quidem, cuius sententiam sequi videtur GLASSIVS in Philol. sacr. Lib. I. tr. II. suspicatur, ab ipso Stephano et Luca non esse ἑβδομήκοντα πέντε, sed ἑβδομήκοντα ΠΑΝΤΕΣ, id autem postea mutatum esse in ΠΕΝΤΕ, et in Codd. LXX. Seniorum intrusum. Sed haec coniectura est paullo audacior, et ipsi linguae rationi aduersatur: non quo πᾶς Nominibus Numeralibus addi non possit (quod elegantissime fieri, paullo post ostendemus) sed quod τὸ πάντες voci ψυχαῖς sine soloecismi labe adiungi non possit, cum dicendum fuisset πάσαις. Reiecta igitur hac coniectura, omnino retinenda est recepta lectio ἑβδομήκοντα πέντε. Sed quae tandem est commoda illa LXX. Seniores, et, qui eos hic sequitur, Stephanum, cum Mose conciliandi ratio? mihi mallem dici. Neque tamen dubito, quid mihi de hac re videatur, libere quidem, modeste tamen, hic proponere, doctiorumque iudiciis diiudicandum permittere. Et *Schmidianam* quidem rationem, magno illi CALOVIO inprimis adornatam in Critic. sacr. p. 746. WOLFIO autem, multisque aliis probatam, etsi reliquarum omnium, quas cognoui, commodissimam puto, tamen, cum non leuibus prematur difficultatibus, eam non satis possum probare. Iudicet lector aequus et eruditus, an haec sit probanda. Scilicet, vt alii dudum monuerunt, Moses et Stephanus in hac re tradenda diuersum numerandi modum sunt secuti. Nam cum Moses 70. tantum hominum mentionem facit, intelligit eos, qui in Aegyptum venerunt. Idem, quod Moses, tradit Iosephus, eundemque numerum tuetur, Lib. A. II, 7, 4. *Iacobus in Aegyptum concessit cum filiis, et omnibus eorum liberis:* ἦσαν δ' οἱ ΠΑΝΤΕΣ ἑβδομήκοντα, vbi non numero rotundo eum loqui, adiectum τὸ πάντες docet: quippe quod, Nominibus Numeralibus additum, *numerum exactum* indicat. No-

Nostri dicunt, gerade Siebenzig, keiner mehr, und keiner weniger. Sic ib. 9, 3. ὁ (Ἰακώβου) μετὰ ἑβδομήκοντα ΠΑΝΤΩΝ εἰς Αἴγυπτον ἀφικομένου, *quo cum SEPTVAGINTA OMNINO in Aegyptum profecto:* neque minus in hanc rem diserte A. VI, 5, 6. σὺν ἑβδομήκοντα ΜΟΝΟΙΣ ἐκ τοῦ γένους ἡμῶν ὁ πάππος Ἰάκωβος διὰ λιμὸν εἰς Αἴγυπτον ἦλθε, *Cum SEPTVAGINTA SOLVMMODO hominibus generis nostri auus Iacobus in Aegyptum venit.* Cum autem LXX. Seniores, et cum iis Stephanus, 75. homines nominant, intelligunt non eos, qui in Aegyptum venerunt, sed qui a Iosepho inuitati sunt. Quod non obscure indicant haec Stephani verba: μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ, *inuitauit patrem suum, omnemque ipsius familiam,* quae tota familia (exceptis vxoribus liberorum Iosephi, Genes. XLVI. v. 26.) consistebat 75. hominibus. Et septuaginta illorum nomina, qui in Aegyptum profecti sunt adnumeratis Iosepho, duobusque illius filiis) singula enumerat Iosephus A. II. 7. 4. quibus 70. hominibus si addideris *Rachelem*, Iosephi et Beniaminis matrem, *Ballam*, Dani et Naphthalis matrem, *Zelpham*, Gadis et Aseri matrem, quas Iosephus l. c. quidem affert, in numerum autem 70. illorum hominum non refert; has tres, inquam, si addideris, et praeterea duos Iudae filios, *Er* et *Onam*, ante aduentum in Aegyptum mortuos: efficies numerum 75. hominum. Et sane prope verum est, Iosephum, cum πᾶσαν τὴν συγγένειαν Ἰακώβου ad se inuitarit, tres illas vxores, duosque Iudae filios quoque in Aegyptum arcessisse. Et hos 75. homines forte innuit hic Stephanus, cum omnem Iacobi familiam, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *75. hominibus constantem*, a Iosepho inuitatam fuisse dicit. Sed cum neque duo filii Iudae, *Er* et *Onan*, antea quippe mortui, neque tres illae mulieres, quarum Rachel antea mortua erat, Genes. XXXXV. 19. in Aegyptum venerint; (cum Iosephus l. c. eas diserte numero illo 70. hominum, qui eo venerint, eximat) facile intelligitur, quare Moses

ses et Iosephus tradant, 70. tantum homines in Aegyptum venisse. Vtriusque igitur Viri diuini, Mosis et Stephani, narrationi sua stat veritas: modo probe distinguatur inter eos, qui *inuitati sint*, et qui *eo venerint:* de illis loquitur Stephanus, de his Moses et Iosephus. Neque vero mirum videatur, me ad Iacobi *συγγένειαν* retulisse *Ballam* et *Zelpham;* hoc enim non incommode fieri posse existimabam, cum non *seruae*, sed tantum *subditae* fuerint, quod diserte tradit Iosephus A. I, 10, 8. Haec est sententia nostra de hoc Actorum loco, non sane facillimo, quam alio pluribus confirmare studebimus.

v. 16. *Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν*) Varias difficultates huius commatis attigit praestantissimus WOLFIVS, earumque tollendarum rationem ostendit. Et primam illam difficultatem, natam exinde, quod, cum Moses Genes. XLIX. v. 30. Iacobum sepultum tradat in cauerna Machpela prope Hebron, Stephanus hic dicat, eum situm, tumuloque conditum esse Sichemi, eam igitur difficultatem Viri docti ex loquendi more scriptorum sacrorum, v. c. Exod. XII. 5. ita sustulerunt, vt dicerent, verba Stephani capienda esse ita, vt quidam Patriarcharum, v. c Iosephus, sepulti dicantur Sichemi, vt testatur Iosua C. XXIV. v. 32. quidam vero Hebrone in sepulchro, quod Abrahamus sibi posterisque suis comparauit. In hoc sepulchro sepultus est Abrahamus cum vxore Sara, Genes. XXV. v. 10. et apud Iosephum A. I, 17. *Θάπτεται ἐν Χεβρῶνι, μετὰ τῆς γυναικὸς Σάῤῥας.* Porro, Isaacum etsi Moses Genes. XXXV. 20. tantum ad patres translatum esse dicit, sepulturae loco non indicato; Iosephus tamen diserte tradit *Chebrone* fuisse sepultum, A. I, 22. *ταφῆς ἔτυχεν ὑπὸ τῶν παίδων σὺν τῇ γυναικὶ ἐν Χεβρῶνι, μνημείου προγονικοῦ ἐν αὐτῇ τυγχάνοντος αὐτοῖς, Sepultus est cum vxore a filiis in Chebrone, vbi erant monumenta paterna.* Neque Iacobus alium, quam hunc ipsum, sepulturae locum nactus est, teste Mose, Genes. XLVIIII. v. 29. seqq. et Iosepho II, 8, 7. *Ἰώσηπος, συγχωρήσαντος αὐτῷ τοῦ βασιλέως,*

σιλέως, τὸν τȣ̃ πατρὸς νεκρὸν ἐις Χεβρῶνα κομίσας, ἐκεῖ θάπτει πολυτελῶς· Iosephus, rege id permittente, patris corpus in Chebronem deportatum magnifice ibi sepelivit. Quid? quod ipsius filii, in Aegypto mortui, Chebronem deportati sunt, ibique terra conditi, teste eodem l. c. Iosephus autem sepultus quidem in Aegypto est, postea tamen eius posteri, cum Hebraei ex Aegypto egrederentur, eius ossa in Cananaeam deportarunt: Genes. L. 25. de qua re Iosephus l. c. ita: *Ἰωσήπȣ ὀστᾶ ὕστερον, ὅτε μετέστησαν ἐκ τῆς Αἰγύπτȣ οἱ Ἑβραῖοι, εἰς τὴν Χαναναίαν ἐκόμισαν. Iosephi ossa in Cananaeam tum demum detulerunt, cum Hebraei Aegypto egrederentur.*

Καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραάμ) Duas in his verbis difficultates mouet Auctor libri *Chissur Emuna*, quarum altera haec est, quod iste Apella contendit, *non omnes Patriarchas in terra Canaan sepultos esse, sed vnum tantum Iosephum.* Quam falsa autem haec sit et inepta istius virulenti scriptoris criminatio, vel ex iis, quae paullo ante ex Mose et Iosepho attulimus, apparet. Cf. LVDOVIC. DE DIEV, et CARPZOVII Dissertat. *de sepulchro Iosephi*, quam vtramque laudat ad Iosephum II, 4. HAVERCAMPVS. Supra dictis addemus vnum Iosephi loc. I, 21, 3. *Ἐπεὶ κατὰ τὴν Ἐφραθάνην γίνεται, ἐνθάδε Ῥαχήλαν ἐκ τοκετȣ̃ θανȣ̃σαν θάπτει, μόνην τῶν συγγενῶν τῆς ἐν Χεβρῶνι τιμῆς ȣ̓ τυχȣ̃σαν. Cum Iacobus in agrum Ephratanum venisset, Rachelam ibi ex partu mortuam sepelit: QVAE SOLA cognatorum sepulturae honorem in CHEBRONE non assecuta est.* Altera autem difficultas, ab eodem Iudaeo mota, haec est, quod *Abraham* hic dicatur emisse sepulchrale Monumentum, quod a *Iacobo* emptum tradat Moses, Genes. XXXIII. 19. Sed ratio illius tollendae commodissima et aptissima haec est, vt *Abraham* patronymice hic sumi dicatur pro *Abrahamide*, h. e. pro *Iacobo*, Abrahami nepote. Nam patrum nomina, sine ulla mutatione, pro posteris, et quidem non pro tota tantum posteritate et gente, sed pro vno etiam singulari homine, interdum vsurpari, in Scri-

Scriptura S. non infrequens est. Vid. GLASSIVS Philol. Sacr. Lib. II. tr. 2.

v. 18. Ἄχρις οὗ ἀνέστη βασιλεὺς ἕτερος) h. e. *Rex ortus ex alia familia*; id enim ἕτερος hic denotat: quod dilucide cognoscitur ex Iosepho II, 9, 1. Αἰγύπτιοι ὧν ἦσαν εὖ ὑπὸ Ἰωσήπου τετυχότες, διὰ χρόνου μῆκος λήθην λαβόντες, καὶ τῆς βασιλείας ΕΙΣ ΑΛΛΟΝ ΟΙΚΟΝ μετεληλυθυίας, δεινῶς ἐνύβριζον τοῖς Ἰσραηλίταις, *Aegyptii, cum Iosephi beneficiorum memoriam temporis longinquitas obliterasset, regnumque AD ALIAM FAMILIAM deuenisset, inhumane tractabant Israëlitas.*

v. 19. οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν) Recte *Vulgatus: hic circumueniens genus nostrum.* Vox petita est ex palaestra, vbi σοφίσματα sunt *callidae illae gladiatorum artes, quibus alter, subita declinatione corporis, impetum aduersarii eludit, et illius latus, non satis caute tectum, ex improuiso ferit.* Hac fere notione est apud Iosephum A. VII, 1. 3. de Abenero Asaëli impetum eludente, ἐπιστραφέντος δὲ τοῦ Ἀβενήρου, καὶ ΚΑΤΑΣΟΦΙΖΕΣΘΑΙ τὴν ὁρμὴν αὐτοῦ πειρωμένου, *Cum autem Abenerus respexisset, et impetum eius eludere tentasset:* et eadem fere notione, sensu translato, apud eundem VIII, 15, 5. de Iosaphato et Achabo, conantibus Michaeae vaticinium eludere, irritumque facere: Συνέθεντο ὅ, τε Ἄχαβος καὶ Ἰωσάφατος ἀποθέσθαι τὸ βασιλικὸν σχῆμα, τὸν δὲ τῶν Ἱεροσολύμων βασιλέα τὴν αὐτοῦ στολὴν ἔχοντα στῆναι ἐν τῇ παρατάξει, ΚΑΤΑΣΟΦΙΣΑΜΕΝΟΝ τὰ ὑπὸ τοῦ Μιχαίου προειρημένα· *Conuenit inter Achabum et Iosaphatum, vt habitum regium deponeret Achabus, Hierosolymorum vero rex Achabi vestitum indutus in acie staret, vt isto commento ELUDERENTUR et IRRITA REDDERENTUR, quae Michaeas praedixerat.* Deinde ponitur pro *callide aliquem decipere:* Sic est apud Iosephum A. VI, 11.4. de Michala, callido illo strategemate Saulum, patrem, decipiente, et ex ipsius insidiis Dauidem eripiente: Μεμφομένου τοῦ πατρὸς αὐτὴν, ὅτι σώσειε μὲν τὸν ἐχθρὸν αὐτοῦ, ΚΑΤΑΣΟΦΙΣΑΙΤΟ

δ' αὐτόν. *Cum pater eam reprehendisset, quod eius inimicum seruasset, ipsum autem callide decepisset*; et paullo ante, illud mulieris inuentum dicitur σόφισμα. Neque alia τοῦ κατασοφίζεσθαι notio in hoc Lucae loco est, quam, *callida fraude decipere et circumuenire.*

τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν) Omnino haec referenda ad ipsos Israëlitas, hoc sensu: *Rex adflixit patres nostros, adeo vt infantes suos* (αὐτῶν enim legitur) *exponerent*, s. *exponere cogerentur.* Sane ἔκθετα ποιεῖν τὰ βρέφη melius ipsis parentibus, infantes suos exponentibus, quam Regi, conuenit. Nam quod KNATCHBVLLVS in Animaduers. ad h. l. dicit, vix credi posse, Hebraeos omnem humanitatem ita exuisse, vt ipsi infantes exponerent suos, id non scripturus erat, si cogitasset, quod Scriptura S. Exod. C. II. et Iosephus A. II, 9, 4. de parentibus Mosis tradunt.

v. 20. ἀστεῖος τῷ Θεῷ) Haec loquendi ratio, ab Ebraeis petita, nihil aliud denotat, quam, Mosen fuisse *venustissimum, formosissimum.* Nam quod quidam voci, τῷ Θεῷ, vim, nescio quam, inesse volunt, vt denotet *coram Domino, apud Dominum,* id vero eiusmodi est, vt vix aliquem sensum habeat commodum. Nam quae tandem est BOISII interpretatio: *ita bellus, vt eius forma vel Deo placere posset, atque grata esse?* Quid, quid, quaeso, est argutari, si non hoc est? Mirum sane, ipsum WOLFIVM huic interpretationi aliquid tribuere potuisse: quamquam hic vir longe eruditissimus in hac quidem re non sibi videtur constare, cum alibi aliter haec verba interpretetur. Supra enim ad Luc. II. v. 40. scribit, Mosen eam ob caussam vocari ἀστεῖον τῷ Θεῷ, *quia munere diuino hanc dotem acceperit, vt Pharaonis filiae placeret*; ad Ephes. I, 3. autem ἀστεῖον τῷ Θεῷ dictum putat pro ἀστεῖον τοῦ Θεοῦ. Alii aliter. Consultius erat, loquendi consuetudini, quae dominari solet, obsequi, ex qua haec verba reddenda sunt, *formosissimus erat:* neque aliam esse horum verborum vim, atque diximus, ex aliis dilucide apparet locis, vbi summa Mo-

Mosis venustas celebratur ab iis scriptoribus, qui pure graece de eadem re scripserunt. Sic, qui Moses hic, ex loquendi more Ebraico, ἀστεῖος τῷ Θεῷ dicitur, in Epist. ad Ebr. XI. 23. ἀστεῖον παιδίον vocatur, loquendi ratione graeca. Iosephus, praedicans formam Mosis, A. II, 9, 7. vocat παῖδα μορφῇ θεῖον, *puerum forma praestantissimum*, (id enim denotat θεῖος) quam *venustatem formae* paullo ante ita expressit, vt Mosi εὐμορφίαν, θαυμαστὸν κάλλος et ἀνάστημα tribueret: et III, 1, 4. Moses dicitur ὀραθῆναι κεχαρισμένος, *adspectu formosissimus*. Neque aliter Philo de hac Mosis forma, in Lib. *de Congress. quaerendae Erud. causa*, p. 443. ἰδόντες δὲ αὐτὸ ΑΣΤΕΙΟΝ ὄν, *cum viderent, hunc infantem esse formosissimum*, non addito τῷ Θεῷ. *de Vita Mosis*, p. 604. de eodem, γεννηθεὶς ἂν ὁ παῖς εὐθὺς ὄψιν ἐνέφηνεν ἀστειοτέραν, ἢ κατ' ἰδιώτην· et p. 605. vocat eum εὐγενῆ καὶ ἀστεῖον ὀφθῆναι. En tibi veram interpretationem verborum Lucae, ἀστεῖος τῷ Θεῷ! In afferendis autem exemplis paullo luxuriosiores fuimus, vt iuuenes harum literarum studiosos cautione aliqua praemuniremus, ne hoc interpretandi errore (qui etiamnum libros quorundam hominum doctorum, v. c. BLACKWALLI, insidet) decipi se patiantur.

V. 22. Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων) *Sapientia Aegyptiorum cernebatur inprimis cum in somniorum interpretatione* (v. supra ad v. 9.) *et rerum naturalium, tum prodigiorum effectione.* Illustris in hanc rem est Iosephi locus, A. II, 13, 3. vbi Rex dicitur iussisse sacerdotes idem prodigium ostentare, quod Moses, proiecta virga in draconem mutata, ediderat: κελεύει τοὺς ἱερεῖς τὰς αὐτὰς ὄψεις αὐτῷ παρασχεῖν ὁρᾶν, ὡς Αἰγυπτίων ΣΟΦΩΝ ὄντων καὶ τὴν περὶ τούτων ἐπιστήμην. *Iubet rex sacerdotes suos eadem ostentare prodigia, quia Aegyptii et harum rerum scientiam tenent:* et postea, hoc prodigio a sacerdotibus ostentato, Moses ipse Regem ita alloquitur: Οὐδ' αὐτός, ὦ βασιλεῦ, τῆς Αἰγυπτίων ΣΟΦΙΑΣ καταφρονῶ, *ne ipse quidem, o Rex, Aegyptiorum SAPIEN-*

TIAM despicio: vbi eadem τῆς σοφίας notio. Iuuat addere locum Iustini Lib. XXXVI. c. 2. vbi, de Iosepho loquens, dilucide docet, quae Aegyptiorum fuerit sapientia: *Et prodigiorum sagacissimus erat, et somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque diuini iuris humanique ei incognitum ei videbatur: adeo, vt sterilitatem ante multos annos prouiderit* etc.

Δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις) B. WOLFIVS ad Luc. XXIV. 19. δυνατὸν λόγοις interpretatur *disertum*; malim *eloquentem*; quae vox, teste Cicerone, Or. I, 21. maiorem dicendi vim indicat, quam *disertus*. Scilicet δυνατὸς ἐν λόγῳ, qui alias δυνατὸς s. δεινὸς λέγειν dicitur (v. KVSTERVS ad Aristophanis Nub. in Argum.) est *vi persuadendi pollens, qui oratione auditorum animos flectere, tenere, et prope modum cogere potest.* Ob hanc dicendi vim Moses Iosepho A. III, 1, 4. πλήθει ὁμιλεῖν πιθανώτατος, *summa vi populo persuadendi pollens*, dicitur. Neque vero difficile est, haec cum illis Mosis verbis conciliare, quibus se ipse *lingua balbutiente* esse fatetur. Quasdam conciliandi rationes ex MORO attulit WOLFIVS, quarum prima vnice vera; caeterae omnes nimis longe petitae et contortae. Natura Moses erat lingua balbutiente, neque adeo vlla dicendi vi praeditus; postea quam vero Deus ei dicendi vim largitus erat, tum vero factus est πλήθεσιν ὁμιλεῖν πιθανώτατος, *facultate animos populi flectendi praeditus.* In quam rem egregius est Iosephi locus, II, 12, 2. vbi Moses, recusaturus iniunctum a Deo munus, Israëlitas ex Aegypto educendi, Deum ita alloquitur: Πῶς ἂν ἰδιώτης ἀνὴρ καὶ μηδεμιᾶς ἰσχύος εὐπορῶν ἢ πείσω λόγοις τὰς οἰκείας -- κἂν ἐκεῖνοι πεισθῶσι, πῶς ἂν βιασαίμην Φαραώθην ἐπιτρέψαι τὴν ἔξοδον τούτοις, ---- Ὁ δὲ Θεὸς αὐτῷ περὶ πάντων συνεβούλευε θαῤῥεῖν. ὑπισχνούμενος αὐτῷ παρέσεσθαι, καὶ ἐὰν δέῃ μὲν ΛΟΓΩΝ, ΠΕΙΘΩ παρέξειν, ἐὰν δὲ ἔργων, ἰσχὺν χορηγήσειν. *Quomodo ego, nulla eloquentia, persuadendique vi pollens* (ita enim ibi ἰδιώτης reddendum) *et nullis viribus armatus, vel meis persuadere potero, -- vel, etsi illi*

li persuaderi sibi patiantur, quomodo Pharaonem cogam, vt illis exitum concedat? Deus autem iussit illum securum esse de toto hoc negotio, se illi nunquam non adfuturum pollicitus, et siue verbis opus fuerit, VIM PERSVADENDI illi largiturum, siue operibus, virium satis additurum. Inde illa δεινότης λόγων Mosis. Quod autem Moses a Stephano dicitur δυνατὸς ἐν ἔργοις, id cum Sacra Scriptura abunde confirmat, tum quod Iosephus, haud dubie traditione historica acceptum, narrat: cuius locum, in hanc rem plane egregium, sed paullo longiorem, apud ipsum legi velim. Ant. II, 10, 2. Praeclarum quoque est Diodori Siculi in Eclog. p. 921 hoc de Mose testimonium: *Μωσῆς Φρονήσει δὲ πολλῇ, καὶ ἀνδρείᾳ πλεῖστον διαφέρων· Moses et prudentia, et fortitudine praestantissimus.*

v. 31. Προσερχομένου δὲ αὐτοῦ κατανοῆσαι) κατανοεῖν h. l. est, quod Latinis dicitur, *contra intueri, accurate aliquid oculis perspicere.* Sic fere LXX. Seniores, qui v. c. לִרְאוֹת Exod. III. 4. hac voce expresserunt. Neque tamen is vocis significatus LXX. Senioribus ita proprius est, quin apud alios quoque inueniatur. Iosephus A. V, 1, 2. de speculatoribus Ierichunta vrbem oculis perlustrantibus, ἅπασαν ἐπ᾽ ἀδείας τὴν πόλιν ΚΑΤΕΝΟΗΣΑΝ, *Vrbem sine metu propius intuiti sunt.* A. VIII, 5, 3, ἃς πόλεις ἐπελθὼν καὶ ΚΑΤΑΝΟΗΣΑΣ Εἴραμος, *quas vrbes cum Hiramus adiisset, oculisque perlustrasset.* XIV, 3, 2. τὴν Πτολεμαίου τοῦ Μενναίου χώραν ΚΑΤΕΝΟΗΣΕΝ, *Ptolomaei Mennaei regionem considerauit.* XIX, 1, 14. παῖδας, οἳ ἤκεσαν ἐκ τῆς Ἀσίας, ΚΑΤΑΝΟΗΣΩΝ, *spectaturus pueros, qui ex Asia venerant.* Sic vox κατανόησις apud eundem in Vita sui ipsius p. 38, §. 75. πεμφθεὶς ὑπὸ Τίτου Καίσαρος εἰς κώμην τινα πρὸς ΚΑΤΑΝΟΗΣΙΝ εἰ τόπος ἐπιτήδειός ἐστι χάρακα δέξασθαι, *Missus a Tito Caesare in quendam vicum, considerandi causa, an locus castris metandis esset aptus.*

v. 24. Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς). Viri docti, et inter eos WOLFIVS, in voce ἔστρεψε subintelligi volunt ἑαυτόν: sed

 ego

ego malim γνώμην, vti diserte est apud Iosephum A. VI, 7, 5. τȣ̃ μεταβάλλεσθαι καὶ ΣΤΡΕΦΕΙΝ ΤΗΝ ΓΝΩΜΗΝ ἀνθρωπίνȣ πάθȣς ὄντες· *cum sit humanae fragilitatis, sententiam mutare:* pro στρέφειν est μεταβάλλειν, sensu eodem, apud eundem XVIII, 5, 3. πεισθεὶς ΜΕΤΕΒΑΛΛΕ τῆς γνώμης τὸ ἐπὶ τοιȣ́τοις προβȣλεῦσαι, *exoratus mutauit sententiam, quam sibi de huiusmodi rebus proposuit.* Neque negari potest, actiua verba saepe passiue sumi, vt ἔστρεψε positum esse possit pro ἐστράφη, *Deus erga Israëlitas mutatus est*, h. e. benignam voluntatem, Israëlitis beneficia conferendi, mutauit. Sic apud Iosephum A. I, 6, 2. ΜΕΤΕΒΑΛΕ, ὃ νῦν ἐστιν αὐτῇ ὄνομα: vbi non est cum *Casaubono* existimandum, μετέβαλε positum esse pro μετέλαβε, sed reddendum: *quod ei nunc nomen est, id mutatum est*, τῷ μετέβαλε pro μετεβλήθη posito. Sic A. II, 13, 3. vbi Moses virgam in terram demissam ἐκέλευσεν εἰς ὄφιν ΜΕΤΑΒΑΛΕΙΝ, *iussit MVTARI in colubrum.* A. III, 1, 5. οἱ δ' ὡς ἑώρων καὶ ταῖς ἐπαγγελίαις ταῖς παρὰ τȣ̃ Θεȣ̃ γεγηθότα, ΜΕΤΕΒΑΛΟΝ ἐκ τῆς κατηφείας ἐπὶ τὸ ἱλαρώτερον. *Illi vero, vt Mosen conspexerunt ex Dei promissionibus gaudio suffusum, ex moerore ad laetitiam conuersi sunt.* Add. X, 2, 2. Siue igitur τὸ ἔστρεψε Passiue pro ἐστράφη sumas, siue τὴν γνώμην subintelligas, sensus idem erit. Humanitus autem errat SCHOETTGENIVS in Lex. N. T. p. 592. qui ἔστρεψε h. l. interpretatur *peruertit*.

v. 43. Τȣ̀ς τύπȣς, ȣ̀ς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς) τύποι hic sunt *simulacra Deorum*, vt apud Iosephum A. I, 19, 11. illa simulacra Deorum, quae Rachel patri suo Labano eripuerat, τύποι vocantur. LXX. Senioribus dicuntur τὰ εἴδωλα: Aquilae μορφώματα, Symmacho θεραφείμ. Apud eundem XV, 9, 5. ἀγάλματα καὶ τύποι μεταμορφȣ́μενοι, *Statuae et simulacra*, coniunguntur.

v. 45. Ἣν καὶ εἰσήγαγον διαδεξάμενοι οἱ πατέρες) Infeliciter sane HOMBERGIVS, eiusque sequaces, qui διαδεξάμενοι *Successores* reddunt, quia scilicet in Nouellis διαδέχομαι *succedo* significat. Egregiam vero rationem! Scilicet

cet ex Nouellis graecae vocis significatus obscurior et insolentior est confirmandus! Si HOMBERGIVS hunc Diodori Siculi locum Lib. I. p. 57. Συμφωνεῖται δὲ παρὰ πᾶσιν, ὅτι ζηλώσας ὁ ΔΙΑΔΕΞΑΜΕΝΟΣ τὴν τοῦ βασιλεύσαντος προαίρεσιν. *Hoc sane omnium consensu affirmatur, quod SVCCESSOR, prioris regis institutum aemulatus*, hunc igitur locum si laudasset, forte aliquid dixisset. Sed equidem ne hoc quidem loco vti velim ita, vt eo, διαδεξάμενον *Successorem* significare, probem, cum nihil probet. Scilicet, vt hoc in tironum gratiam dicamus, vox διαδέχεσθαι significat illa quidem *succedere*, non autem per se, et genuina significatione, sed tum demum, cum Accusatiuus vel rei, vel personae, cui succedimus, aut diserte adiectus est, (quod tantum non semper fit) aut paullo ante praecessit, atque adeo mente supplendus est; vt in hoc Diodori loco Accusatiuus βασιλείαν praecessit, in τῷ διαδεξάμενος igitur ἀπὸ κοινοῦ repetendus. Nunquam autem διαδέχομαι, nude, et sine Accusatiuo illo positum, ut h. l. est, *succedo* significat. Si temere hoc cuiquam dixisse videar, is, si tanti videtur, e multis locis, ad quae in veterum lectione curiose attendi, consulat vel haec Iosephi, A. VIII, 5, 7. 8. XX, 2. 9. et inueniet, verum esse, quod dicebamus. Non igitur haec HOMBERGII interpretatio linguae rationi conueniens est: sed aeque minus probanda est WOLFII sententia qui διαδεξάμενοι h. l. idem esse putat, quod μετὰ ταῦτα, *postea, deinceps*, vt adeo Participium obtineat vicem Aduerbii, quod interdum fieri dicit. Miror sane, Virum hunc, graece doctissimum, de hac interpretatione cogitare potuisse, quae, vt leuissime dicam, a vero quam maxime abhorret. Contra omnem Graecae linguae vsum is est participii significatus. Quis enim Graecus dicat, v. c. ἣν πόλιν διαδεξάμενοι κατέστρεψαν, *quam vrbem POSTEA euerterunt?* Nec eam sententiam quicquam iuuat, quod Participium τελευτῶν et pauca alia, (de quibus videndus Cl. HOOGEVEEN ad Viger. de Idiotis. p. 271. et 279.) vice Aduerbii fungutur. Nam quod in

vno, et item altero verbo obtinet, id non transferendum ad omnia: cum in his rebus non videndum sit, quid Analogia fere possit, sed quid vsus loquendi, qui fere dominatur, concedat. Alterum exemplum, Actor. XIII. 46. παῤῥησιασάμενοι, a WOLFIO in eandem rem laudatum, est ἀπροσδιόνυσον. Verba igitur Lucae ita mihi videntur reddenda; *Quod Tabernaculum patres vestri, qui id, quasi per manus traditum, a maioribus acceperant, attulerunt.* Dicendum fuisset, διαδεξάμενοι αὐτήν: Sed cum ista Accusatiui repetitio maxime ingrata fuisset, recte neglecta est. Sic apud Iosephum A. XX, 10, 1. τὸ πρῶτον ἕως τῆς τοῦ βίου τελευτῆς τὰς ἀρχιερωσύνας εἶχον, ὕστερον δὲ, καὶ παρὰ ζώντων ΔΙΕΔΕΧΟΝΤΟ, sc. τὰς ἀρχιερωσύνας, quod, cum paullo ante praecesserit, maxime ingratum fuisset repetere.

v. 53. Οἵτινες ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων) Locus sane difficilis, neque facile ita expediendus, quin difficultatis aliquid supersit. Praestantissimus WOLFIVS recensuit, more suo, diligentissime varias eruditorum sententias, ita, vt, quae eius est modestia, non decerneret, quam sententiam reliquis praeferendam putaret. Neque vero hic solum, sed etiam ad Galat. III. 19. in eadem re fluctuare videtur. Ego quidem, hoc loco accurate considerato, et cum aliis parallelis collato, rationibusque subductis, summam cogitationum mearum feci hanc, vt putarem, sensum huius loci esse hunc: *qui accepistis Legem INTER ORDINES Angelorum:* Eique opinioni et alia S. S. loca, et consensus Philonis favet. Nam Galat. III. 19. disertis verbis dicitur: νόμος διαταγεὶς ΔΙ' ΑΓΓΕΛΩΝ· *Lex lata, constituta et promulgata PRAESENTIBVS ANGELIS;* non vt Elsnerus et alii, *PER ANGELOS.* Nam vox διατάσσειν Deo, tanquam legum latori, non Angelis, conuenit. Est enim διατάσσειν proprium verbum legislatorum. Hoc sensu est apud Philon. *de Mundi Opif.* sub initium, τῶν ἄλλων νομοθετῶν, οἱ - - δίκαια ΔΙΕΤΑΞΑΝΤΟ: vnde δια-

διατάγματα, *legis diuinae praecepta*, apud eundem *de Decalogo* p. 746. vbi νόμοι et διατάγματα coniunguntur: et in Libro *de Legibus special.* p. 769. διατεταγμένα sunt *Leges diuinae.* Sic apud Iosephum A. V. 1. de Deo vsurpatur, *de institutione cultus diuini, et ordinatione Reipubl. Hebraeorum.* Non commode igitur, meo quidem iudicio, dici poteſt, νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, eo ſenſu, vt Angeli dediſſe dicantur, ſed eo, *lex data, promulgata eſt PRAESENTIBVS ANGELIS*, vt δι' ἀγγέλων. et εἰς διαταγὰς τῶν ἀγγέλων, vnum idemque ſit. Elegans hic eſt τῦ διὰ cum Genitiuo vſus: Sic v. c. II. Tim. II. 2. ἃ ἤκυσας παρ' ἐμῦ ΔΙΑ ΠΟΛΛΩΝ μαρτύρων, *praeſentibus multis teſtibus.* Hanc interpretationem huius Actor. loci, qua ſtatuitur, Deum non alterius miniſterio, ſed ſua ipſius voce, Legem promulgaſſe, tantum non efflagitat ſacrarum literarum auctoritas. Nam Exodi XXI. v. 1. 19. 22. diſertis verbis traditur, Deum ipſum Legem promulgaſſe, et Moſen eſſe allocutum. Et quo minus illa verba, *et dixit Deus*, ita intelligamus, vt dicamus, Deum, vtpote auctorem Legis, aeque dici poſſe locutum eſſe, etiamſi miniſterio Angelorum vſus ſit, ac ſi ipſe Legem promulgarit, impedit Philonis in hac re auctoritas, qui de Legis diuinae promulgatione tam dilucide et diſerte exponit, vt non aliorum, ſed ipſius Dei voce promulgatam eſſe intelligamus. Is igitur in Lib. *de Decalogo* p. 746. τῶν νόμων, ὓς ΑΥΤΟΣ ὁ Θεὸς, ὓ προσχρησάμενος ἄλλῳ, ΔΙ' ΑΥΤΟΥ ΜΟΝΟΥ - προφήτυ Μωϋσέως - - ἱεροφαντεῖν εἵλετο. *Quasdam leges Deus ipſe prodidit vocis ſuae oraculo, abſque ullius interpretis miniſterio, quasdam per Moſen promulgari voluit:* et mox, τὺς μὲν ὖν ΑΥΤΟΠΡΟΣΩΠΩΣ θεσπισθέντας ΔΙ' ΑΥΤΟΥ ΜΟΝΟΥ - - τὺς δὲ ΔΙΑ ΤΟΥ ΠΡΟΦΗΤΟΥ, *quasdam igitur ore ſuo promulgauit, - - quasdam autem per Moſen:* et p. 748. Συνυφαίνειν δὲ ἀναγκαῖον τὰ ἀκόλυθα τὺς δέκα λόγυς, ἢ χρησμὺς, ἢ νόμυς καὶ θεσμὺς πρὸς ἀλήθειαν ὄντας, ὓς - - ὁ πατὴρ τῶν ὅλων ἐθέσπισεν: *Su-*



pereſt, vt attexamus DECEM ILLA PRAECEPTA, ſiue Leges, ſeu verius oracula - - quae Deus promulgauit: Cuius vocis miniſterio in ea re uſus ſit, alio loco docet, p. 768. τοσαῦτα καὶ περὶ τῆς δευτέρας πεντάδος ἀποχρώντως λέλεκται πρὸς ἐκπλήρωσιν τῶν δέκα λόγων, ἅπερ (f. ὥσπερ) ἱεροπρεπῶς ἔχρησεν ΑΥΤΟΣ ὁ Θεός. *Haec de poſterioris tabulae quinario dixiſſe ſat erit, ad explendum Decalogum, ſacroſancto Dei proditum ore.* Quae loca diſerte docent, non alterius cuiusdam, ſed ipſius Dei voce Legem fuiſſe promulgatam. Sed intelligo, in hac interpretatione reprehendi poſſe hoc, quod vocem διαταγὰς per *ordines* interpretatus ſum, quo ſenſu eam vſpiam oc. urrere, Viri docti negant. Neque ego nego, me apud nullum, neque ſacrum, neque profanum Scriptorem eam vocem ita deprehendiſſe; nihilo tamen minus per *ordines* h. l. eam reddendam puto. Nam cum haec vox ſit ex iis, quae non niſi rariſſime occurrunt, ſignificatumque adeo habeant paullo obſcuriorem; eius notio ex ipſius loci, et rei, de qua agitur, natura et indole eruenda conſtituendaque eſt. Iam cum hic Actorum locus, cuius ſenſus in dubitationem diſceptationemque venit, ex illo Galat. III. 19. tanquam clariori, et dilucidiori, ſit illuſtrandus, ibi autem δι' ἀγγέλων idem ſit, quod hic εἰς διαταγὰς ἀγγέλων; facile intelligitur, εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, nihil aliud denotare, quam *inter ordines Angelorum*, ſ. *praeſentibus Angelis*, ita vt ſimul miniſterium eorum, v. c. quod tonitrua, flammas, procellas excitarint, Tabulas Legis Moſi tradiderint, teſtes denique huius ſolemnitatis fuerint, indicetur. Sed, ne quid celem, huic interpretationi obſtare videtur inſignis quidam Ioſephi locus, qui docere videtur, Legem per Angelos eſſe promulgatam. En tibi illius verba! A. XV, 5, 3. ἡμῶν τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων, καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις ΔΙ' ΑΓΓΕΛΩΝ παρὰ τοῦ Θεοῦ μαθόντων, *et nos Iudaei honeſtiſſima ſanctiſſimaque legis praecepta per Angelos a Deo accepimus.* Sed ſi quis locum curatius conſiderauerit, intelliget, eum non

non de Lege in monte Sina promulgata, sed de aliis institutis praeceptisque diuinis, quae Deus Iudaeis per Prophetas (hi enim sunt h. l. Ἄγγελοι) dedit. Nihil igitur hic Iosephi locus interpretationem ELSNERI iuuat, vt putat WOLFIVS ad Galat. III. 19. Ipse etiam Iosephus alibi tradit, Legem ipsius Dei voce esse promulgatam: A. III, 5, 3. Moses, ex monte Sinaeo reuersus, dicit: τῷ Θεῷ εἰς ὄψιν ἐλθὼν, ἀκροατὴς ἀφθάρτου φωνῆς ἐγενόμην· *ego cum Deo coram collocutus, immortalem vocem eius audiui:* et mox §. 4. προσάγει τὸν λαὸν, γυναιξὶν ὁμοῦ καὶ τέκνοις, ὡς ἀκούσαιεν τοῦ Θεοῦ διαλεγομένου πρὸς αὐτοὺς περὶ τῶν πρακτέων, *Adduxit populum cum liberis et coniugibus, vt Deum ad eos loquentem et docentem, quid sit agendum, audiant:* et paucis interiectis, καὶ τὸ μὲν πλῆθος ἀκροασάμενον ΑΥΤΟΥ ΘΕΟΥ περὶ ὧν Μωϋσῆς διελέχθη, *haec vbi concio ex IPSO DEO, sicut Moses praedixerat, audiuit.* Nihil igitur difficultatis haec interpretatio prae illa habet, quam cum multi alii, tum inprimis ELSNERVS, adoptauit, ornandamque sibi sumsit: de qua alio et tempore et opere commodius et accuratius.

CAPVT VIII.

V. 6. Προσεῖχόν τε οἱ ὄχλοι τοῖς λεγομένοις) Notat hic WOLFIVS, docuisse FRANZIVM, τὸ προσέχειν h. l. non solum esse *attendere*, sed etiam *facere iussa*, eumque significatum aliquot Polybii exemplis confirmasse. Sed in eo aliquid humani passus est praestantissimus WOLFIVS, cum ne vestigium quidem loci cuiusdam Polybiani apud FRANZIVM deprehendas. Haud dubie voluit laudare RAPHELIVM in Notis Polybian. p. 323. qui, etsi non in omnibus Franzianae sententiae subscribit, concedit tamen, hanc esse huius vocis h. l. emphasin, duobus in eam rem Polybii locis adductis. Sed ea loca mihi non videntur efficere, quod deberent; et dubito sane, an προσέχειν τινὶ, pro *alicuius iussa facere*, apud quemquam Scripto-

rem

rem inueniatur. Mihi quidem προσέχειν τινι esse videtur, *fidem habere alicui, eiusque dictis assensum praebere*: quae notio et huic loco optime conuenit, et optimi cuiusque Scriptoris auctoritate confirmatur. Iuuat nunc ex vno Iosepho aliquot exempla afferre. A. VIII, 9, 1. Ταῦτα δ' ἐγίνετο, οἶμαι, κατὰ τὴν τῦ Θεῦ βύλησιν, ὅπως μὴ ΠΡΟΣΕΧΟΙ τοῖς τῦ Ἰαδῶνος ΛΟΓΟΙΣ Ἱεροβόαμος, *Haec autem contigisse arbitror, Deo ita volente, ne Hieroboamus dictis Iadonis fidem haberet.* Et 10, 4. διὰ τὸ μὴ ΠΡΟΣΕΧΕΙΝ τοῖς πατρῴοις φίλοις τὴν ἀρχὴν ἀπολέσας: *quia patris amicorum consiliis fidem non habuit, non obsecutus est, imperii magnam partem amisit.* 15, 4. Σεδεκίας δέ τις — προσελθὼν, τῷ Μιχαίᾳ μὴ ΠΡΟΣΕΧΕΙΝ παρῄνει· *Sedecias, vnus e falsis Prophetis, ad regem accessit, et hortabatur, ne Michaeae dictis fidem assensumque praeberet.* Add. XI, 6, 12. XII, 10, 2. XIII, 11, 1. Sic πιστεύειν et προσέχειν tanquam synonyma iunguntur, B. I. VI, 5, 3. Contra ea μὴ προσέχειν et ἀπιστεῖν, vt eiusdem significatus voces, apud eundem coniunctae inueniuntur, Lib. I. contra Apion. §. I. Sensus igitur huius loci est: *omnis populus verbis Philippi fidem habebant, assensumque doctrinae Christianae annunciatae praebebant, eique credebant*: commoti tot tantisque miraculis partim auditis, partim visis, quibus religionis Christianae veritas stabilitur: ita enim reddendum, ἐν τῷ ἀκύειν, *quoniam audiebant*, τῷ ἐν pro διὰ sumpto, vt cap. VII. 29. ἐν τῷ λόγῳ τύτῳ ἔφυγε Μωσῆς, *propter eum sermonem.*

v. 9. Ἀνὴρ δέ τις ὀνόματι Σίμων etc. Forte hic Simon Magus ille ipse est, cuius Iosephus XX, 7, 2. meminit his verbis: Φῆλιξ Σίμωνα ὀνόματι τῶν ἑαυτῦ φίλων, Ἰυδαῖον, Κύπριον δὲ γένος, ΜΑΓΟΝ εἶναι σκηπτόμενον, πέμπων· *Felix ex amicis suis Iudaeum, nomine Simonem, genere Cyprium, qui se MAGVM esse iactabat, mittens.* SAM. BASNAGIVS certe in *Exercitatt. Histor. Critic.* contra BARONIVM ad Ann. XXXV. §. XX. eundem Simonem cum hoc Lucae existimat.

v. 22

v. 22. Εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου) Ἐπίνοια h. l. in malam partem sumitur pro *dolo, malo consilio*, qua notione est apud Iosephum in sua ipsius vita §. 44. Συνεὶς τὴν τῶν γεγραφότων ΕΠΙΝΟΙΑΝ· *Cum scribentium fraudem dolumque intellexissem.* Sensus autem est: *roga Deum, VT remittatur tibi praua cordis cogitatio, s. dolus:* omnino enim εἰ ἄρα reddendum mihi videtur *VT*, non, vt vulgo, *an forte, si forte*, quod ab oratione et cohortatione Philippi plane alienum est. Nam si preces Simonis sincerae et piae fuerint; (ad has enim suscipiendas non dubium est, quin Philippus eum cohortatus sit) quis credat, peccatorum remissionem dubiam esse futuram? Recte SCHOETTGENIVS, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, in Lex. N. T. nollem, inquit, εἰ ἄρα, *an forte*, vel *si forte*, exexplicare. Nam si preces legitime fiunt, remissio peccatorum certissima sequitur. Decepit autem Viros illos optimos harum particularum vsus paullo insolentior. Sic εἴ πως, et εἰ καὶ diserte est pro *vt* ad Philipp. c. III. v. 11. 12. et aliis locis.

v. 26. Αὕτη ἐστὶν ἔρημος) Mihi non dubium est, quin de vrbe ipsa id sit capiendum. Hanc vrbem, in qua praesidium Persarum erat, Alexander M. obsedit: Testis eius rei Iosephus A. XI, 8, 3. ἐπὶ τὴν Γαζαίων πόλιν ἦλθεν, καὶ τὴν Γάζαν καὶ τὸν ἐν αὐτῇ φρούραρχον ἐπολιόρκει· *contra Gazaeorum vrbem proficiscitur, atque Gazam, et praesidiis in ea praefectum obsidet.* Neque tamen tum eam ab Alexandro fuisse dirutam, ex eodem Iosepho XIII, 5, 5. apparet, vbi Gazaei Ionathani, cum exercitu hanc vrbem ingredi conanti, aditum occlusisse, eumque non recepisse dicuntur, nisi prius excursionibus factis, et terra vastata atque incensa. Postea hanc vrbem Alexander, Iannaeus quoque dictus, obsedit, et non nisi post annuam obsidionem captam penitus diruit, teste eodem, XIII, 13, 3. Aliquot annis post, haec vrbs instaurata est cum multis aliis a Gabinio, tradente eodem auctore, Lib. XIV, 5, 3. Hanc vrbem postea ab Augusto Herodi M. donatam fuisse,

ſe, ex eodem intelligitur, XV, 7, 9. Herode M. mortuo, parteque dimidia regni illius ab Auguſto Archelao aſſignata, eius ditioni Gaza non addita, ſed Syriae adiecta eſt, eamque ob cauſam Ἑλληνὶς vocatur Ioſepho XVII, 11, 4. Haec fere ſunt, quae de hac vrbe in Ioſephii lectione obſeruauimus. Quaeritur autem, quomodo Gaza, cum a Gabinio fuerit inſtaurata, tamen ἔρημος hic dicatur? Mihi maxime arridet RELANDI ſententia, in *Palaeſtina ſacra*, exiſtimantis, reſpici hic ad munimenta et praeſidia, quibus eo tempore Gaza fuerit nudata. Caeterum haec verba παρενθέσεως ſigno includenda ſunt, cum non Angeli, ſed Lucae ſint.

CAPVT X.

V. 2. Σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ) h. e. *Cum tota familia ſua:* id enim hic οἶκος eſt. Vnus ille Xenophontis locus, a RAPHELIO in hanc rem laudatus, huc non facit, cum ibi denotet *bona, facultates.* Ea notione autem aliquoties haec vox apud Ioſephum, v. c. VIII, 4, 3. περὶ τῶν ὑπηργμένων εἰς τὴν ἡμέτερον ΟΙΚΟΝ καὶ τὸν Ἑβραίων λαὸν, εὐχαριστεῖν ἀνάγκη· *pro his, quibus familiam noſtram, atque Hebraeum populum dignatus es, gratias agere neceſſe habemus.* XI, 6, 1. ἵνα ὁ τούτων ΟΙΚΟΣ - - πρόῤῥιζος διὰ τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν ἀφανισθῇ, *vt familia eorum - - propter impietatem, funditus intereat.* Et §. 5. ὁ ΟΙΚΟΣ αὐτοῦ, καθὼς Ἠλίας προεῖπεν, ἀπόλωλε, *familia eius, ſicuti praedixerat Elias, funditus periit:* et ſic multis locis aliis.

v. 9. Ἀνέβη Πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα) Scribit ad h. l. WOLFIVS, *Vocem* δῶμα *pure graecam eſſe, adſtruximus ſupra ad Matth. X, 27.* In quo Vir praeſtantiſſimus humanitus errat. Ipſe enim l. c. concedit, hunc δώματος pro *tecto* ſignificatum ad imitationem Ebraici גג eſſe factum, et a LXX. Senioribus repetitum; neque tamen ſe dubitare dicit, quin Graeci quoque eo vti potuerint, et forte vſi ſint.

Haec

Haec sunt illius de huius vocis significatu verba; neque STEPHANVS, a WOLFIO ad h. l. laudatus, eum significatum auctoritate τῶν ἔξω confirmauit. Est sane is significatus, quo *δῶμα tectum domus* denotat, apud profanos paullo rarior, neque tamen non obuius. Iuuat nunc, pro instituti nostri ratione, vel ex vno Iosepho quaedam exempla in hanc rem afferre. A. VI, 4, 1. ὁ Σαμύηλος ἐπὶ τοῦ ΔΩΜΑΤΟΣ καθεζόμενος· *Samuelus in Solario sedens*. VII, 2, 1. παρελθόντες εἰς τὸ ΔΩΜΑΤΙΟΝ, ἐν ᾧ συνέβαινε κατακεκοιμῆσθαι τὸν Σαούλου παῖδα, κτείνουσιν αὐτόν, *ingressi in solarium, vbi Sauli filium dormiuisse contigit, eum interficiunt:* et paullo ante, παρὰ τὸ ΔΩΜΑΤΙΟΝ μόνον εὑρόντες μεσημβρίζοντα καὶ κοιμώμενον τὸν Ἰέβοσθον, *cum deprehendissent solum Iebosthum in solario meridiantem et dormientem:* Apud LXX. Seniores II. Regg. XI. v. 3. δῶμα τοῦ οἴκου dicitur, quod Iosepho, in eadem re, στέγος, seu, vt alii legunt, τέγος τῶν βασιλείων est, A. VII, 7, 1. vbi addit, moris fuisse, in eo deambulare: ἐν ᾧ περιπατεῖν κατ' ἐκεῖνο τῆς ὥρας ἦν ἔθος. Caeterum disputatiuncula Virorum doctorum ad h. l. an, et quale discrimen inter δῶμα et ὑπερῷον sit, plane supersedere poteramus. Certum enim, vtramque vocem de superiori aedium parte dici, nunc huic, nunc alii vsui destinata. Nam GREGORIVS, a WOLFIO hic laudatus, qui δῶμα ab ὑπερῴῳ eam ob caussam distinctum vult, quia Petrus dicatur ascendisse non εἰς τὸ δῶμα, sed ἐπὶ τὸ δῶμα, fallsus est: nicil enim inter vtramque loquendi formulam discriminis. Quod enim hic dicitur ἀναβῆναι ΕΠΙ τὸ δῶμα, id Iosephus A. VII, 2, 1. παρελθεῖν ΕΙΣ τὸ δωμάτιον, nulla vtriusque loquendi rationis diuersitate. Nec satis accurate idem Vir doctus in eo, quod scribit, τὸ ὑπερῷον a δώματι 2. Samuel. XI. 13. et Regg. XXIII. 12. distingui. Consule loca ipsa, et aliter iudicabis.

v. 14. Οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινὸν, ἢ ἀκάθαρτον) Notum, significatum τοῦ κοινὸς pro *impurus*, *pollutus*, scriptoribus sacris ita esse proprium, vt non facile apud vllum

τῶν

τῶν ἔξω eum ſis inuenturus. Nam PFOCHENIVS, qui in hanc rem Luciani locum ex *Peregrino* attulit, vti in multis aliis, ita et hic nihil vidit, recte eo nomine cum a GATAKERO, tum inprimis a MOS. SOLANO caſtigatus. Ad hunc aútem vocis κοινὸς ſignificatum, ſcriptoribus ſacris frequentiſſimum, quam proxime accedit is, quem apud Ioſephum obſeruaui. Ita enim A. XII, 12, 13. vbi refert, Theopompum, quod res ſacras, a Deo hominibus traditas, literarum ope diuulgare conatus ſit, triginta dies mente captum eſſe: ὁ μὴν ἀλλὰ καὶ ὄναρ εἶδεν, ὅτι τοῦτ' αὐτῷ συμβαίη περιεργαζομένῳ τὰ θεῖα, καὶ ταῦτ' ἐκφέρειν ἐπὶ ΚΟΙΝΟΥΣ ἀνθρώπους θελήσαντι· *quin etiam in ſomnio vidit, id ſibi propterea eueniſſe, quod diuina tractaſſet, et in profanum vulgus efferre voluiſſet:* Et A. XIII, 1, 1. οἱ τὸν ΚΟΙΝΟΝ βίον προῃρημένοι ſunt, *qui profanam vitae conſuetudinem ſequuntur*, et opponuntur iis, qui patriis Iudaeorum inſtitutis religioſe inhaerent. Atque etiam κοινοφαγία apud Ioſephum occurrit.

v. 20. Ἀλλὰ ἀναστὰς κατάβηθι) Ἀλλὰ WOLFIO et ELSNERO hic eſt *igitur*: quem ſignificatum, vereor vt vnquam habeat; in adductis certe in eam rem locis eum non obtinet: mihi potius reddendum videtur, *agedum:* habet enim haec particula vim adhortandi, Imperatiuo inprimis iuncta. Sic apud Ioſephum A. V, 8, 6. ΑΛΛΑ, προβαλόντος ἐμοῦ λόγον, εἰ λύσετε τοῦτον - - σινδόνας τε καὶ στολὰς φέρεσθε παρ' ἐμοῦ· *Agedum, ſi fabulam, quam vobis proponam, ſolueritis - - - lintea et veſtes a me accipietis.* Sed hic ſignificatus τοῦ ἀλλὰ dudum obſeruatus eſt VIGERO de Idiotiſ. Gr. L. p. 346. Ed. HOOGEVEENII.

v. 25. Ὑμεῖς ἐπίστασθε ὅτι ἀθέμιτόν ἐστιν - - - προσέρχεσθαι) Ἀλλόφυλοι apud Ioſephum duplici ſenſu occurrunt: primo ἀλλόφυλοι, et quidem κατ' ἐξοχὴν, dicuntur *Palaeſtini ſ. Philiſtaei*, ita, vt non ſolum a Iudaeis, ſed ab omnibus aliis etiam, qui neque ortu ſunt, neque religio-

ligione Iudaei, distinguantur. Sic occurrit haec vox IX, 5, 3. Μετ' ὀ πολὺ δὲ στρατὸς Ἀράβων, τῶν ἔγγιστα τῆς Αἰθιοπίας κατοικούντων, καὶ τῶν ΑΛΛΟΦΥΛΩΝ, εἰς τὴν Ἰωράμου βασιλείαν ἐνέβαλε· *At non multo post exercitus Arabum, proxime Aethiopiam incolentium, atque PALAESTINORVM, fecerunt impressionem in Iorami regnum:* vbi Philistaei diserte ab Arabibus, qui ipsi quoque certo sensu erant ἀλλόφυλοι, distinguuntur. Deinde ἀλλόφυλοι in vniuersum omnes dicuntur, qui neque ortu, neque religione Iudaei sunt, iidem, qui alias ξένοι, ἀλλότριοι vocantur: hac notione apud eundem est, Lib. eodem C. VI. §. 6. vbi Iehus, cum Ionadabo suo in Templum ingressus, dicitur edixisse, μή τις ἐν αὐτοῖς ΑΛΛΟΦΥΛΟΣ εἴη καὶ ξένος, ἐρευνῆσαι προσέταξεν· οὐ βούλεσθαι γὰρ τοῖς ἱεροῖς αὐτῶν ἀλλότριον παρατυγχάνειν· *vt diligenter quaererent, ne quis sit ibi cum ipsis ALIENIGENA aut peregrinus. Nolle enim se, alienum sacris interesse:* vbi ἀλλοφύλοις ξένοι et ἀλλότριοι vt synonyma iunguntur. Neque alio sensu ea vox hic capienda, quam vt ἀλλόφυλος intelligatur quicunque Gentilis, neque religione Iudaeus.

v. 38 Ὁ Θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ) Hanc loquendi rationem ad C. VII. v. 9. Hebraeis ita propriam esse monebamus, vt apud Graecos tamen, ad hos ab illis profecta, inveniatur. Exemplis supra allatis haec ex eodem Iosepho addere licet, A. VI, 9, 3. et 11, 8. Caeterum magna vis et emphasis est Vocis καταδυναστευομένους. Nam καταδυναστευόμενοι dicuntur, *qui oppressi sub iugo crudelissimae servitutis ingemiscunt.* Apud Iosephum XII, 2, 3. in Edicto Ptolemaei de Iudaeis, inique in seruitutem redactis, durissimeque habitis, inter caetera haec sunt: Τὸ δίκαιον σκοπῶν, καὶ τοὺς ΚΑΤΑΔΥΝΑΣΤΕΥΟΜΕΝΟΥΣ παρὰ τὸ προσῆκον ἐλεῶν, ἀπολύειν κελεύω. *Iustitiae rationem habens, et eorum misericordiam capiens, qui inique oppressi captiui tenentur, eos iubeo dimittere.*

O CAPVT

CAPVT XI.

V. 4. Ἀρξάμενος δὲ ὁ Πέτρος ἐξετίθετο) *ἐκτίθεσθαι* in N. T. ſaepe eſt *narrare*, *exponere*, *explicare:* Sic v. c. infra C. XVIII. 26. XXVIII, 23. Hunc ſignificationem accepit ad imitationem Ebraici גִּלָּה, v. c. Iobi XXXVI. 15. *κρίμα δὲ πραέων ἐκθήσει*, vbi in Ebraeo eſt גִּלָּה. Eſt tamen hoc ſenſu quoque apud Ioſephum A. I, 12, 2. *περὶ δὲ τὸν πάντα λόγον* ΕΚΘΗΣΟΜΑΙ *μετὰ πολλῆς ἀκριβείας*, *de quo omnem rem explicabo multa cum diligentia.*

v. 23. Τῇ *προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ κυρίῳ*) *πρόθεσις τῆς καρδίας* h. l. eſt firmus et conſtans animus; quo ſenſu quoque occurrit 2. Timoth. III. 10. Nam quae loca WOLFIVS ex profanis hic laudauit, ſunt *ἀπροσδιόνυσα*: Senſus eſt: *Adhortatus eos eſt, vt firmo et conſtanti animo religioni Chriſtianae, quam amplexi erant, adhaererent:* haec enim *τοῦ προσμένειν* notio eſt. Ioſephus A. XIV, 2, 1. *μόνων τῶν ἱερέων* Ἀριστοβούλῳ ΠΡΟΣΜΕΝΟΝΤΩΝ, *cum ſoli ſacerdotes Ariſtobulo fide conſtanti adhaererent.*

v. 28. *Λιμὸν μέγαν μέλλειν ἔσεσθαι ἐφ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην*) Conſtat, auctoribus *Dione Caſſio* Lib. LX. (non, vt WOLFIVS ad h. l. LXV.) *Suetonio* in Claudio c. 28. et *Tacito* Annal. XII. 43. ſub Claudio non ſemel, ſed aliquoties, nec in Iudaea ſolum, ſed Romae etiam, famem eſſe graſſatam; ſcilicet *primo* fames Romam afflixit primo et ſecundo Imperii Claudii anno, vt auctor eſt *Dio Caſſius* l. c. Haec temporis iniquitas, annonaeque difficultas effecit, vt Claudius, quo commodius alimentorum copiae proſpiceret, portum Oſtiae exſtrueret, *opus aegre poſt vndecim annos abſolutum, quamuis continuis triginta hominum millibus ſine intermiſſione operantibus*, auctore *Suetonio* in Claudio C. 20. *ſecunda* fames incidit in annum quartum Imperii Claudii, et per plures annos durauit, vt cum ex multis aliis auctoribus, tum Ioſepho conſtat, qui XX, 5, 2. vbi dixit, Cuſpio Fado procuratori ſucceſſiſſe Tiberium Alexan-

andrum, subiungit haec: ἐπὶ τούτοις δὴ καὶ τὸν μέγαν λιμὸν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν συνέβη γενέσθαι. *Horum procuratorum temporibus euenit, vt magna fames Iudaeam affligeret;* ex quibus constat, hanc famem plures annos durasse, quae sub duobus his procuratoribus saeuierit. Quod aliis quoque temporum rationibus docet PAGIVS in Critica Baroniana, Opere praestantissimo, T. I. p. 38. *Tertio*; Eusebius in Chronico iuxta Editionem SCALIGERI, anno Abrahami, qui Calendis Octobr. anni Christi XLVIII. incipit, dicit: *Fames facta in Graecia, modius sex drachmis venundatus est.* Porro, anno Claudii decimo, Eusebius scribit, *magnam fuisse Romae famem:* de quo fusius Orosius Lib. VII. qui diserte tradit, eam decimo anno Claudii grassatam esse. Denique Tacitus Lib. XII. 43. Claudio quarto et Orfito Coss. anno nempe Claudii vndecimo, ait: *Frugum quoque egestas, et orta ex ea fames, in prodigium accipiebatur.* Consulendus omnino in hanc rem, praeter caeteros, a WOLFIO hic laudatos, PAGIVS in illo stupendae eruditionis Opere, Critica Baron. T. I. ad Ann. Christ. XLII. §. 7. Iam quaeritur, ad quem Claudii annum illa fames, ab Agabo praedicta, pertineat? Nempe ad annum quartum, quo fames exorta est, et anno sexto, quo Helena Hierosolymam venit, adhuc durauit. De hoc Helenae Hierosolymas aduentu, eiusque in Iudaeos Hierosolymitanos, inopia victus laborantes, benignitate, Iosephus A. XX, 2, 6, vbi vide. Hoc autem factum esse sexto Imperii Claudii anno, luculentissimis temporis rationibus docet PAGIVS Critic. Baron. T. I. ad Ann. Christi XLVI. Caeterum et hoc disceptandum est, quid per ὅλην οἰκουμένην hic sit intelligendum. Et WOLFIO quidem cum aliis animus inclinat eo, vt putent, per ὅλην οἰκουμένην *totum Imperium Romanum*, aut certe *magnam eius partem*, esse intelligendam: quorum prius concedi nequit, posterius autem quodam modo admitti potest. De *toto Imperio Romano* intelligi nequit, cum vel ex antea adducto loco Iosephi appareat, tunc temporis in Aegypto fuisse summam

O 2 fru-

frugnm ubertatem, eaque fubleuatam Hierofolymitanorum inopiam. Itaque ἡ ὅλη οἰκουμένη h. l. aut *de magna Romani Imperii parte* intelligenda eft, aut, quod mihi propius verum videtur, *de terra Iudaica*, cum v. 29. difcipuli Antiochiae habitantes (ibi igitur fames non faeuiit) dicantur pecuniam mififfe Chriftianis in Iudaea degentibus. Vocem autem οἰκουμένης fpeciatim de *Iudaea* interdum fumi, fupra ad Luc. II. 1. auctore Iofepho oftendimus; Confirmat hanc fententiam egregius Iofephi locus, qui, nefcio an a quoquam in hanc rem fit laudatus, A. III, 15, 3. τοῦδε τοῦ πολέμου μικρὸν ἔμπροσθεν, Κλαυδίου Ῥωμαίων ἄρχοντος, Ἰσμαήλου δὲ παρ' ἡμῖν ἀρχιερέως ὄντος, καὶ λιμοῦ τὴν ΧΩΡΑΝ ΗΜΩΝ καταλαβόντος· *Nuper etiam, non longe ante Iudaicum bellum, principatu Claudii, pontificatum apud nos obtinente Ifmaële, cum tam grauis fames* *REGIONEM NOSTRAM* (Iudaeam) *premeret* etc. adeo vt fame ab Agabo praedicta, terra Iudaica tantum, praecipue certe, afflicta fuiffe vidtatur.

CAPVT XII.

V. 1. Ἐπέβαλεν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς τὰς χεῖρας) Ne tirones in hoc Herode cognofcendo, et ab aliis eiufdem nominis difcernendo errent (quod Viris etiam doctis accidiffe obferuauimus) teneant, non effe h. l. neque eum Herodem intelligendum, cuius Matth. II. 1. mentio fiat, qui ipfe quoque Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς dictus, neque illum, qui Matthaeo XIV, 1. Ἡρώδης ὁ τετράρχης vocatur, fed hunc Herodem, quo hoc loco vtimur, effe eum, qui apud fcriptores profanos vulgo *Agrippa*, et quidem *Maior*, dicitur. Lucas autem eum vocat *Herodem*, quoniam, qui ex familia Herodis M. erant, communi nomine *Herodes* appellabantur. Hic *Herodes* f. *Agrippa* fuit nepos illius *Herodis*, cognomine *Magni*, filius autem *Ariftobuli*, quem Herodes M. interfici iuffit, et patruus *Philippi Tetrarchae*. Philo *in Flacc*. p. 967. Γάϊος Καῖσαρ Ἀγρίππα, τῷ Ἡρώδου

δὲ βασιλέως υἱωνῷ, δίδωσι βασιλείαν τῆς παππῴας λήξεως τρίτην μοῖραν, ἣν Φίλιππος τετράρχης, θεῖος ὢν αὐτῷ, πρὸς πατρὸς ἐκαρποῦτο· *Caius Caesar Agrippae* (huic ipsi, quem h. l. Lucas Herodem vocat) *Herodis Regis nepoti, regnum dedit, auitae ditionis partem tertiam, quam Philippus eius patruus possederat.* Tetrarchiam, quae Philippi fuerat, et titulum regis, debuit munificentiae liberalitatique Imperatoris Caii. Iosephus A. XVIII, 6, 10. τὸ διάδημα περιτίθησι (Γάϊος) τῇ κεφαλῇ, καὶ ΒΑΣΙΛΕΑ καθίστησιν αὐτὸν τῆς Φιλίππου τετραρχίας, δωρησάμενος αὐτῷ καὶ τὴν Λυσανίου τετραρχίαν· *Caius Agrippae capiti diadema imponit, et tetrarchiae, quae Philippi fuerat, Regem constituit, adiecta quoque Lysaniae tetrarchia.* Non multo post hanc liberalitatem in Agrippam Caius mirifice auxit, addenda tetrarchia Herodis, fratris ipsius, Lugdunum in exilium eiecti. Neque minus eum auxit et ornauit Claudius Imperator; de quo Iosephus A. XIX, 5, 1. Κλαύδιος διάγραμμα προὐτίθει, τήν τε ἀρχὴν Ἀγρίππα βεβαιῶν, ἣν ὁ Γάϊος παρέσχε, καὶ δι' ἐγκωμίων ἄγων τὸν βασιλέα· προσθήκην δὲ αὐτῷ ποιεῖται πᾶσαν τὴν ὑπὸ Ἡρώδου βασιλευθεῖσαν, ἧς ἦν πάππος αὐτοῦ, Ἰουδαίαν καὶ Σαμάρειαν· *Claudius edictum proposuit, quo et Agrippae imperium, quod ei dederat Caius, confirmabat, et regem verbis quam amplissimis laudabat, quin et adiiciebat, quicquid Iudaeae et Samariae olim ad eius aui Herodis regnum pertinebat.*

v. 6. Ὅτε δὲ ἔμελλον αὐτὸν προάγειν) προάγεσθαι *dicuntur rei, qui in concionem, aut ad iudices ducuntur, partim vt ad crimina respondeant, partim vt poenas luant.* Est autem locutio elliptica, vocibus εἰς ἐκκλησίαν, aut εἰς δίκην supplenda: quam vtramque diserte addit Iosephus. A. XVI, 11, 6. Ἡρώδης ΠΡΟΑΓΑΓΩΝ εἰς ἐκκλησίαν τριακοσίους τε τῶν ἡγεμόνων τοὺς ἐν αἰτίᾳ γενομένους *Herodes cum in concionem produxisset trecentos duces, in numerum reorum relatos:* in Vita sui ipsius §. 11. ΠΡΟΑΓΑΓΩΝ εἰς τὸ πλῆθος τὸν τὰς ἐπιστολὰς κομίζοντα,

καὶ

καὶ πλαςογραφίαν ἐπικαλέσας, *Cum in concionem produxisset eum, qui literas attulerat, eumque accusasset, quod literas finxisset.* B. I. I, 27, 2. Ἡρώδης τὰς υἱὰς ὰ ΠΡΟΗΓ'ΓΕΝ εἰς τὴν δίκην, *Herodes filius suos non produxit in iudicium.* Pro eo παράγειν eodem sensu est apud eundem XX, 9, 1. ΠΑΡΑΓΑΓΩΝ εἰς τὸ συνέδριον τὸν ἀδελφὸν Ἰησῦ τῦ λεγομένυ Χριςῦ, καί τινας ἑτέρυς, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε λευθησομένυς, *Ananus Pontifex M. cum in iudicium produxisset Iacobum, fratrem Iesu, qui dicebatur Christus, et cum eo quosdam alios, in eosque, vt legis violatae legis reos, accusationem instituisset, lapidandos tradidit.* Hoc sensu προάγειν quoque infra est C. XXV. 26. διὸ προήγαγον αὐτὸν ἐφ' ὑμῶν, - - ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης σχῶ τι γράψαι· Hac notione quoque *produci* saepissime apud Latinos dicuntur, *qui in concione causam pro se dicere iubentur.* Cicero Epist. ad Div. XII. 4. *PRODVCTVS in concionem a Canutio, turpissime discessit.* In Verr. V. c. 6. *Capitibus inuolutis ciues Romanos ad necem PRODVCERE instituit.* Cf. in eadem Orat. C. 45. Contra ea, *qui in concionem procedit reus, sui ipsius defensionem suscepturus* dicitur εἰσελθεῖν εἰς δῆμον, quo sensu infra est C. XIX, 30. Caeterum ex allatis exemplis intelligitur, ineptam manum fuisse, quae h. l. pro προάγειν scripsit προσάγειν. Saepe has duas voces fuisse confusas, docet MILLIVS infra ad C. XX. c. 5. et 13.

v. 17. κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾷν) Κατασείειν in vniuersum est, *alicui manu, vel alio quocunque modo, signum dare.* Sic est apud Iosephum A. XVII, 10, 2. Αὐτὸς δὲ τῦ φρυρίυ τὸν ὑψηλότατον τῶν πύργων καταλαβόμενος, ΚΑΤΕΣΕΙΣΕ τοῖς Ῥωμαίοις ἐπεξιέναι τοῖς Ἰυδαίοις· *Ille vero, arcis excelsissima turri occupata, inde Romanis signum dedit, vt Iudaeos adoriantur.* Deinde *inprimis Oratores* κατασείειν τῇ χειρὶ *dicuntur, cum, orationem habituri, manu silentium indicunt.* Apud eundem A. VIII, 11, 2. ςὰς ἐφ' ὑψηλῦ τινος τόπυ Ἀσίας, καὶ

TH,

ΤΗι ΧΕΙΡΙ ΚΑΤΑΣΕΙΣΑΣ, τὸ πλῆθος καὶ τὸν Ἱεροβόαμον ἀκῦσαι πρῶτον αὐτῦ μεθ' ἡσυχίας ἠξίωσε· *Abias ex edito quodam loco, cum manu silentium indixisset, populum et Hieroboamum rogauit, vt, priusquam congrederentur, ipsum audire beneuole vellent.*

v. 19. Καὶ κατελθὼν ἀπὸ τῆς Ἰυδαίας εἰς τὴν Καισάρειαν διέτριβεν) Vulgo haec ita interpretantur, vt post Καισάρειαν interpungatur, quod non satis conueniens linguae rationi videtur. Non enim διέτριβεν simpliciter pro ἐκεῖ διέτριβεν ponitur, nec a quoquam exemplum in hanc rem video adductum. Quare Cl. RANISCHIVS, nunc Professor Gymnasii Altenburgensis meritissimus, in elegantissima, doctrinaeque reconditioris plenissima Dissertatione *de Lucae et Iosephi in morte Herodis Agrippae consensu*, Praeside I. AVG. ERNESTI, V. Celeberr. Lipsiae Ann. 1745. habita, in qua huic Actorum Capiti a v. 19. vsque ad 23. ex graecae linguae et historiae cognitione insignem lucem affundit, in illa igitur Vir ille Doctiss. haec verba, distinctione sublata, ex interiori graecae linguae ratione ita interpretatur: *Et descendens e Iudaea, Caesaream profectus est, vt ibi aliquamdiu commoraretur*, s. *et ibi aliquamdiu commoratus est*. Vere sane et eleganter! Huic loco simillimus est ille Iosephi A. VIII, 2. 4. ὁ δ' αὐτὸς ἡγεμὼν, ὁ τὴν βασιλέως δαπάνην πεπιςευμένος, καὶ τοῖς ἵπποις ἐχορήγει τὰ ἐπιτήδεια, συγκομίζων ΕΙΣ ΟΝ ὁ βασιλεὺς ΔΙΕΤΡΙΒΕΝ τόπον· vbi eadem loquendi ratio elegantissima, quam, Interpres Latinus ostendit, se non capere, cum reddidit: *in eum locum aduecta, vbi rex erat:* Tu vero redde: *necessaria conuehens in eum locum, in quem Rex venit, VT IBI ALIQVAMDIV COMMORARETVR.* Sed de hoc eleganti Graecismo pluribus disputabamus supra ad Marc. I, 9. et Ioh. IX, 7.

v. 21. Τακτῇ δὲ ἡμέρᾳ) Vertunt, *statuto die:* recte id quidem; Sed qualis ille dies fuerit, non docent. Scilicet fuit dies secundus ludorum, pro salute Imperatoris Rom. Caesareae celebrari solitorum; de quo Iosephus

 A. XIX.

A. XIX, 8, 2. *δευτέρᾳ δὲ τῶν θεωριῶν ἡμέρᾳ ςολὴν ἐνδυσάμενος ἐξ ἀργύρου πεποιημένην πᾶσαν, ὡς θαυμάσιον ὑφὴν εἶναι, παρῆλθεν εἰς τὸ θέατρον ἀρχομένης ἡμέρας· Secundo autem spectaculorum die, veste indutus tota ex argento admirabili opere contexta, processit in theatrum primo diluculo.* Qua ratione autem Iosephus, qui Herodem eo tempore ludos celebrasse tradit, cum Luca conciliandus sit, qui concionis tantum mentionem facit, inuenies in Dissert. cit. p. 10.

Καὶ καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος) Non huc faciunt, quae de voce *βήματος* ad Iuliani Orat. disput. EZECH. SPANHEMIVS, a WOLFIO huc vocatus. Neque enim hic *βῆμα* quoddam intelligendum est simile illi Pilati, in *λιθοςρώτῳ* posito, neque omnino Magistratuum Romanorum, iuri dicundo in foro concionibusque habendis dicatum. Scilicet non sunt Asiae mores, a Graecis petiti, ex Romanis diiudicandi. Per *βῆμα* igitur h. l. nihil aliud intelligas, quam suggestum, in theatro Caesarensi ab Herode M. exstructum, vnde et spectaret ludos, et, si luberet, concionaretur: quod intelligitur ex Iosepho l. c. *παρῆλθεν εἰς τὸ θέατρον, processit in theatrum.*

Ἐδημηγόρει πρὸς αὐτοὺς) In hac re Iosephus a Luca discrepare videtur. Lucas enim, hoc solemni die, dicit, concionem fuisse ab Herode habitam: Iosephus autem l. c. tradit, ab eo ludos celebratos. Sed nulla hic pugna est, cum vtrumque sit factum. In quo vterque scriptor suum consilium secutus est, quare huius potius, quam alterius rei mentionem faceret. Caeterum non negamus, hanc Herodis orationem spectasse ad compositionem pacis cum Tyriis Sidoniisque factae. Fuit autem hoc in Graecorum institutis, vt, quas res in quamplurimorum notitiam volebant peruenire, eas in celebritate ludorum proponerent. De qua re, si tanti videtur, adeas *Commentarium nostrum ad Decret. Flau. p. 68. sqq.*

v. 22. *Ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει*) In his quoque Iosephi dis-

diſſenſus a Luca eſſe videtur: Hic enim huius acclamationis cauſam a dignitate orationis Herodis repetere videtur, Ioſephus autem ab admiratione veſtimentorum magnificorum Herodis: de qua re l. c. ita: δευτέρᾳ τῶν θεωριῶν ἡμέρᾳ στολὴν ἐνδυσάμενος ἐξ ἀργυρίου πεποιημένην πᾶσαν, ὡς θαυμάσιον ὑφὴν εἶναι, παρῆλθεν εἰς τὸ θέατρον ἀρχομένης ἡμέρας· ἔνθα ταῖς πρώταις τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων ἐπιβολαῖς ὁ ἄργυρος καταυγασθεὶς θαυμασίως ἀπέστιλβε, μαρμαίρων τι φοβερὸν καὶ τοῖς εἰς αὐτὸν ἀτενίζουσι φρικῶδες· εὐθὺς δὲ οἱ κόλακες τὰς οὐδὲ ἐκείνῳ πρὸς ἀγαθοῦ, ἄλλος ἄλλοθεν φωνὰς ἀνεβόων, Θεὸν προσαγορεύοντες, εὐμενής τε εἴης, ἐπιλέγοντες. εἰ καὶ μέχρι νῦν ὡς ἄνθρωπον ἐφοβήθημεν, ἀλλὰ τοὐντεῦθεν κρείττονά σε θνητῆς φύσεως ὁμολογοῦμεν· οὐκ ἐπέπληξε τούτοις ὁ βασιλεὺς, οὐδὲ τὴν κολακείαν ἀσεβοῦσαν ἀπετρέψατο. *Secundo ſpectaculorum die, veſte indutus tota ex argento admirabili opere contexta, proceſsit in theatrum, primo diluculo. Ibi argentum, primis ſolarium radiorum ictibus illuſtratum, mirum in modum reſplendeſcebat, metuendum quiddam atque horrendum oculos in id defigentibus incutiens. Moxque adulatores, vocibus ne ipſi quidem bono futuris, alii aliunde acclamare, Deum appellantes, dicenteſque, propitius nobis eſto, et, licet hactenus te veluti hominem reueriti ſumus, in poſterum mortali ſorte maiorem habebimus. At rex neque illos obiurgauit, neque impiam eorum adulationem reiecit.* Sed facillime is diſſenſus inter Ioſephum et Lucam tolli poteſt. Dici enim poteſt, populum, vtriusque rei admiratione percuſſum, has adulationis inhoneſtae voces edidiſſe, vnam autem tantum et a Luca, et Ioſepho eſſe commemoratam, eam ſcilicet, quae cuiusque conſilio ſcribendi accommodatior altera ſit viſa. Sed ne eſſe quidem putem, quare eo confugiamus, cum Lucas ipſe non obſcure ſignificet, huius acclamationis cauſam a ſplendido Herodis veſtitu fuiſſe profectam. Nam illa verba, στολὴν βασιλικὴν, nullam aliam ob cauſam adiecta videntur, quam vt indicaret, veſtis illius regiae magnificentiam in clamore illo adulatorio commouendo valuiſ-

luisse: quod nisi concesseris, non sane apparet, quorsum *vestis regiae* mentio a Luca sit facta.

v. 23. Ἐπάταξεν αὐτὸν ἄγγελος Κυρίȣ) Maxime torsit Viros doctissimos ille dissensus, qui hic quoque inter Iosephum et Lucam intercedere videtur. Lucas enim ἄγγελον κυρίȣ commemorat, Iosephus autem in eadem re tradit l. c. haec: ἀνακύψας δ' ȣ̓ν μετ' ὀλίγον, τὸν βȣβῶνα τῆς ἑαυτȣ̃ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἐπὶ σχοινίȣ τινός· ἄγγελόν τε τȣ̃τον εὐθὺς ἐνόησεν κακῶν εἶναι· *Paullo post autem, oculis in altum sublatis, supra caput bubonem funiculo cuidam insidentem conspexit: et statim hunc malorum nuncium esse intellexit.* Eusebius Lib. II. H. E. Cap. 10. Iosephi verba longe aliter affert, eiusque auctoritatem, ipso Iosepho non inspecto, cum multis aliis secutus WOLFIVS, dicit, ex hac Eusebiana Iosephi lectione, Iosephum propius ad Lucae narrationem accedere. Sed illa Eusebii lectio, et interpunctio huius loci Flauiani est quam maxime inepta, neque adeo admittenda. Aliorum sententias de hoc loco Iosephi cum Lucae narratione conciliando nec afferre, nec refellere iuuat. Optima haud dubie Iosephi cum Luca in concordiam redigendi ratio haec est, vt dicamus, Iosephum ea, quae in sensus oculosque hominum caderent, Lucam autem non visa cuiquam, sed diuinitus sibi tradita prodidisse. Neque in eo magis cum Luca pugnat Iosephus, quam, vt hoc vtamur, scriptores Romani de excidio Hierosolymitano cum literarum diuinarum auctoritate, illis euentum cum causis, cognoscendis ratione humana, narrantibus, his autem summam causam ad Deum, a gente Iudaica poenas expetentem, referentibus, vt vere iudicat Cl. Auctor laudatae Dissertat. p. 19. vbi in hanc rem plura. Caeterum vox ἐπάταξε indicat poenam a Deo repente, et immediate immissam. Tradit enim Iosephus l. c. Herodem subito fuisse ventris cruciatibus correptum, et, cum auferri se iussisset, his, omni consideratione dignissimis, verbis vsum: ὁ Θεὸς ὑμῶν ἐγὼ ἤδη καταστρέφειν ἐπιτάττομαι τὸν βίον, παραχρῆμα τῆς εἱμαρμένης τὰς ἄρτι

μȣ

μυ κατεψευσμένας Φωνὰς ἐλεγχύσης ὁ κληθεὶς ἀθάνατος ὑφ' ὑμῶν, ἤδη θανῶν ἀπάγομαι· En! ego ille vestra appellatione Deus vitam relinquere iubeor, fatali necessitate mox arguente vestrum mendacium: et quem immortalem falutastis, ad mortem rapior.

γενόμενος σκωληκόβρωτος) Et hic in genere mortis Iosephus a Luca discrepare videtur, cum Lucas Herodem, *σκωληκόβρωτον* factum, interiisse tradat, Iosephus autem longe aliud mortis genus commemoret. WOLFIVS quidem ad h. l. scribit, Iosephum l. c. in mortis genere Herodis tradendo *σκώληκας* quoque commemorare: quod si esset, vanus et ineptus labor foret, Iosephum cum Luca conciliare velle. Sed vir ille doctissimus humanitus errat, nec, cum ista scriberet, Iosephum ipsum inspexit. Nam ne verbulum quidem apud Iosephum neque de vermibus, neque de putredine inuenies, qui nihil in hanc rem refert, quam, Agrippam, cum bubonem vidisset, statim intestinorum doloribus acerbissimis correptum, iis, in dies ingrauescentibus, extinctum esse. Haec est Iosephi de morte Herodis narratio: quae etsi ab iis, quae Lucas tradit, recedere videtur, re ipsa tamen non discrepat. Scilicet, Lucas quidem causam habuit idoneam, morbi nominatim indicandi, hanc nempe, vt grauitas supplicii, ab Herode sumpti, appareret: ea autem causa cum non vteretur Iosephus, satis habuit, acutum intestinorum dolorem, atque adeo grauem aliquem morbum, prodere. Vide plura in hanc rem in laudata Dissertat. p. 22. sqq.

CAPVT XIII.

V. 14. *Εἰσελθόντες εἰς τὴν συναγωγὴν τῇ ἡμέρᾳ σαββάτων*) SCALIGER de Emendat. Tempor. cum in hoc, tum aliis N. T. locis scribi vult *ἡμέρα σαββατῶν*, ratione nulla idonea commotus, minimeque audiendus. Ita enim diserte quoque Iosephus A. XII, 6. 2. *συμβάλλουσιν αὐτοῖς εἰς μάχην Σαββάτων ἡμέρᾳ, pugna cum illis commissa est die Sabbati.*

v. 16.

v. 16. Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν Θεόν) οἱ φοβούμενοι, aut σεβόμενοι τὸν Θεὸν, cum ab iis distinguuntur Ἰσραηλῖται, in N.T. dicuntur, *qui, etsi natione non sunt Iudaei, eorum tamen religionem amplexi, verum Deum colunt, proselyti portae.* Eadem loquendi ratione vtitur quoque Iosephus A. XIV, 7, 2. πάντων κατὰ τὴν οἰκουμένην ΙΟΥΔΑΙΩΝ καὶ ΣΕΒΟΜΕΝΩΝ, *omnium in orbe terrarum Iudaeorum et Proselytorum.*

v. 42. Εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον) Recte defendit WOLFIUS receptam lectionem contra temeritatem SCALIGERI, emendantis, solius coniecturae ope, ἐν τῷ μεταξὺ σαββάτῳ. Sed non docuit idem Vir Praestantissimus, qua ratione, sensu commodo, recepta retineri possit. Nam quod scribit WOLFIUS, BOISIUM rem ad liquidum perduxisse, id ex eius verbis equidem perspicere non potui, nescio an alii. Et sane hic significatus τοῦ μεταξὺ pro μετὰ *post*, cum sit paullo insolentior, auctoritate confirmandus erat, praesertim cum SCHMIDIUS, Vir, iudice ipso WOLFIO, ἑλληνικώτατος, neget, τὸ μεταξὺ vnquam significare *post.* Nam quem WOLFIUS huic significatui rariori confirmando laudat locum Hesychii, is, praeterquam quod corruptus est, minime huc facit, aut rem conficit, vt sciunt, qui veterum Glossariorum Graecorum rationem non ignorant. Aeque minus probandum videtur, quod scribit WOLFIUS, *in altera illa notione*, de interiecto tempore, *persistere possumus, si dicamus, Sabbatum sequens proximum hic dici* τὸ μεταξὺ σάββατον, *tanquam, quod inter antecedens primum, et sequens tertium sit intelligendum.* Adversatur enim haec interpretatio loquendi vsui. Optimum igitur est, τὸ μεταξὺ σάββατον interpretari de *Sabbato proxime sequente*, f. *quod POST insecuturum erat.* Quo significatu paullo insolentiori τὸ μεταξὺ est apud Iosephum B. I. II, 11, 4. ΜΕΤΑΞΥ δὲ τῶν μετὰ τῆς συγκλήτου στρατιωτῶν τὶς, σπασάμενος τὸ ξίφος, ἐβόησε. *POSTEA vero vnus e militibus, qui cum Senatu erant, cum eduxisset gladium, clamauit:*

mauit: vbi μεταξὺ diserte pro μετὰ aut μετέπειτα est. Sed hunc locum iam L. CAPELLVS in *Spicileg.* in hanc rem laudauit. Addamus alia. B. I. V, 4, 2. Δαβίδε τε καὶ Σολομῶνος, ἔτι δὲ τῶν ΜΕΤΑΞΥ τούτων βασιλέων, φιλοτιμηθέντων περὶ τὸ ἔργον· *ad loci naturam et firmitatem accesserant Dauidis et Salomonis, et regum, qui POST insecuti sunt, munimenta, quibus multum studii et sumptuum impenderant.* Contra Apion. I, 21, ὧν ΜΕΤΑΞΥ ἐβασίλευε Βαλάτορος, *POST quos regnauit Balatorus.* In quibus locis omnibus τὸ μεταξὺ est *post.*

v, 44. Τῷ δὲ ἐρχομένῳ) Codd. quidam, et Vulg. legunt ἐχομένῳ. Quamcunque lectionem praetuleris, sensus erit idem. Difficile tamen erit, secundum alterutram lectionem pronunciare. WOLFIVS quidem persuasum sibi habet, vulgatam ἐρχομένῳ praestare: nec repugnaverim. Sed quas rationes ei tuendae attulit, eae, vereor, ut satis procedant. Ἔρχεσθαι ἡμέρας, inquit, *saepe et D. Lucas et alii Scriptores dicunt.* Audio. Sed idem Lucas saepe ἐχομένην ἡμέραν habet, vide v. c. Luc. XIII. 33. Actor. XX. 15. XXI. 26. Addit: *Nescio, an Sabbatum, diebus aliquot a praecedente seiunctum, commode satis dici possit* ἐχόμενον· (ita enim omnino legendum, non, vt typis exscriptum est, ἐρχόμενον, quod directe contra mentem WOLFII est) *Quod enim perspicere adhuc ex vsu Scriptorum potui, vox* ἐχόμενος (ita iterum pro vitioso illo ἐρχόμενος scribe) *dicitur tantum de die proxime sequente, et cum priore arctissime coniuncto*; Sed Vir ille doctissimus humanitus hic errat. Nam primo quidem, ἔρχεσθαι et ἔχεσθαι in hac re promiscue, sensuque non diuerso vsurpari, vsus loquendi docet. Iuuat vel unum, cum multa possint, locum in hanc rem afferre. A. V, 9, 2. ΕΧΟΜΕΝΑΙΣ ἡμέραις, *sequentibus diebus.* ib. 11. εἰς τὴν ΕΧΟΜΕΝΗΝ ἡμέραν, *sequenti die.* VII, 1, 3. τῇ δ' ΕΧΟΜΕΝΗι. Sed ecce idem, A. VI, 11, 9. τῇ δ' ΕΡΧΟΜΕΝΗι: quae causa est, quare hae duae voces saepe fuerint a librariis confusae. V. c. I. Maccab. IV. 12.

αὐτοὺς

αὐτοὺς ἐρχομένους, vbi alii ἐχομένους: et v. 28. ἐν τῷ ἐχομένῳ ἐνιαυτῷ, alii ἐρχομένῳ, et ſic locis multis aliis. Neque eſt, quod WOLFIVS dubitet, an Sabbatum, diebus aliquot a praecedente ſeiunctum dici poſſit ἐχόμενον. Nam ſi ἐνιαυτὸς, annus inſtans, aliquot non diebus, ſed menſibus a praecedente ſeiunctus, dicitur ἐχόμενος, v. c. apud Ioſephum XII, 7, 5. aeque commode σάββατον ἐχόμενον dici poteſt. Idem igitur hic τὸ ἐρχόμενον ſ. ἐχόμενον σάββατον, quod v. 42. τὸ μεταξὺ σάββατον.

v. 48. Ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν) Hic locus, quo CALVINI aſſeclae, tanquam acerrimo telo, pugnant ad defendendum iſtud abſolutum Decretum, variis interpretationibus expoſitus eſt. Omnium autem veriſſima eſt, quae, a FRANZIO inprimis adornata, plerisque omnibus noſtrorum Theologorum, WOLFIO quoque, probatur. Quae WOLFIVS ex MAIO attulit, rem non conficiunt. Igitur videamus, quomodo linguae ratione, a qua omnis interpretatio certa pendet, ea interpretatio confirmari poſſit. Et primo quidem vox τάττεσθαι inprimis e re militari petita eſt, vbi milites τεταγμένοι dicuntur, *qui loco ſuo et ordine*, ducis auctoritate, *collocati et diſpoſiti ſunt*. Facit huc inprimis elegans Philonis locus in Libro *de Gigant.* p. 290. καλὸν δὴ μὴ λειποτακτῆσαι μὲν τῆς τοῦ Θεοῦ τάξεως, ἐν ᾗ ΤΕΤΑΓΜΕΝΟΥΣ πάντας ἀριστεύειν ἀνάγκη, αὐτομολῆσαι δὲ πρὸς τὴν ἄνανδρον καὶ κεκλασμένην ἡδονήν. *Bonum ſane fuerit, non deſerere conſtitutum diuinitus ordinem, in quo res gerenda eſt fortiter, nec transfugere ad effoeminatam fractamque voluptatem:* vbi voces λειποτακτῆσαι, τάξις, τεταγμένοι, αὐτομολῆσαι, ex re militari ſunt petitae. Sed in hoc quidem non multum difficultatis eſt, maxima autem in eo, quo ſenſu τεταγμένοι εἰς ζωὴν dicantur: in eo enim ſumma contentionis eſt. Sed optime et luculentiſſime mihi videtur poſſe dirimi ex lege oppoſitionis. Nam οἱ τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον diſerte opponuntur iis, οἳ οὐκ ἀξίους κρίνουσι ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, h. e. *qui vita aeterna*

na se ipsos indignos reddiderunt, nempe τῷ ἀπωθεῖσθαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ: ex lege igitur oppositionis οἱ τεταγμένοι sunt, οἱ ἑαυτοὺς τάξαντες, quomodo vero? nempe admittendo et sequendo illam τάξιν diuinam vitae aeternae consequendae, verbum Dei audiendo, et Spiritui Sancto, per illud operari volenti, non resistendo. Hi enim ipsi v. 42. dicuntur rogasse Apostolos, vt sibi doctrinam Christianam dilucidius exponerent et explicarent; et hac ratione dicuntur τετάχθαι, h.e. τάξαι ἑαυτοὺς, εἰς ζωὴν αἰώνιον. Est autem cum Graecis tum Latinis (et his praecipue, cum careant voce media) non inusitatum, medium et formam reciprocam voce passiva exprimere, inprimis in Tempore Perfecto, quia multa verba nullum Perfectum in medio habent: Passiua autem voce, loco mediae, magis vtuntur, quam Actiua, quia maior Analogia Medii et Passiui est, quam Medii et Actiui, cum illa Praesens et Imperfectum commune habeant. Habere autem Passiua significationem Medii, seu Actiuam reciprocam, vel ex his exemplis apparet. I. Petr. V. 5. ὑποτάγητε πρεσβυτέροις, *subiicite VOS Senioribus*, et v. 6. ταπεινώθητε ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, *submitite VOS.* Ipsa vox τάττεσθαι apud Graecos eodem, quo hic, sensu saepe occurrit. Philo *de Nobilit*. p. 907. Ἔχω δ' εἰπεῖν ἑτέρους τοὺς ἐξ ἐναντίας ἀμείνω ΤΕΤΑΓΜΕΝΟΥΣ τάξιν: ibi enim οἱ τεταγμένοι τάξιν sunt, *qui SE IPSOS cuidam vitae generi dediderunt.* Sed cum inprimis vtamur Iosepho, ex eo is nobis est huius vocis significatus confirmandus. A. IV, 2, 3. οἱ ΣΥΝΤΕΤΑΓΜΕΝΟΙ τῷ Κορῇ, *qui SE IPSOS partibus Corae adiunxerunt.* VI, 4, 4. ΤΑΧΘΗΤΕ πάντες κατὰ φυλάς. *Secernite et distribuite VOS secundum tribus.* VIII, 10, 3. Ἐγκεκλεισμένου τοῦ Ῥεβοάμου καὶ τοῦ πλήθους ἐν αὐτοῖς διὰ τὴν Σουσάκου στρατείαν, καὶ τὸν Θεὸν ἱκετευόντων δοῦναι νίκην καὶ σωτηρίαν, οὐκ ἔπεισαν τὸν Θεὸν ΤΑΧΘΗΝΑΙ μετ' αὐτῶν. *Cum Roboamus populusque in vrbe inclusi tenerentur ob Susaci expeditionem, Deoque supplicarent, vt victoriam salutemque ipsis*

darent

daret, adducere Deum non potuerunt, vt SE illorum partibus adiungeret. Esse autem ταχθῆναι μετά τινος, *Se IPSVM alicuius partibus adiungere*, ex alio loco, VIII, 1, 3. intelligitur, vbi eadem res voce media exprimitur. ΤΑΞΑΣΘΑΙ μετά τινος. Nihil igitur, absoluti Decreti architecti et defensores, praesidii, impiae sententiae suae confirmandae, in hoc loco inueniunt.

CAPVT XIV.

V. 2. Ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν) Κακῦν hic est *aliquem exacerbare, contra alterum excitare et irritare:* Nostrates dicunt: einen wider den andern aufhetzen. Neque erat sane, quare Viri quidam docti hunc significatum insolentem, aut, vt BEZA ad h. l. hoc verbum eo sensu τῶν ἅπαξ λεγομένων haberent, cum ita apud optimum quemque occurrat. Sic diserte est apud Iosephum, XVI, 1, 2. vbi Salome et Pheroras apud Herodem filios in suspicionem criminatione nque adduxisse dicuntur, dictitando, eos nolle cum patre, interfectore quippe matris, versari: ταῦτα γὰρ ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἐπὶ τὸ πιθανὸν τῆς αἰτίας φέροντες, ΚΑΚΟΥΝ ἐδύναντο, καὶ τῆς εὐνοίας ἧς εἶχεν εἰς τοὺς παῖδας ἀφαιρεῖν. *Ita enim a rei veritate ad rationem verisimilem progredientes, poterant EXACERBARE patrem* in filios, *eique beneuolentiam in filios eripere.* Et ib. 7, 3 de Herode, ΕΚΑΚΟΥΤΟ ταῖς ὑποψίαις, *exasperabatur, irritabatur suspicionibus:* et 8, 6. κακῦσθαι est, *contra aliquem irritari*, vbi, tanquam Synonymum, ὀργῆς ἀναπλησθήσεσθαι iungitur. Sed constructio κακῦν τινα κατά τινος, aliquid insolentis difficultatisque habere videtur. Eius autem expediendae ratio haec est, vt dicamus, voces, τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν, non pendere a verbo ἐκάκωσαν, sed ab ἐπήγειραν, hoc sensu: *Infideles autem Iudaei concitarunt et irritarunt animos Gentilium contra fideles.* Est enim is Scriptorum cum Graecorum, tum

tum Latinorum mos, vt, praemissis pluribus, ea interdum subiiciant, quae constructione non proximis iungenda, sed ad remotius, et nonnunquam ordine primum, referri debeant. Exempla in eam rem suppeditabit Celeberr. ABRESCH. in Adnotatt. ad Loca quaedam N. T. p. 619.

v. 22. Παρακαλοῦντες ἐμμένειν τῇ πίστει) Non satis cohaerere videtur oratio, παρακαλοῦντες ἐμμένειν - - καὶ ὅτι δεῖ εἰσελθεῖν. Non enim habere videntur verba καὶ ὅτι δεῖ, vnde pendeant: quae caussa est, quare BEZA τὸ καὶ velit expungi. Sed caue eum audias. Optime enim orationi sua constat integritas, τῷ καὶ, vti debet, retento. Decepit Virum doctissimum genus loquendi elegantissimum, ipsi non intellectum. Scilicet ex τῷ παρακαλοῦντες repetendum ἀπὸ κοινοῦ est λέγοντες, cuius notio in τῷ παρακαλοῦντες inclusa latet. Expone igitur, ac si scriptum esset, παρακαλοῦντες ἐμμένειν τῇ πίστει καὶ ΛΕΓΟΝΤΕΣ ὅτι δεῖ· Sic apud Iosephum A. V, 1, 18. τοῦ Θεοῦ δ' ἐξονειδίσαντος αὐτοῖς τὸν φόβον, καὶ εἰ πλέον τῆς παρ' αὐτοῦ βοηθείας ποθοῦσιν· vbi καὶ εἰ etc. non habere videntur, vbi referantur; sed ex τῷ ἐξονειδίσαντος est ἀπὸ κοινοῦ repetendum λέγοντος, hoc sensu: *Deo autem eis formidinem exprobrante, et DICENTE, an quid maius eius ope et auxilio desiderent.* De hoc loquendi more optimorum scriptorum, quo Verbum alterum, notione cognatum, ex illo, quod praecessit, lectoris animo supplendum relinquunt, copiose docteque disputat Celeberr. ABRESCH. Adnotatt. ad Aeschyl. p. 3. sqq. Caeterum, quemadmodum παρακαλεῖν hic duplici regimine gaudet, ita apud Iosephum l. c. §. 25. παρακαλοῦμεν ΜΗΔΕΝΑ τῆς πρὸς ἡμᾶς συγγενείας ὅρον ΥΠΟΛΑΜΒΑΝΕΙΝ, μηδ' ὅτι μεταξὺ ποταμὸς οὗτός ἐστιν, ἑτέρους ἡμᾶς ΝΟΗΣΕΤΕ καὶ οὐχὶ Ἑβραίους.

CAPVT XV.

V. 20. Ἐπιςεῖλαι αὐτοῖς) Possis interpretari, *epistolam mittere*, vti apud Latinos interdum *mittere* simpliciter est *scribere*, *epistolam mittere*; de quo CORTIVS ad Sallust. B. Catilinar. C. XXXII. haud scio tamen, an praestet reddere, *praecipere*, qua notione hoc verbum saepe apud Iosephum. A. I, 1, 1. κινήσεις αὐτοῖς (ἄςροις) ΕΠΙΣΤΕΙΛΑΣ καὶ δρόμυς, *praecipiens astris motum et cursum*. II, 2, 1. τὰς ἐντολὰς ἃς αὐτὸς διὰ Μωϋσέως αὐτοῖς ΕΠΕΣΤΕΙΛΕΝ, *praecepta, quae ipse per Mosen illis iniunxerat*. V, 11, 2. τῦ πατρὸς αὐτοῖς ΕΠΙΣΤΕΙΛΑΝΤΟΣ, *cum pater ipsis praecepisset*. VI, 6, 2. περιμένει μὲν ὡς ὁ προφήτης ΕΠΕΣΤΕΙΛΕΝ, *expectat, quemadmodum ei Propheta praeceperat*; ib. 7, 2.-- τῆς μνήμης ὧν ΕΠΕΣΤΕΙΛΕΝ ὁ Θεός, *eorum, quae Deus praeceperat, parum memor*. VIII, 2, 1. Porro ἐπιςέλλειν est *mandare alicui aliquid*, Einem eine Commißion auftragen: vnde apud eundem l. c. §. 7. τὰ ἐπεςαλμένα, *mandata*. Et XVIII, 8, 4. αἱ ἐπιςολαὶ, *mandata*, die aufgetragene Commißion, ad quem locum vid. Ill. SPANHEMIVS; et ἐπιςολαὶ interdum pro ἐντολαὶ, *praecepta*, XII, 4, 10. Δημοτέλης, ὁ φέρων τὰ γράμματα, διαπέμπει τὰς ἐπιςολάς· hoc est, ἐντολάς· Non enim dubium est, Iosephum περιφράσαϑαι illa prioris Maccabaici, ἐντελλόμεϑα ἐν ὅπως ἀπαγγείλωσιν ὑμῖν κατὰ ταῦτα, obseruante SCALIGERO.

v. 22. Τότε ἔδοξε τοῖς ἀποςόλοις) Hic locus ob structuram est valde impeditus. Quiuis enim, vel parum attentus, intelligit τῷ ἔδοξε non satis, ex Grammaticis regulis, respondere videri neque ἐκλεξαμένυς, neque γράψαντες? Et priorem quidem difficultatem Viri quidam docti ita tollere studuerunt, vt dicerent, τὸ ἐκλεξαμένυς ad ἔδοξε esse referendum. Scilicet tota oratio sic ordinarie constituenda erat: Ἔδοξε τοῖς ἀποςόλοις - - - ἐκλέξασϑαι ἄνδρας, καὶ - - πέμψαι. *Visum est Apostolis*

lis - - eligere Viros, et - - mittere. Sed cum Graeci sint Participiorum studiosissimi, ille infinitiuus ἐκλέξασθαι elegantius in Participium mutatus est: Sic apud Iosephum A. V, 5, 3. ἡ Δεβώρα τὸν Βάρακον, ΕΠΙΛΕΞΑΝΤΑ τῶν νέων μυρίους ἐκέλευε ΧΩΡΕΙΝ ἐπὶ τοὺς πολεμίους. *Debora Baraco arcessito praecepit, vt iuuenum ad decem millia delectum haberet, et contra hostes iret:* et VIII, 13, 5, ἐκέλευσεν Ἠλίας τοὺς προφήτας ΕΚΛΕΞΑΜΕΝΟΥΣ βοῦν πρώτους τε ΘΥΣΑΙ, *praecepit Elias, vt isti vates bouem eligerent, et Diis sacrificarent.* Eodem modo a Luca Infinitiuus ἐκλέξασθαι elegantius in Participium mutatus est: Sed tunc ordinarie non ἐκλεξαμένους, sed ἐκλεξαμένοις scribendum fuisset, vt subiecto, τοῖς ἀποστόλοις, responderet, vt apud Iosephum XI, 6, 2. προστέταξε ΤΙΣΙΝ ΕΠΙΛΕΞΑΜΕΝΟΙΣ - - ἀγαγεῖν πρὸς αὐτόν, *iniunxit quibusdam, vt virgines forma praestantissimas eligerent et ad eum adducerent.* Neque tamen Lucas prorsus a Graecorum loquendi more recessit. Eodem enim modo Iosephus XV, 6, 5. ἦν δὲ ΚΑΙ ΚΕΙΝΟΙΣ ἐντολὴ - - ΜΑΘΟΝΤΑΣ διαχειρίσασθαι. Alia exempla suppeditat Celeberr. HOOGEVEEN ad VIGERVM de Idiotism. Gr. L. p. 274. Neque vero ille Accusatiuus ἐκλεξαμένους necessario ad ἔδοξεν refertur, sed ad infinitiuum πέμψαι referri potest. WOLFIVS quidem putat, τὸ ἐκλεξαμένους ad ἔδοξε referri posse, hancque constructionis insolentiam defendit quodam Aeliani loco V. H. II. 13. Sed fallitur Vir ille doctissimus. Illius enim loci longe alia ratio est, cum ibi φθονεροὺς ὄντας - - προαιρουμένους sint Accusatiui absoluti, neque adeo ad ἔδοξε referendi, vt locum ipsum consulenti apparebit. Porro illud, ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις - - γράψαντες, insolentius, et a Grammaticorum regulis longius recedere videtur. Vox enim γράψαντες necessario ad τοῖς ἀποστόλοις, tanquam subiectum, referenda est, atque adeo dicendum erat, γράψασι. Longe aliter autem iudicat WOLFIVS, qui, STOLBERGII auctoritatem secutus, τὸ γράψαντες ad praece-

dentem Infinitium πέμψαι esse referendum, vt modus declaretur, quo in illis ablegandis vsi sint Apostoli, nempe cum literis, et *cum oratio maneat in eadem persona, post Infinitum sequi solere Nominatiuum.* Sed humanitus errant vterque Vir praestantissimus. Graeci iungunt illi quidem infinitiuo non solum accusatiuum, vti Latini fere, sed omnes casus, non autem vbique et promiscue, sed eum, in quo est subiectum, ad quod is refertur. Sic v. c. eleganter datiuus, loco accusatiui, infinitiuo iungitur, sed non nisi tum, cum praecessit Datiuus, ad quem, tanquam subiectum, alter ille refertur. Sic apud Iosephum A. IV, 1, 1. συμφέρειν αὐτοῖς τὸ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΣΙΝ εἶναι. VII, 15. 1 παραινῶ σοὶ - - ΔΙΚΑΙΩι μὲν εἶναι πρὸς τὰς ἀρχομένας, ΕΥΣΕΒΕΙ δὲ πρὸς τὸν Θεόν. Plura in hanc rem dedimus in *Commentario nostro ad Decretum Flau.* p. 80. Non igitur admittenda est illa STOLBERGII et WOLFII ratio, sed potius concedendum, pro γράψαντες, ex Grammatices regulis, ordinarie scribendum fuisse γράψασι, vt τοῖς ἀποςόλοις, tanquam suo subiecto, responderet. Neque tamen quemquam hoc ἀνακόλουθον grammaticum offendere debet, cum a loquendi more Graecorum non abhorreat, et in scriptoribus Atticis etiam saepe inueniatur: exempla in hanc rem attulimus in illo Commentario p. 82. vbi de toto hoc Actorum loco a. p. 78. vsque ad 82. fusius, accuratiusque disputauimus.

v. 22. Ἄνδρας ἡγουμένους) SCHOETTGENIVS, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, iuterpretatur ἡγουμένους *doctores:* quam notionem etsi scio huius vocis interdum esse, v. c. Ebr. XIII. 7. 17. 24. tamen ab hoc loco alienam puto. Mihi potius ἡγούμενοι h. l. esse videntur *qui praecipua aliqua auctoritate et dignitate inter suos florent, ob singularia, quibus a Deo exornati erant, dona.* Hoc sensu apud Iosephum A. XI, 4, 4. οἱ τῶν πατριῶν ΗΓΕΜΟΝΕΣ τῶν Ἰσραηλιτῶν, *Principes familiarum Israëlitarum:* et paullo post §. 4. ΗΓΕ-

ΗΓΕΜΟΝΕΣ τῶν Ἰϐδαίων· neque alio ſenſu §. 6. Ἰϐδαίοις καὶ ΗΓΕΜΟΣΙΝ αὐτῶν.

v. 24. ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν) Vulgo redditur, *labefactantes animas veſtras*, perquam obſcure. Ἀνασκευάζειν ſaepe optimo cuique eſt *perdere*, *corrumpere*. Apud Ioſephum XIV, 15, 3. τῶν περὶ τὴν πόλιν ὄντων ἐρήμων, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν Ἀντιγόνϐ ϛρατιωτῶν ΑΝΕΣΚΕΥΑΣΘΑΙ, *Vaſtatis circa vrbem agris, quoniam ab Antigonianis omnia vaſtata erant.* Et §. 4. διέπεμψε δὲ καὶ πρὸς τὰς κύκλῳ, κελεύων τὰ κατὰ τὴν χώραν ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΑΣΘΑΙ, *Quin ad omnes in circuitu miſit, praecipiens, vt, quaecunque in agris eſſent, corrumperent et vaſtarent.* Igitur ἀνασκευάζειν malim h. l. interpretari, *animos falſa doctrina imbuere et corrumpere, atque adeo a vera ſalutis aeternae conſequendae via abducere conari.* Oppoſitum huius Verbi eſt κατασκευάζειν, vt vel ex ἀνασκευῇ et κατασκευῇ Rhetorum notum eſt: iam cum κατασκευάζειν in ſacris literis ſit, *vera religionis Chriſtianae cognitione imbuere et inſtruere;* facile vi Vocis oppoſitae intelligi poteſt, quid ἀνασκευάζειν denotet.

v. 29. Ἐξ ὧν διατηρϐντες ἑαυτὰς, εὖ πράξετε) Verba εὖ πράξετε omnino reddenda ſunt *felices, beati eritis*, non ſolum ex lege oppoſitionis, (opponuntur enim illis V. 1. ϐ δύνασθε σωθῆναι) ſed etiam ex conſtanti loquendi more Graecorum. Nam qui reddi quoque poſſe putant, *recte agetis*, interpretationem afferunt conſuetudini loquendi aduerſam. Hoc enim ſi Graeci indicare volunt, non dicunt εὖ πράσσειν, ſed εὖ, καλῶς ποιεῖν: vt apud Ioſephum A. V, 1, 26. ΕΥ ΠΟΙΗΣΕΤΕ σωφρονήσαντες, *Bene agetis, ſi ad ſaniorem mentem redeatis.* XIII, 5, 8. ΚΑΛΩΣ ΠΟΙΗΣΕΤΕ καὶ αὐτὰ γράφοντες ἡμῖν, καὶ περὶ ὧν ἂν δέησθε ἐπιϛέλλοντες, *Quare recte facietis, ſi vos quoque nobis reſcripſeritis, atque ſignificaueritis, ecqua re noſtra opus habeatis.* Aliud autem eſt εὖ πράξετε: ne dicam, multo maiorem vim, auctoritatemque orationi Apoſtolorum accedere, ſi reddideris, *ſi*

his praeceptis parueritis verae felicitatis participes fietis, quam, *si his praeceptis parueritis*, *facietis*, *quod officii vestri est*. Caeterum haec, ἐξ ὧν διατηρῦντες ἑαυτὺς, *a quibus si vobis caueritis*, constructionem habent paullo insolentiorem: simillima illa est Psalm. XI. 8. διατηρήσεις ἡμᾶς ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης.

v. 33. Ἀπελύθησαν μετ' εἰρήνης ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν) Duplici sensu haec capi possunt, aut, *discesserunt a fratribus*, aut, *a fidelibus dimissi sunt*: quo duplici sensu apud Iosephum est A. V, 1, 25. Χαίροντας ὑμᾶς ἐπὶ τὰς κληρυχίας ΑΠΟΛΥΟΜΕΝ, *Laetos vos ad possessiones vestras dimittimus*: sed paullo post, alio sensu, μόλις ἀλλήλων ΑΠΕΛΥΘΗΣΑΝ, *aegre a se inuicem discesserunt*. Malim tamen h. l. interpretari, *a fidelibus dimisi sunt*, vt adeo idem hic dicatur, quod v. 40. παραδοθέντες τῇ χάριτι τῦ Θεῦ. Nam ἀπολύειν μετ' εἰρήνης est, *aliquem discedentem bonis votis et ominibus prosequi*.

v. 38. Παῦλος δὲ ἠξίυ - - μὴ συμπαραλαβεῖν τῦτον) Recte WOLFIO haec lectio pro genuina defenditur, reiecta illa, ὐκ ἐβύλετο. Sed in interpretatione vocis ἠξίυ non consentiunt Viri docti. Vulgatus haec verba, ἠξίυ μὴ συμπαραλαβεῖν, vertit, *rogabat non debere recipi*, quem probare videntur HASAEVS et WOLFIVS: sed ea interpretatio admitti nequit, cum sit contra linguae rationem: dicendum enim tum fuisset, μὴ συμπαραληφθῆναι. Mirum, Viros doctos in horum verborum interpretatione haesisse, quae ex eleganti communique loquendi vsu reddenda sunt: *Paulus NOLEBAT hunc secum ducere*, f. *comitem itineris habere*. Ἀξιόω enim, adiuncto τῷ μὴ, saepe est *nolo*. Iosephus A. I, 1, 4. εἰπὼν, πονῦσι καὶ τοῖς ἔργοις τριβομένοις τὰ μὲν παρέξειν, τῶν δὲ ὐκ ΑΞΙΩΣΕΙΝ, dicens, *se laborantibus*, *et labore attritis alia quidem* velle *exhibere*, *alia vero* nolle. A. VII, 7, 3. τῶν ἰδίων ὐδὲν ἐκεῖνος βοσκημάτων ΗΞΙΩΣΕ καταθύσας εὐωχῆσαι τὸν φίλον, *de suis pecoribus ne unum quidem*, *vt amicum epulis adhiberet*, *mactare VOLVIT*. X, 7, 1. ὐκ ΗΞΙΟΥ-

τὴν

τὴν πόλιν κινδυνεύσαν δι' αὐτὸν περιορᾶν· *NOLVIT vrbem negligere sua causa periclitantem.*

CAPVT XVI.

V. 13. Ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν, ὃ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι) Verissimam puto horum verborum interpretationem eam, quae reddit, *vbi solebat esse*, f. *vbi ex more erat Proseucha:* Conuenit enim et linguae rationi, et a Veterum monumentis confirmatur. Νομίζεσθαι enim saepe est, *in more esse*, unde νενομισμένα apud Iosephum A. V, 1, 1. sunt *solemnia, quae ex more peragenda sunt.* Deinde Veterum auctoritate edocti scimus, moris apud Iudaeos fuisse hoc, vt Proseuchas quam proxime ad fluvios exstruerent, quo commodius ipsis suppeteret aqua ad manus lauandas, antequam preces facerent. Insignis in hanc rem est Iosephi locus, A. XIV, 10, 23. in Decreto Halicarnassensium, δεδόχθαι ἡμῖν Ἰουδαίων τοὺς βουλομένους - - τὰς προσευχὰς ποιεῖσθαι πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸ πάτριον ἔθος; *Placuit nobis, vt ius potestatemque habeant Iudaeorum quicunque volunt -- Proseuchas faciendi AD MARE PRO MORE PATRIO.*

v. 16. Πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχὴν) Facio cum *Vitringa*, qui προσευχὴν hic quoque de loco faciendis precibus destinato accipit. Commodius enim aliquis *tendere ad Synagogam*, quam *ad orationem* f. *preces*, dicitur. Quam sententiam confirmat Iosephus simillima loquendi ratione, in Libro *de vita sua* §. 54. κατὰ τὴν ἐπιοῦσαν συνάγονται πάντες εἰς τὴν προσευχήν· *Die sequenti omnes congregantur in Proseucham.* Et §. 57. Illorum tamen sententiae, qui προσευχὴν hic interpretantur *preces*, fauere videtur alius Iosephi locus, eodem Lib. §. 57. εἰς εὐχὰς (seu, vt alii, προσευχὰς) ἡμῶν τραπομένων, *cum ad preces conuerteremur*, praesertim quia articulus abest, vt in h. l. Iosephi. Sed prius malim.

CAPVT XVII.

V. 22. Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ) Mihi non dubium eſt, quin Paullus vocem δεισιδαιμονεστέρους ſenſu bono, pro *hominibus religionis pietatisque in Deos maxime ſtudioſis*, ceperit, vt ſub initium orationis beneuolentiam Athenienſium captaret. Neque enim credibile, aut prudentiae Paulli conueniens videtur, in ipſo limine orationis eum tam odioſo, et ad animos Athenienſium irritandos apto vocis ſignificatu vſum eſſe. Vide cum de toto hoc in vniuerſum Paulli Athenienſi negotio, tum inprimis oratione ad Athenienſes habita, elegantiſſime doctiſſimeque diſputantem MOSHEMIVM, V.S.R. in Doctr. Mor. T. III. p. 159. ſqq. Δεισιδαιμονίαν autem, vnde δεισιδαιμονέστερος, etſi malo ſenſu ſaepiſſime ſumi non ignoro, ſaepe tamen eſt, vbi ſenſu bono, pro *pietatis ſtudio*, occurrit. Apud Ioſephum A. X, 3, 2. de rege Manaſſe; Γενόμενος εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, τῶν μὲν προτέρων ἁμαρτημάτων περὶ τὸν Θεὸν, καὶ τὴν μνήμην ἐσπούδαζεν, εἰ δυνατὸν αὐτῷ γένοιτο, τῆς ψυχῆς ἐκβαλεῖν, ὧν μεταβουλεύειν ὥρμητε, καὶ πάσῃ χρῆσθαι περὶ αὐτὸν ΔΕΙΣΙΔΑΙΜΟΝΙΑι· *Cum Hieroſolyma veniſſet, id modis omnibus agebat, vt vel memoriam priorum de Deo errorum, quorum iam poenitere coepit, ex animo eiiceret, quoad eius fieri potuit, omnique erga eum religione ſemet obligaret.* Sic apud eundem in Decretis Aſiaticis pro Iudaeis, a IAC. GRONOVIO collectis, p. 6. ΔΕΙΣΙΔΑΙΜΟΝΙΑΣ ἕνεκα στρατείας ἀπέλυσα, *religionis cauſa Iudaeis veniam militiae conceſſi.* Vid. ibi GRONOVIVS. Neque dubito, quin in his ipſis Act. Apoſt. c. XXV. 19. haec vox bono quoque ſenſu capienda ſit, licet aliter videatur WOLFIO.

v. 26. Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος) Iam notatum praeſtantiſſimo WOLFIO, αἷμα hic *ſemen*, *genus*, denotare: qua notione eſt apud Ioſephum A. II, 6, 3. in Apologia Rubeni pro familia ſua: Ἐσμὲν ἀδελφοὶ καὶ κοι-

νὸν

νὸν ΑΙΜΑ, *nos fratres ſumus, et ex eodem ſemine prognati.* Nec diſſimili fere ſenſu apud eundem de *genere*, XX, 10, 1. πάτριόν ἐςι μηδένα τῦ Θεῦ τὴν ἀρχιερωσύνην λαμβάνειν, ἢ τὸν ἐξ ΑΙΜΑΤΟΣ Ἀαρῶνος· *Ex patrio inſtituto nemo Pontifex creari poteſt, niſi ex genere Aaronis oriundus*; ſequitur enim mox, ἑτέρῳ δέ τῦ ΓΕΝΟΥΣ ȣ̓δ᾽ ἂν βασιλεὺς ὢν τύχῃ τεύξεσθαι ἀρχιερωσύνης.

v. 30. Τὲς μὲν ȣ̓ν χρόνȣς τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς) Omnino audax et inepta eſt HOMBERGII coniectura, pro ὑπεριδὼν legentis ὑπερείδων, *ſuffulciens*, *ſubueniens*. Diuinationes in aliud tempus differendae erant. Neque felicius COCCEIVS eiusque ſequaces, qui ὑπεριδεῖν *diſſimulare* interpretantur: qui denique huius vocis hanc vim eſſe volunt, vt *deſpicere et cum indignatione contemnere* denotet, non male illi quidem, ſed vim veram vocis nondum aſſequuntur. Quid multa? ὑπεριδεῖν h. l. eſt *condonare*, *remittere*. Reſpondet haec vox Ebraico עבר, *tranſiit*, quod in Hiphil et Hitphaël ſignificat *condonare*, vnde ſaepe a LXX. Senioribus per παριέναι, *praetermittere* exprimitur. Commode etiam poſſis cum Ebraico הִתְעַלֵּם comparare, quod Deuter. XXII. 1. LXX. Seniores ὑπεριδεῖν ἀσεβείας reddiderunt. Inprimis autem hunc vocis ſignificatum confirmat illuſtris Ioſephi locus A. II, 6, 9. vbi in oratione Iudae ad Ioſephum pro Beniamine, inter caetera haec; τὸ περὶ μικρῶν ζημιωμάτων ἀφεῖναι τὲς πλημμελήσαντας, ἔπαινον ἤνεγκε τοῖς ΥΠΕΡΙΔΟΥΣΙ, *Qui leuiter delinquentibus* CONDONANT, *magnam laudem conſequi ſolent*: quod hic ὑπεριδεῖν dixit, paullo ante per συγγινώσκειν expreſſit.

v. 31. Πίςιν παρασχὼν πᾶσιν) Etſi Theologi noſtri tantum non omnes haec verba *de verbo ſaluifico, quo Deus fidem operatur in omnibus non reluctantibus*, accipiunt; tamen orationis Paulli conſilio accommodatius cum alii, tum inprimis RAPHELIVS, παρέχειν πίςιν interpretantur *confirmare*, *probare*, *fidem facere*: quo ſenſu haec loquendi ratio ſaepiſſime apud optimum quemque Scriptorem

P 5 occur-

occurrit. Exemplis a RAPHELIO in hanc rem iam ex Polybio allatis, addatur hoc ex Iosepho, A. II, 9, 4. τοῖς μέντοι προκατηγγελμένοις ὑπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ ΠΙΣΤΙΝ ὁ τοκετὸς τῆς γυναικὸς ΠΑΡΕΙΧΕ, *His tamen, quae pronunciata erant a Deo, FIDEM FECIT mulieris partus.* Contrarium est πίςιν λαμβάνειν, ibid. 12, 3. Θεὸς ἐκέλευσε τε τὴν βακτηρίαν ἐπὶ τὴν γῆν ἀφέντα, ΠΙΣΤΙΝ, ὧν ὑπισχνεῖται, ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ, *Deus iussit, vt Moses, virga in terram proiecta, fidem promissorum acciperet.* Sensus igitur huius loci est: *fidem omnibus fecit eo, quod Christum interfectum reuocauit in vitam.* Quod luculentissime ipse Paullus interpretatur, Rom. I. 4. τȣ̃ ὑιȣ̃ ἀυτȣ̃ - - τȣ̃ ὁρισθέντος ὑιȣ̃ Θεȣ̃ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναςάσεως νεκρῶν.

CAPVT XVIII.

V. 10. Οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι) Vocem ἐπιθέσθαι duplici inprimis sensu apud Iosephum deprehendi: quorum prior est, quo *hostiliter aliquem aggredi, eique violentas manus inferre* denotat. A. I, 20, 1. de Iacobo, infensi fratris Esaui impetum excepturo: Νείμας τȣ̀ς σὺν ἀυτῷ, τȣ̀ς μὲν προὔπεμπε, τȣ̀ς δὲ λειπομένȣς ἄσσον ἐκέλευσεν ἀκολȣθεῖν· ὅπως, ἐι βιασθεῖεν οἱ προπεμφθέντες, ΕΠΙΘΕΜΕΝΟΥ τȣ̃ ἀδελφȣ̃, καταφυγὴν ἔχοιεν πρὸς τȣ̀ς ἑπομένȣς *Iis, qui secum erant, distributis, alios quidem praemittebat, alios vero post tergum proxime sequi iubebat, vt, si praemissi forte vi opprimerentur, Esauo illos AGGREDIENTE, ad sequens agmen haberent refugium.* IX, 9. de Amasia, Rege Iudaeae, Παρελθὼν ἐπὶ τὰ πράγματα καὶ τὴν ἀρχὴν, ἔγνω δεῖν πρῶτον Ἰωάσῳ τιμωρῆσαι τῷ πατρὶ, καὶ τȣ̀ς ΕΠΙΘΕΜΕΝΟΥΣ ἀυτῷ φίλȣς κολάσαι *Cum imperio rebusque gerendis admotus esset, statuit, Ioasum patrem sibi inprimis vindicandum esse, eosque suorum, qui MANVS ei INTVLERANT, poena afficiendos.* Posterior est, *insidias struere*, v. c. IX, 7, 2. Sed prior significatus magis huc facit.

v. 24.

v. 24. Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει) *patria Alexandrinus.* De origine Iudaeorum Alexandrinorum eſt inſignis locus Ioſephi, A. XII, 1, 1. Ὁ Πτολεμαῖος (Lagi fil.) πολλοὺς αἰχμαλώτους λαβὼν, ἀπό τε τῆς ὀρεινῆς Ἰουδαίας etc. ſed longior, quam vt huc referri totus poſſit, eumque apud ipſum Ioſephum legant ſtudioſi; cui iungendus alter, XIX, 5, 2. in Edicto Claudii pro Iudaeis Alexandrinis: Ἐπιγνοὺς ἀνέκαθεν τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίους, Ἀλεξανδρεῖς λεγομένους, συγκατοικισθέντας τοῖς πρώτοις εὐθὺ καιροῖς, Ἀλεξανδρεῦσι, καὶ ἴσης πολιτείας παρὰ τῶν βασιλέων τετυχηκότας κ.τ.λ. *Olim iam cognitum habuimus, Iudaeos, qui Alexandriae ſunt, et Alexandrini appellantur, ſtatim ab vrbe condita, vna cum Alexandrinis habitatum miſſos, et ius ciuitatis ex aequo a regibus conſecutos eſſe* etc.

Ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς) Mihi non dubium eſt, quin λόγιος h. l. ſit, *qui facundia dicendique vbertate et vi pollet*: quae fere propria et genuina huius vocis ſignificatio eſt. Sic apud Ioſephum Lib. I. de B. I. prooem. §. 5. οἱ Ἑλλήνων λόγιοι ſunt *Graecorum Hiſtorici, dicendi vbertate copiaque florentes*, quibus mox tribuit, τὸ τῶν ἄλλων τῷ λόγῳ πλεονεκτεῖν, *vt alios hiſtoricos dicendi copia et vi ſuperent:* et A. XVII, 6, 2. Ἦσαν Ἰούδας ὁ Σαριφαίου καὶ Ματθίας ὁ Μαργαλώθου, Ἰουδαίων ΛΟΓΙΩΤΑΤΟΙ, καὶ παρ' οὕστινας τῶν πατρίων ἐξηγηταὶ νόμων. *Erant Iudas Sariphaei et Matthias Margalothi filii, Iudaeorum eloquentiſſimi, et legis patriae interpretes praeſtantiſſimi:* vbi aeque *facundia* cum *interpretandae Scripturae S. facultate* coniungitur, vt hic λόγιος et δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς.

CAPVT XIX.

V. 1. Τὰ ἀνωτερικὰ μέρη) Per ſuperiores illas vlterioresque partes intelligendae ſunt regiones, quae orienti ſoli ſunt propiores. Apud Ioſephum A. XII, 3, 3. ὁ τοῦ Πτολεμαίου ϛρατηγὸς Σκόπας, ὁρμήσας εἰς τοὺς ΑΝΩ

τόπους,

τόπεις, *Scopas, copiarum Ptolemaei dux, cum ad regiones superiores, f. ad mediterranea, impetum vertisset*: eodem sensu ibid. 9, 1. ἡ ΑΝΩ χώρα, *superioris continentis tractus*: XIII, 7. ἡ ΑΝΩ Συρία est *Syria Mediterranea*, cui XII, 3, 1. ἡ Συρία κάτω opponitur; et in Prooem. de B. I. §. 1. οἱ ΑΝΩ βάρβαροι sunt *superioris continentis incolae*, Parthi, Babylonii, Arabum remotissimi, Iudaei trans-Euphratenses; ad quem locum, dignus est qui legatur, ALDRICHIVS.

ἐλθεῖν εἰς Ἔφεσον) In qua vrbe magna Iudaeorum multitudo, quibus, Romanorum Proconsulum liberalitate, magna priuilegia aedium sacrarum, synagogarum, aliorumque commodorum concessa erant. Iosephus XIV, 10, 13. de L. Lentulo Consule: Πολίτας Ῥωμαίων Ἰουδαίους, ἱερὰ Ἰουδαϊκὰ ἔχοντας καὶ ποιοῦντας ἐν Ἐφέσῳ, πρὸ τοῦ βήματος, δεισιδαιμονίας ἕνεκα, στρατείας ἀπέλυσα, *Ciues Romanos Iudaeos, Sacra Iudaica habentes, iisque operantes in vrbe Ephesο, pro tribunali, religionis causa, a militia dimisi*: et paullo post: ὑμᾶς τε βούλομαι φροντίσαι, μήτις -- διενοχλῇ. *Vosque volo curare, ne quis his Iudaeis molestiam creet.*

v. 13. Περιερχομένων Ἰουδαίων ἐξορκιστῶν) Cum ipse Saluator Luc. XI, 19. doceat, Iudaeos reuera daemonia eiecisse, rationi DALENII in Dissertatt. Idololatr. C. VI. cedere non possumus, contendentis, istos homines meros fuisse impostores. Tales Exorcistas, qui, quarundam formularum incantationumque ope, daemonia eiecerunt, inter Iudaeos fuisse, illustris Iosephi locus, vbi huius rei auctorem ipsum Salomonem edit, docet, A, VIII, 2, 5. Et mox addit, se suis oculis vidisse aliquem hoc sanationis genere a quodam daemone liberatum.

v. 29. ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον) Plerique ὁμοθυμαδὸν reddunt *unanimiter*, quod huic loco non conuenit; mihi potius reddendum videtur, *simul, coniunctim*, aut etiam *confertim*. Ios. A. XV, 8. 2. ΟΜΟΘΥΜΑΔΟΝ ἐξεβόων, *vna omnes vociferabantur*: et XIX, 9, 1. τὰς ἀνδριάντας τῶν τοῦ βασιλέως θυγατέρων ἁρπάσαντες, ΟΜΟΘΥΜΑ-

ΜΑΔΟΝ ἐκόμισαν εἰς τὰ πορνεῖα· *Filiarum regis statuas abreptas, simul in lupanaria deportarunt.* Caeterum, qui morum Graecorum ignari sunt, haud dubie mirabuntur, quare ista furibundi populi concursatio in theatrum inprimis fuerit facta, et Caius Aristarchusque eo fuerint tracti. Scilicet in institutis Graecarum ciuitatium fuit hoc, vt de rebus grauioribus, ad rempublicam spectantibus, in theatris ageretur, concionesque ibi haberentur, vt adeo prope fori loco fuisse videantur. Et conciones in theatro fuisse habitas, vel hic Iosephi locus testatur, XVII, 6, 3. Βασιλεὺς ἐξέπεμπεν εἰς Ἱεριχοῦντα, καλέσας Ἰουδαίων τοὺς ἐν τέλει· καὶ παραγενομένων, ἐξεκκλησιάσας εἰς τὸ ΘΕΑΤΡΟΝ, *Rex Hierichuntem nuncios misit, Iudaeorum principes eo arcessens: cumque illi conuenissent, concionem conuocauit in theatrum:* et VII. B. I, 3, 3. τοῦ δήμου τῶν Ἀντιοχέων ἐκκλησιάζοντος εἰς τὸ ΘΕΑΤΡΟΝ, τόντε πατέρα τὸν αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἄλλους ἐνεδείκνυτο κατηγορῶν, *Cum Antiochensium populus in concionem congregatus esset, in theatrum progressus, cum patrem suum, tum alios accusauit*: plane vt hic Caium et Aristarchum in *theatro* accusasse dicuntur. Sed de hoc Graecorum more disputabamus pluribus in *Commentario ad Decret. Flauian.* p. 86.

v. 30. Τοῦ δὲ Παύλου βουλομένου εἰσελθεῖν εἰς τὸν δῆμον) Εἰσελθεῖν et παρελθεῖν εἰς δῆμον, formula Graecis solemni, dicuntur, *qui in concionem prodeunt, de rebus paullo grauioribus apud populum acturi.* Saepe ita apud Demosthenem, Oratoresque Atticos alios. Neque aliter apud Iosephum, XIII, 16, 1. οἱ δ' εἰς τὸ πλῆθος ΠΑΡΕΛΘΟΝΤΕΣ ἐδημηγόρουν· *Hi autem in concionem progressi, orationem habuerunt.* XIV, 18, 24. οἱ κατοικοῦντες ἡμῶν ἐν τῇ πόλει Ἰουδαῖοι πολῖται, ΕΙΣΕΛΘΟΝΤΕΣ ἐπὶ τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, παρεκάλεσαν· *Ciues Iudaei, vrbem hanc nostram incolentes, ingressi ad Senatum et populum, rogarunt.* Paullus igitur voluit εἰσελθεῖν εἰς τὸν δῆμον, h. e. *prodire in concionem populi*, se causamque suam defensurus.

v. 35.

v. 35. Καταςείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον) Recte defendit receptam hanc lectionem praestantissimus WOLFIVS, reiecta altera, καταστείσας, quae MILLIO arrisit et defensa est: male! cum sit ab hoc loco maxime aliena, haec autem ei optime conueniat. Καταςέλλειν enim elegantissime apud optimum quemque Scriptorem dicuntur, *qui animos tumultuantium concitatos sedant et componunt.* Iosephus A. I, 1. 2. τοῦ δὲ θορύβου ΚΑΤΑΣΤΑΛΕΝΤΟΣ, *Tumultu autem sedato.* XIV, 9, 1. ὁ Καῖσαρ τὸν κατὰ τὴν χώραν θόρυβον ἐπιὼν ΚΑΤΕΣΤΕΑΛΕΝ, *Caesar, obiens regionem, tumultum, qui in ea erat, compescuit.* XVI, 3, 1. τῶν μειρακίων ΚΑΤΑΣΤΑΛΕΝΤΩΝ, *repressa iuuenum audacia:* pro eo est ἀναςέλλειν, sensu eodem, Lib. XIV, 16, 3. ὁ δὲ βασιλεὺς τοὺς μὲν παρακαλῶν, τοὺς δὲ ἀπειλῶν, ἐςι δ' οὓς καὶ τοῖς ὅπλοις ΑΝΕΣΤΕΙΛΕΝ, *Verum rex partim precibus, partim minis, nonnullos etiam armis oppressit.* XVI, 1, 1. ὁ βασιλεὺς ἐσπουδακὼς τὰς κατὰ μέρος ἀδικίας ΑΝΑΣΤΕΙΛΑΙ, *Rex cum operam dedisset, vt priuatas omnes iniurias coërceret.*

Τίς γάρ ἐςιν ἄνθρωπος) Illud γὰρ hic non habere videtur, quo referatur: nec quicquam praecessit, cuius τὸ γὰρ reddat rationem, cum sit ipsum Orationis initium. Viros igitur Doctos plerosque τὸ γὰρ pro otioso habere video, et, quemadmodum in Latinorum *Quid nam*, ita γὰρ, τῷ τίς adiunctum, inprimis in interrogationibus, παρέλκειν et abundare: Quod mihi secus videtur. Notent igitur tirones, apud Graecos γὰρ elegantissime in principio orationis paullo vehementioris et concitatioris ita poni, vt sententia aliqua, a dicente in illo loquendi ardore et impetu omissa, a lectore supplenda sit, cuius τὸ γὰρ rationem reddat. Sic apud Iosephum B. I. III, 8, 5. ipse Iosephus, consternatus, et veritus, ne Iudaei in ipsum impetum facerent, eos ab isto consilio auocare conatur, orationemque incipit his verbis: τί ΓΑΡ τοσοῦτον σφῶν αὐτῶν, ἑταῖροι, φονῶμεν; *Quorsum ENIM, o socii; propriae caedis adeo auidi sumus?* vbi sole clarius, ante τί γὰρ sententiam, cu-

cuius γὰρ rationem reddat, hanc aut similem omissam esse: *rogo obtestorque vos, illud consilium deponatis*: Quorsum ENIM etc. Neque aliter apud Latinos; quo refero illud Virgil. Georgic. IV. v. 445. vbi Proteus iuuenem, quem in antro suo deprehenderat, ira incitatus, ita alloquitur: *NAM quis te, iuuenum confidentissime, nostras Iussit adire domus?* Vbi illud *nam*, in ipso orationis limine positum, indicat, omissum esse, *parum est, quin te furcis expellam*: NAM quis te etc. Sed hoc melius mente lectoris suppletur, quam oratione dicentis, ira concitati, exprimitur. Sed de eleganti hoc τοῦ γὰρ vsu pluribus supra disputabamus ad Matth. XXVII. 23. vbi contra H. STEPHANVM, RAPHELIVM, aliosque, exemplis, in fallimur, luculentissimis ostendebamus, τὸ γὰρ, in interrogationibus τῷ τίς iunctum, minime suam vim amittere. Eadem ratio huius loci est, in quo τὸ γὰρ in ipso orationis initio adhibetur: quod vt suam vim obtineat, mente supplendum est: *Non est, quod tantopere ira ob honorem Dianae vindicandum commoveamini.* NAM *quis est, quin sciat, Ephesum* etc. Et sic in multis locis aliis.

v. 38. Ἀγόραιοι ἄγονται) Iam dudum Viris doctissimis, CASAVBONO, SALMASIO, ERASMO SCHMIDIO aliisque obseruatum, omnino h. l. scribendum ἀγόραιοι, non, vt vulgo, ἀγοραῖοι. Sed surdis auribus ista narrarunt: cum etiamnum in Editionibus plerisque fere omnibus exhibeatur ἀγοραῖοι, magno errore, licet hanc vitiosam lectionem DIETERICVS in Antiquitatt. Bibl. N. T. I. p. 33. multis defendere conetur. Nam ἀγοραῖος dicitur de hominibus, *qui omne fere tempus in foro, inepta curiositate ducti, consumunt, concionibusque adfixi haerent.* Aristophani tales homines male feriati dicuntur περιτρίμματα ἀγορᾶς, Latinis *circumforanei, subrostrani, et canalicolae.* Vid. GRAEVII Lect. Hesiod. C. I. Ἀγόραιος contra ea dicitur *de rebus, quae in foro aguntur*; vnde ἀγόραιοι κρίσεις, *iudicia, quae in foro exercentur.* Igitur ἀγόραιοι, sc. ἡμέραι,

sunt

sunt dies iudiciis in foro habendis constituti. Ἀγοραίους ἡμέρας ἄγεσθαι, idem est, quod Latinis, *conuentus agere.* Et sic apud optimum quemque auctorem. Iosephus A. XIV, 10, 21. Πρυτάνης Ἑρμοῦ υἱὸς, πολίτης ὑμέτερος, προσελθών μοι ἐν Τράλλεσιν ἄγοντι τὸν ἀγόραιον (non ἀγοραῖον) *Prytanes Hermae filius, ciuis vester, cum ad me venisset in vrbe Trallibus, vbi conuentum agebam.* Caeterum praestantissimus WOLFIVS, qui ἀγόραιοι h. l. malit accipere *de personis seu viris, ad caussas cognoscendas pertinentibus, qui scilicet conuocari solere hic dicantur,* humanitus errat.

CAPVT XX.

V. 11. Οὕτως ἐξῆλθεν) οὕτως h. l. est particula *illatiua* s. *consecutiua*, respondens Germanorum So in eadem re. Exempla in hanc rem supra dedimus ad Ioh. IV. 6.

v. 14. Ὡς δὲ συνέβαλεν ἡμῖν) *Cum in nos in itinere incidisset, seque nobiscum iunxisset.* Haec enim huius loquendi formulae vis. Sic Iosephus A. II, 7, 5. Μαθὼν δὲ Ἰώσηπος παραγενόμενον τὸν πατέρα, καὶ γὰρ προλαβὼν Ἰούδας ὁ ἀδελφὸς ἐδήλωσεν αὐτῷ τὴν ἄφιξιν, ὑπαντησάμενος ἔξεισι, καὶ καθ' Ἡρώων πόλιν αὐτῷ ΣΥΝΕΒΑΛΕΝ· *Iosephus autem, cognito, patrem aduentare, (etenim Iudas frater praecurrens ipsi id significauerat) obuiam iturus egreditur, atque ei ad Heroum vrbem occurrebat.* A. VI, 42. ΣΥΜΒΑΛΕΙΣ τῷ σεσῶσθαι σοι τὰς ὄνους εὐαγγελιουμένῳ· *Occurres homini, qui tibi nunciabit, asinos esse saluos.* et ibid. 13, 2. Ἰωνάθης ὁ τοῦ Σαούλου παῖς ΣΥΜΒΑΛΩΝ αὐτῷ. *Cum Ionathas, filius Sauli, Dauidem in itinere offendisset.* Sic aliis locis multis, v. c. VIII, 9, 1. 13, 8. IX, 6, 5.

v. 15. Παρεβάλομεν εἰς Σάμον) *Appulimus ad Samum.* Iosephus XVIII, 6, 4. Ἀγρίππας δὲ εἰς Ποτιόλους ΠΑΡΑΒΑΛΩΝ, *Agrippa vero cum Puteolos appulisset:* et paullo post, εἰς Καπρέας ΠΑΡΑΒΑΛΕΙΝ: neque aliter

Lib.

Lib. I. contra Apion. §. 22. ΠΑΡΑΒΑΛΩΝ εἰς αὐτοὺς τόπους, *Cum ad eadem loca appulisset.*

v. 20. Ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων) Ὑποστέλλεσθαι hic est, *dissimulare, celare, subducere*: quem significatum confirmant aliquot illustria Iosephi loca. In vita ipsius §. 54. Ἰησοῦς ἄρχων, οὐδὲν ΥΠΟΣΤΕΙΛΑΜΕΝΟΣ, ἀναφανδὸν εἶπεν· *Iesus, qui vrbi praeerat, nihil dissimulans, aperte dicebat.* B. I. I, 20, I. Μηδὲν τῆς ἀληθείας ΥΠΟΣΤΕΙΛΑΜΕΝΟΣ ἀντικρὺς εἶπεν· *Nihil de veritate subducendo, libere dicebat.* Eodem Lib. 23. 3. τὰ μὲν ἁμαρτήματα τοῦ πατρὸς αἰδημόνως ΥΠΕΣΤΕΙΛΑΤΟ *Delicta patris verecunde dissimulauit et suppressit*: et 26, 2. μηδὲν ΥΠΟΣΤΕΛΛΟΜΕΝΟΣ, Ἀλέξανδρος, τά τε κατὰ Ἀντίπατρον ἀπωδύρετο πρὸς αὐτόν· *Alexander nihil dissimulans, in sinum eius, quae haberet contra Antipatrum, effudit.* Quae loca BOISIVM ab illa sollicitudine, dubitationeque liberare poterant, vtrum in hoc Actorum loco οὐδὲν ad ὑπεστειλάμην sit, an ad ἀναγγεῖλαι, referendum. Omnino enim ad vocem ὑπεστειλάμην est referendum. Caeterum de hac voce accurate disputat VIGERVS de Idiotismis Gr. L. p. m. 241. seq. Alio sensu autem ea capienda est v. 27. vbi Paullus dicit, Οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι, quod alii aliter reddunt; mihi exponendum videtur: *Ego enim non impeditus sum, s. impediri me passus sum, quo minus vobis annunciarem.* Subintelligendum autem videtur φόβῳ, quam vocem diserte addit Iosephus A. II, 5, 5. vbi Pharao Iosephum, somnia ipsius interpretaturum, cohortatur, vt nullo timore impediri se patiatur, quo minus veram somniorum interpretationem proferat: Βούλομαι δέ σε μηδὲν ΥΠΟΣΤΕΛΛΟΜΕΝΟΝ ΦΟΒΩι κολακεῦσαι λόγῳ ψευδεῖ καὶ τῷ πρὸς ἡδονήν, ἂν τἀληθὲς σκυθρωπότερον ᾖ· *Volo autem, ne, timore impeditus, oratione ad gratiam aut voluptatem ficta aduleris, si iniucunda et molesta sit veritas*: A. VI, 5, 5. vbi Samuelus populum ita alloquitur: ἐπόμνυμαι ὑμῖν -- μηδὲν μήτ' αἰδοῖ χαριζομένους μήθ' ΥΠΟΣΤΕΛΛΟΜΕΝΟΥΣ φόβῳ, μη-

μήτε ἄλλῳ τινὶ πάθει παραχωρεῖν -- εἰπεῖν, Adiuro vos - - vt neque pudori cedentes, neque timore impediti, neque vlli adfectui obsequentes, dicatis.

CAPVT XXI.

v. 15. Ἀποσκευασάμενοι) Altera lectio, ἐπισκευασάμενοι, illam dubiam reddit, vt difficile videatur, secundum alterutram pronunciare. Nos, quae de vocis ἀποσκευάζεσθαι notione apud Iosephum obseruauimus, afferemus, videbimusque, an eorum ope ἀποσκευασάμενοι in hoc loco stabiliri possit. Igitur ἀποσκευάζεσθαι est, *aliquid ex loco amouere, auferre.* Sic A. XIV, 16, 2. de Iudaeis Hierosolymae obsessis, τά τε ἐκτὸς τῆς πόλεως ΑΠΕΣΚΕΥΑΣΑΝΤΟ, ὡς μηδ' ἐσα τρεφῇ δύναιτο εἶναι ὑπολιπεῖν ἢ ἀνθρώποις, ἢ ὑποζυγίοις, *omnia extra vrbem sustulerunt, vt nec alimenta relicta essent hominibus aut iumentis:* ad quem significatum referendus ille translatus, quo quis *ex medio tolli* dicitur, vt A. II, 6, 2. Ἐδεδίει μὴ κἀκεῖνον -- ἐὰν ΑΠΕΣΚΕΥΑΣΜΕΝΟΙ τῦ γένυς, *veritus, ne enm de medio sustulerint, et ex familia deleuerint.* B. I. I, 31, 1. τούτυς - - - ΑΠΟΣΚΕΥΑΣΑΣΘΑΙ σπεύδων Ἀντίπατρος hos *Antipater e medio tollere studebat :* et ib. II, 18, 2. ΑΠΕΣΚΕΥΑΣΘΑΙ γὰρ τὺς Ἰυδαίυς δοκῦντες ἕκαςοι, *Nam cum singuli existimarent, Iudaeos e medio esse sublatos.* Non dissimili fere sensu ib. I, 13, 5. ὁ Πάρθος, ἀπολογίαις τε καὶ ὅρκοις ΑΠΟΣΚΕΥΑΣΑΜΕΝΟΣ τὴν ὑποψίαν, ᾤχετο πρὸς Πάκορον· *Parthus, cum defensionibus, et iureiurando omnem suspicionem a se amouisset, ad Pacorum ibat.* Ex hoc autem Vocis vsu, ἀποσκευασάμενοι denotet, *Sarcinis*, impedimentis quippe itineris, *depositis :* vt nonnulla eorum, quae secum, tam longum iter facturi, adportarint, deposuerint, tanquam minus nunc necessaria, Hierosolymis quippe iam vicinioribus. Sed mihi magis arridet altera illa lectio, ἐπισκευασάμενοι, et Patribus quibus-

dam

dam probata, et huic loco magis conueniens. Ἐπισκευάζειν est, *ſuppellectilem itineris plauſtris aut iumentis imponere*: ergo in Medio h. l. eſt, *ſarcinas ſibi imponere.*

v. 23. Εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν) Iam CAPELLO et GROTIO notatum, hoc votum non fuiſſe Naſireatus, vt vulgo exiſtimant, ſed conceptum ob liberationem vel a morbo, vel aliquo periculo et calamitate: de cuius generis voto eſt apud Ioſephum B. I. II, 15, 1. de Berenice: Ἐπεδήμει ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, ΕΥΧΗΝ ἐκτελοῦσα τῷ Θεῷ· τοὺς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένους, ἢ τισιν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξασθαι καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας· *Hieroſolymis agebat, vt vota Deo ſolueret. Nam iis, qui morbo laborauerant, aut in anguſtias quaſcunque coniecti fuerant, moris erat, precibus vacare XXX. diebus, antequam victimas oblaturi eſſent, et vino abſtinere, et radere comam.*

v. 38. Οὐκ ἄρα σὺ εἶ ὁ Αἰγύπτιος) De hoc Pſeudopropheta, populique Iudaici concitatore narrat Ioſephus A. XX, 8, 6. quem locum ibi legant ſtudioſi. Adiungent alterum locum B. I. II, 13, 5. de eadem re. Haec duo loca ſi inter ſe conferent, et cum hoc Actorum comparabunt, invenient, non ſolum Ioſephum a Luca, ſed a ſe ipſo videri diſcrepare. Nam Lucas tradit, τετρακισχιλίους, *quatuor millia hominum*, fuiſſe, quae hunc impoſtorem ſint ſecuta, Ioſephus autem, loco poſteriori, τρισμυρίους, *triginta millia*. Quomodo igitur Ioſephus cum Luca in concordiam redigendus? Scilicet aut cum VALESIO dicendum eſt, numerum promiſcuae multitudinis perueniſſe quidem ad *triginta millia* hominum, ex illis autem tantum *quatuor millia* fuiſſe ſicariorum, quorum hic meminit Lucas: aut cum GROTIO ſtatuendum, horum nebulonum fuiſſe in initio non niſi *quatuor millia*, poſtea vero eorum multitudinem creuiſſe *ad triginta millia*. Difficilius autem videtur, Ioſephum cum ipſo Ioſepho conciliare. Quid enim? Poſteriori loco tradit, ſceleratorum iſtorum hominum fuiſſe τρισμυρίους, *triginta millia*, quorum πλεῖστοι, *plerique*, ue-

rint partim capti, partim trucidati. Quot igitur capti et trucidati sunt? nempe *sexcenti*: id enim diserte ipse Iosephus tradit loco priori. Quid autem isti *sexcenti* ad illa *triginta millia*, quorum *maxima pars illi sexcenti* fuisse dicuntur? Huic difficultati tollendae afferri posse putat ALDRICHIVS hoc, ut pro διακοσίες legatur δισχιλίες, quod propius ad τετρακισχιλίων numerum accedat. Sed ne sic quidem impedita ista res satis expeditur. Quicquid autem hic difficultatis est, aliquando, vt speramus et optamus, tollet IO. AVG. ERNESTI, a cuius exquisita et accurata doctrina exspectamus *Lectiones Flavianas*.

CAPVT XXII.

V. 3. Πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τῦ πατρώυ νόμυ) Haec cura et diligentia, non dubium est, quin spectet ad ceremonias et instituta maiorum, in quibus exponendis, aliisque commendandis, Pharisaeorum studium versatum esse, constat. Confirmat Iosephus A. XVII, 3.4. Ἦν μόριόν τι Ἰυδαικῶν ἀνθρώπων ἐπ' ΑΚΡΙΒΩΣΕΙ μέγα Φρονῦν τῦ πατρίυ νόμυ: *Erat Iudaeorum quaedam secta, qui legis accuratam cognitionem profitebantur, et ea se efferebant.* Et B. I. II, 8. 14. Φαρισαῖοι, οἱ δοκῦντες μετὰ ΑΚΡΙΒΕΙΑΣ ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα καὶ τὴν πρώτην ἐπάγοντες αἵρεσιν· *Pharisaei, qui in accuratioribus legum interpretibus habentur, et primae apud Iudaeos sectae auctores sunt.* Add. B. I. I, 5, 2. et de Vita sua §. 38.

v. 28. Ἐγὼ πολλῦ κεφαλαίυ τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην) Non noue, vt BEZA putat, κεφάλαιον pro *pecuniae summa* adhibitum est, cum ita sit apud optimum quemque. Iosephus A. XII, 2. 2. In Edicto Ptolomaei pro manumittendis Iudaeis: ἀπολύειν κελεύω τὺς ἐν ταῖς οἰκετείαις ὄντας Ἰυδαίυς, τὸ προγεγραμμένον κομιζομένυς ὑπὲρ αὐτῶν ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ τὺς κεκτημένυς· *Impero iis, qui Iudaeos habent in suo seruitio, vt eos domini manumittant, pro praescripta pecuniae summa.* Et Cap. IV. eiusdem

dem Lib. §. I. *διαιρεθέντων εἰς ἀμφοτέρους τοὺς βασιλεῖς τῶν φόρων, καὶ ἰδίας ἕκαστοι τῶν ἐπισήμων ὠνοῦντο πατρίδας φορολογεῖν, καὶ συναθροίζοντες το προστεταγμένον* ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ, *τοῖς βασιλεῦσιν ἐτέλουν·* *Diuisis in duos reges tributis, optimates suae quisque patriae tributa redimebant, et redactam, quae imperata erat, pecuniae summam regibus pendebant.*

CAPVT XXIII.

V. I. *Πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ*) Mira dissensio Virorum doctorum de huius vocis significatione est, cum alii aliam ei tribuant, vt videre licet apud WOLFIVM. Nos, quas in lectione Iosephi diuersas huius Vocis significationes obseruauimus, afferemus, et videbimus, quae huic loco omnium optime conueniat. Igitur *πολιτεύεσθαι* I) est, *instituta in Republica facere, ad quorum normam mores vitaeque ratio est componenda.* Sic est A. IV, 2, 1. *ὅσα Μωϋσῆς* ΕΠΟΛΙΤΕΥΣΑΤΟ, *διηγήσομαι, Quae Moses constituit, narrabo.* Vnde II) *secundum instituta et praescripta viuere.* A. III, 5, 8. de Mose, ex monte Sinai in Castra regresso, *χαρᾶς ἐνέπλησε τὴν στρατιὰν ἐπιφανεὶς, καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν, ἣν εἶχε περὶ αὐτῶν, ἀπεδήλου, τόν τε τρόπον, καθ' ὃν εὐδαιμονήσουσι* ΠΟΛΙΤΕΥΟΜΕΝΟΙ, *λέγων, αὐτῷ κατὰ ταύτας ὑποθέσθαι ἡμέρας· Eo conspecto, totus exercitus gaudio impletur: moxque iis exposuit, quantam curam salutis ipsorum Deus habuerit; dixitque, per illos dies sibi a Deo traditam esse rationem, ex qua si vitam moresque instituerent suos, fore, vt beati viuerent.* Cf. XI, 6, 12. et de Macc. §. 4. III) *de consuetudine*, s. *conuersatione cum aliis* vsurpatur, et denotat, *se erga aliquem quocunque modo gerere et exhibere*, et, *animo quocunque erga aliquem affectum esse.* Hoc sensu est XVII, 1, 2. *Ἀντίπατρος γνώμῃ τῇ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς* ΠΟΛΙΤΕΥΕΙΝ *οὐκ ἔλιπεν καὶ πρὸς παῖδας αὐτοῖς γεγονότας· Antipater autem non cessabat eundem animum erga liberos gerere, quem erga fra-*

fratres habuerat: et Lib. eodem, 5, 4. τάδε μὲν αὐτῷ τῶν ἐνταῦθα ἠγωνισμένων παραδείγματα ἦσαν, τῶν ἀκράτῳ εὐνοίᾳ πρὸς τὸν πατέρα ΠΕΠΟΛΙΤΕΥΜΕΝΩΝ. *Istas, in quas domi venisset, contentiones argumento esse, quam sincera fide et beneuolentia in patrem se gesserit.* Add. 10,7. IV.) denotat *alicui rei studere, eique conuenienter viuere*: qua notione occurrit Lib. eodem, 3, 3. διηγήσομαι δὲ τὸν πάντα περὶ αὐτῦ λόγον, παράδειγμα τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει ἐσόμενον, τῇ ἀρετῇ ΠΟΛΙΤΕΥΕΣΘΑΙ ἐπὶ πᾶσιν. *Totam autem de eo narrationem persequar, vt in posterum hominum generi documento sit, in omnibus rebus virtuti conuenienter esse viuendum.* Add. de Maccab. §. 4. οἱ τῷ πατρίῳ νόμῳ ΠΟΛΙΤΕΥΟΜΕΝΟΙ, *Qui patriis legibus conuenienter viuunt.* Sed inprimis huc facit locus in vita Iosephi §. 49. vbi ipse, muneris male administrati accusatus, inter caetera se defendit his: ἵν' ἐν γνῶτε - - εἴ τι μὴ καλῶς ΠΕΠΟΛΙΤΕΥΤΑΙ. Et hoc vltimo significatu, mihi non dubium est, quin πολιτεύεσθαι hic sit capiendum, et πολιτεύεσθαι τῷ Θεῷ, sit *Deo, eiusque sanctissimae legi conuenienter, atque adeo in ipsius honorem, vitam actionesque instituere suas.*

v. 2. ὁ δὲ Ἀρχιερεὺς Ἀνανίας) Non conuenit satis inter Viros doctos, quis Ananias hic sit intelligendus: Quidam enim de *Anania iuniore* hunc Paullinum Ananiam intelligendum putant, de quo Iosephus A. XX, 9, 1. ὁ βασιλεὺς ἀφείλετο μὲν τὸν Ἰώσηπον τὴν ἀρχιερωσύνην, τῷ δὲ Ἀνάνε παιδὶ, καὶ αὐτῷ Ἀνάνῳ λεγομένῳ, τὴν διαδοχὴν τῆς ἀρχῆς ἔδωκε· *Rex Iosepho pontificatum abstulit, Anani vero filio, ipsi quoque Anano vocato, concessit, vt in istum principatum succederet*: quem mox ita describit: ὁ δὲ νεώτερος Ἄνανος θρασὺς ἦν τὸν τρόπον, καὶ τολμητὴς διαφερόντως, αἵρεσιν δὲ μετῄει τῶν Σαδδεκαίων, *Ananus autem iunior, ferox erat ingenio, et insigniter audax: sectam autem Sadducaeorum sequebatur.* Sed falluntur, qui hunc *Ananum* eundem cum illo Paullino *Anania* faciunt. Nam, ne dicam, ipsam horum nominum diuersitatem

tatem huic sententiae aduersari, temporis ratio obstat, quo minus hic *Ananus* intelligi possit. Hic enim *Ananus* Pontificatum M. nactus est, Festo, Praeside Syriae, iam mortuo, vt diserte tradit Iosephus loco antea laudato: quae autem hoc Actorum loco narrantur, ea acciderunt Praesidibus Felice et Festo. Igitur alius *Ananias* nobis quaerendus est. Mihi quidem animus inclinat eo, vt putem, intelligendum esse illum *Ananiam*, quem Iosephus XX, 9, 2. vocat ἀρχιέρεα, eumque summam beniuolentiam, amplissimumque honorem apud ciues suos consecutum esse scribit. Hunc autem *Ananiam* constat Pontificatu M. functum esse, Quadrato, antecessore Felicis, Syriae praesidente, auctore Iosepho XX, 6, 2. neque dubium est, quin eam dignitatem etiam tempus quoddam retinuerit tum, cum Felix Praeses in Syriam missus esset, sub cuius Praesidio *Ionathas Ananiae* successit in Pontificatu; vid. Iosephus XX, 8, 5. Quoniam autem hic *Ananias* a Quadrato Romam vinctus missus est, rationem Caesari Claudio redditurus; non hunc esse, sed alium Ananiam intelligendum, putat ad h. l. LIGHTFOOTVS: *incertum esse*, inquit, *an vnquam is redierit Hierosolymam; incertius, an ad Pontificatum: incertissimum, an ille Pontificatum iam ageret, cum Paulli causa ageretur, post multos regiminis Felicis annos.* Sed haec dubitatio Viri Doctissimi eam vim non habet, vt nos ab illa sententia demouere possit. Nam, etiamsi *certissimum* non sit, hunc Ananiam Hierosolymas rediisse, Pontificatum iterum accepisse, eoque functum esse tempore Felicis Praesidis; tamen proxime verum est, ista omnia accidisse: in quam sententiam me perduxit Iosephus, quem in hac re iuuat ducem sequi. Is igitur XX, 6, 2. scribit, ob contentionem inter Samaritanos et Iudaeos, et ob studium quorundam Iudaeorum, res nouas moliendi, hunc *Ananiam* Pontificem M. vna cum *Anano*, Praefecto Templi, Romam fuisse missos: ὁ Κυαδράτος τὺς περὶ Ἀνανίαν τὸν ἀρχιερέα, καὶ τὸν ϛρατηγὸν Ἄνανον δήσας εἰς Ῥώμην ἀπέπεμ-

 ψε,

ψε, περὶ τῶν πεπραγμένων λόγον ὑφέξοντας Κλαυδίῳ Καίσαρι *Quadratus Ananiam Pontificem et Ananum, Praefectum Templi, vinctos Romam misit, factorum rationem Claudio Caesari reddituros.* Mihi vero dubium non est, quin Romae, innocentia ipsius cognita, absolutus, Hierosolymas redierit. Huius rei suspicionem mihi iniicit primum id, quod Iosephus ne verbulo quidem tradat, hunc *Ananiam* eiusque comitem Ananum fuisse poena affectos: quod sane indicaturus erat, si tale quid iis accidisset. Nam Cumanum et Celerem, qui eodem tempore, eademque de causa, Romam a Quadrato ad Imperatorem, rationem munerum suorum reddituri, missi erant, diserte Iosephus narrat l. c. poenam dedisse, adeo, vt Cumanus, Procurator, in exsilium actus, Celer autem, Tribunus militum, Hierosolymas Roma reductus, in omnium conspectu, per totam vrbem tractus et necatus fuerit. De *Anania* autem et *Anano* cum nihil tale commemoret, verosimile est, eos, insontes iudicatos et absolutos, Hierosolymas esse reversos. Deinde confirmat me in hac sententia illud, quod in illo iudicio, instituto Romae coram Imperatore Claudio, in quo Iudaei et Samaritani causam suam disceptabant, Iudaei vicerint, Agrippa iuniore pro iis intercedente. Diserta in hanc rem sunt verba Iosephi, XX, 6, 3. Quum igitur Iudaei ex illo iudicio superiores, victoresque discesserint, quis dubitet, quin *Ananias* Hierosolymas redierit? Denique Iosephus diserte tradit, hunc *Ananiam* multis annis post, Albino praesidente Syriae, Hierosolymis fuisse, et in magna existimatione dignitateque apud ciues suos vixisse; de qua re XX, 9, 2. ὁ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐπὶ μέγα προὔκοπτε δόξης, καὶ τῆς παρὰ τῶν πολιτῶν εὐνοίας τε καὶ τιμῆς ἠξιοῦτο λαμπρῶς· *Ananias Pontifex* (nomine hoc honorifico in memoriam honoremque gesti Pontificatus retento) *ad maiorem indies creuit existimationem, atque beneuolentiam et honorem amplissimum apud ciues suos assecutus est.* Non igitur est, quod cum LIGHTFOOTO dubitemus, an hic *Ananias*

nias vnquam redierit Romam. Aeque minus caufae eft, quare cum hoc Viro Doctiffimo dubitemus, an *Ananias* ex eo tempore, quo Romam a Quadrato miffus eft, Pontificatu functus fit. Certiffimum enim hoc effe, intelligitur clariffime ex catalogo Pontificum M. a Iofepho XX, 10. diligentiffime confecto. In eo enim nullum alium in illa ampliffima dignitate huic *Ananiae* fucceffiffe inuenies, quam Ionatham. Hunc autem non prius ad hoc dignitatis faftigium euectum fuiffe, quam Felix iam tempus quoddam Syriae praefederit, intelligitur ex Iofepho XX, 8, 5. Ex quo colligitur, Ananiam, Roma reducem, Pontificatum M. geffiffe, et ad tempus illud obtinuiffe, quo ei Ionathas fucceflerit. Quae omnia, fi accurate confiderentur, efficitur illud tertium, quod LIGHTFOOTVS in dubitationem adducebat, Ananiam adhuc Pontificem M. fuiffe, quo tempore Felix Praefes Syriae fuerit. Haec paullo fufius differere contra fententiam illam LIGHTFOOTI placuit, ne quidam, auctoritate tanti Viri decepti, eodem opinionis errore capiantur.

v. 8. *Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν - - Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα*) Confirmat hoc Iofephus, B. I. II, 8, 14. *οἱ Φαρισαῖοι (φασὶ) ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι· Pharifaei dicunt, omnem quidem animam effe immortalem, folas vero bonorum animas in alia tranfire corpora, at malorum, aeterno affici fupplicio. Σαδδουκαῖοι δὲ ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν, καὶ τὰς καθ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι· Sadducaei autem, animas permanere, fuppliciaque et praemia apud inferos negant.*

v. 24. *Ἵνα ἐπιβιβάσαντες τὸν Παῦλον διασώσωσι πρὸς Φήλικα*) Mirum fane, quosdam hic de Hebraico loquendi genere cogitare potuiffe, quo, pofito vno verbo, confequens alterum fubintelligatur: cum eo nihil fit elegantius, nihil apud optimum quemque Scriptorem frequentius. Ex innumerabilibus exemplis, quae apud Io-

sephum obseruaui, haec pauca laudasse sufficiat: A. II, 6, 9. οἵγε πρὸς τὸν πατέρα μὴ ἔξεςιν ΑΝΑΣΩΘΗΝΑΙ μόνοις. *Nobis solis non licet redire ad patrem incolumes.* Lib. eodem, 10, 1. Αἰγύπτιοι, τῇ μάχῃ κρατηθέντες, οἱ μὲν αὐτῶν ἔπεσον, οἱ δ' αἰσχρῶς εἰς τὴν οἰκείαν ΔΙΕΣΩΘΗΣΑΝ φεύγοντες· *Aegyptii, proelio superati, alii quidem in acie ceciderunt, alii vero turpi fuga ad suos incolumes redierunt.* Ἰδ., 14, 3. εἰς τὸ τῶν οἰκείων ΑΠΟΣΩΘΗι ςρατόπεδον· *ad suorum castra incolumis rediret.* XII, 4, 9. οἱ λοιποὶ ΔΙΕΣΩΘΗΣΑΝ εἰς Ἱεροσόλυμα πρὸς τὸν πατέρα· *Caeteri Hierosolyma ad patrem incolumes redierunt.* Add. XIV, 14, 3. In quibus locis, multisque aliis, διασώζεσθαι est, *incolumem aliquo peruenire.* Ex hoc igitur exquisito Graecorum loquendi more, haec verba, ἵνα τὸν Παῦλον διασώσωσι πρὸς Φήλικα, reddes: *vt Paullum incolumem ad Felicem perducerent.* Ad eandem loquendi formulam Plato eleganter dixit, ἡ πάλιν οἴκαδε σωτηρία, *felix in patriam reditus.* Vid. HENR. STEPHANVS Thes. Gr. L. T. III. p. 1222.

Πρὸς Φήλικα τὸν ἡγεμόνα) Ne tirones, voce ἡγεμόνος decepti, putent, hunc Felicem fuisse *Praesidem*, monendum videtur, eum non nisi *Procuratorem* fuisse. Iosephus itaque tribuit ei, propria voce, τὸ ἐπιτροπεύειν: et Lib. II. de B. I. c. XIII. hunc Felicem vocat Ἰουδαίας ἐπίτροπον. Neque tamen Lucas a loquendi more recessisse existimandus est, cum *Procuratorem* ἡγεμόνα, quo nomine proprie *Praesides* prouinciarum insigniri solent, dixit. Nam, vti supra ad Matth. XXVII, v. 2. obseruabamus, vox ἡγεμόνος apud optimum quemque Graecorum Scriptorum de omni, qui prouinciae praeest, vsurpatur, siue Praeses, siue Procurator sit. Caeterum IO. BAPT. OTTIVS, V. D. *in Spicil.* ex *Iosepho* p. 324. aliique, humanitus errant, cum putant, Felicem Cumano, in exsilium eiecto, successisse. Nam tempus quoddam Procurator fuit, antequam Cumanus damnatus in exsilium eiiceretur. Scilicet vno tempore duo hi Procuratores, *Cu-*

manum

manum et *Felicem* puta, regnum Iudaeae, quod antea Agrippa pater obtinuerat, adminiſtrabant, adeo, vt *Cumanus* Iudaeae et Galilaeae, *Felix* autem Galilaeae Transamnanae, quae, teſte Ioſepho, Iordane et Coeleſyriae Philadelphiaeque montibus includeretur, Procurator eſſet. Nam Agrippa iunior, donatus ille quidem eſt ab Imperatore Claudio regno Chalcidis, quod Herodes, patruus ipſius, obtinuerat, Iudaeae autem regnum, quod Agrippae patris fuerat, non accepit, ſed, vti diximus, a duobus Procuratoribus, *Cumano* et *Felice*, adminiſtratum eſt. Ergo *Felix* non tum demum, cum *Cumanus* in exſilium eſſet eiectus, Procuratoris munus accepit, ſed florente adhuc *Cumano* id obtinuit. Videntur Viri illi optimi decepti eſſe narratione Ioſephi, qui, cum XX, 6, 3. tradidiſſet, *Cumanum*, ob male adminiſtratam prouinciam, in exſilium fuiſſe eiectum, mox c. VII. ſubiicit: Πέμπει δὲ καὶ Κλαύδιος Φήλικα Πάλλαντος ἀδελφὸν τῶν κατὰ τὴν Ἰȣδαίαν προϛησόμενον πραγμάτων, *Claudius deinde miſit Felicem Pallantis fratrem, vt rebus in Iudaea praeeſſet:* qui locus videtur ſane docere, *Felicem* non prius accepiſſe Procuratoris munus, quam Cumanus eſſet damnatus. Sed haec non eſt Ioſephi mens; et hic locus omnino ita intelligendus eſt, vt dicatur, *Felicem*, *Cumano* damnato, Iudaeae et Galilaeae quoque adminiſtrationem, quae antea *Cumano* commiſſa fuerat, accepiſſe, adeo, vt ex eo inde tempore non ſolum Galilaea Transamnana, quam antea iam Procurator obtinuerat, ſed Iudaea etiam ipſius ditioni ſubiecta pareret. Ita autem hunc locum eſſe capiendum, ipſe Ioſephus luculentiſſime docet B. I. II, 12, 8. Μετὰ ταῦτα Ἰȣδαίας μὲν ἐπίτροπον Φήλικα τὸν Πάλλαντος ἀδελφὸν ἐκπέμπει, τῆς τε Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας καὶ Περαίας· *Poſt haec* (damnato Cumano) *Felicem, Pallantis fratrem, miſit Caeſar, vt Iudaeam procuraret, ſimulque Galilaeam et Samariam et Peraeam.* Igitur *Felix*, iam ante damnatum *Cumanum*, Procurator Galilaeae Transamnanae erat, et cum, illo damnato, ad Iudaeam regen-

dam

dam mitteretur, non Roma, ſed ex Galilaea Transamnana, eo venit. Hoc autem accidiſſe A. C. LI. Claudii autem XI. accuratiſſime, vt ſolet, demonſtrauit PAGIVS in Critic. Baron. T. I. p. 39.

CAPVT XXIV.

V. 1. Ὅιτινες ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τȣ̃ Παύλȣ) Non conuenit inter Viros doctos, qua notione ἐμφανίζειν hic ſit capiendum, cum alii *adeundi*, alii *comparendi*, alii denique *declarandi* ſignificatum ei tribuant. Mihi non dubium videtur, quin ἐμφανίζειν h. l. ſit *deferre*, *accuſare*. Sic ſaepe ἐμφανίζειν apud Ioſephum eſt pro *indicare aliquid ita*, *vt cum alterius accuſatione ſit coniunctum.* A. XIV, 10, 8. in Decreto Iulii Caeſaris pro Iudaeis ad Parios miſſo: Ἐνέτυχέν μοι Ἰȣδαῖοι ἐν Δήλῳ, καί τινες τῶν ὑμετέρων πρέσβεων, καὶ ΕΝΕΦΑΝΙΣΑΝ, ὡς ὑμεῖς τε ψηφίσματι κωλύετε αὐτȣ̀ς τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσθαι· *Conuenerunt me Iudaei in Delo, et quidam ex Iudaeis inſulae inquilinis, praeſentibus etiam legatis veſtris, et ad me detulerunt, ſe a vobis prohiberi, quo minus ſacris et ritibus patriis vti poſſint.* Eodem Cap. §. 12. in Dolabellae literis ad Epheſios pro Iudaeis: Ἀλέξανδρος Θεοδώρȣ, πρεσβευτὴς Ὑρκανȣ̃ τȣ̃ Ἀλεξάνδρȣ υἱȣ̃ ἀρχιερέως καὶ ἐθνάρχȣ τῶν Ἰȣδαίων, ΕΝΕΦΑΝΙΣΕ μοι περὶ τȣ̃ μὴ δύνασθαι στρατεύεσθαι τȣ̀ς πολίτας αὐτȣ̃· *Alexander Theodori filius, legatus Hyrcani, filii Alexandri, pontificis Iudaeorum et ethnarchae, mihi ſignificauit, non poſſe populares ſuos militiae nomen dare.* Et 11, 4. in litteris M. Antonii, ad Tyrios in gratiam Iudaeorum ſcriptis: ΕΜΦΑΝΙΣΑΝΤΩΝ μοι ἐν Ἐφέσῳ Ὑρκανȣ̃ τȣ̃ ἀρχιερέως καὶ ἐθνάρχȣ πρεσβευτῶν, χώραν αὐτῶν ὑμᾶς κατέχειν λεγόντων, *Cum mihi declarationem feciſſent Hyrcani Pontificis et ethnarchae legati, dicentes, vos occupare agros ditionis ipſorum.* In quibus locis omnibus τὸ ἐμφανίζειν *indicandi*, *declarandi* notionem habet,

habet, *cum alterius accusatione coniunctam.* Igitur haec Lucae verba ita reddenda puto: *detulerunt, accusarunt Paullum:* ἐμφανίζειν autem κατά τινος eadem constructione dictum est, qua Rom. VIII. 33. τίς ἐγκαλέσει κατ' ἐκλεκτῶν τοῦ Θεοῦ.

v. 3. Πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ, καὶ κατορθωμάτων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς προνοίας) Felicem interdum Iudaeos iniuria affecisse, non negauerim: neque tamen cum ELSNERO dixerim, Tertullum nimiopere adulatum esse Felici, cum ei et Iudaeae securitatem, et caeterarum rerum praeclare gestarum laudem tribuit. Has enim laudes ei non affingi, sed merito deberi, intelligitur ex iis, quae Iosephus de huius Felicis rebus in Iudaea gestis memoriae prodidit. Sic v. c. Iudaeam latronibus impostoribusque repletam et infestatam cura sua virtuteque liberauit, teste Iosepho XX, 8, 5. Aegyptium illum Pseudoprophetam, res nouas molientem, eiusque asseclas vi armisque repressit, l. c. §. 6. seditionem, quae inter Iudaeos Caesareenses et Syros grauissime exarserat, restinxit, multaque alia facinora egregia, commodo Iudaeorum, perpetrauit. Cf. eundem B. I. II, 13, 2.

Ἀποδεχόμεθα) *grato animo agnoscimus, laudamus, magnificamus.* Haec enim elegantissima est τοῦ ἀποδέχεσθαι notio. Iosephus A. VI, 14, 4. Δίκαιον δὲ ΑΠΟΔΕΞΑΣΘΑΙ τῆς φιλοτιμίας τὴν γυναῖκα. *Conuenit autem, laudare mulierem ob prolixam liberalitatem:* vnde ἐπαινεῖν et ἀποδέχεσθαι apud eundem, tanquam συνώνυμα, iunguntur, A. VII, 1, 2. ἔπεμψε πρὸς αὐτοὺς, ἐπαινῶν καὶ ΑΠΟΔΕΧΟΜΕΝΟΣ αὐτῶν τὸ ἔργον, καὶ χάριτας ἀποδώσειν ἀντὶ τῆς πρὸς τοὺς τεθνηκότας σπουδῆς ὑπισχνούμενος· *Misit ad eos, qui facinus praeclarum laudarent et approbarent, quique pollicerentur, se illis grates pro ipsorum in defunctos studio relaturum esse:* ibid. 2, 2. ὁ δὲ ταύτης ΑΠΟΔΕΧΕΤΑΙ τῆς προθυμίας αὐτοὺς· *At ille alacre hoc in se studium collaudauit.* Eodem sensu vsurpatur δέχεσθαι, VII, 13, 4. Lib. XIII, 4, 4. ὁ δὲ ΑΠΟ-

ΑΠΟΔΕΞΑΜΕΝΟΣ αὐτὰς τῆς προαιρέσεως, *Ille vero cum eorum voluntatem collaudasset.* De Macc. §. 4. τὴν πολιτείαν αὐτῶν ΑΠΟΔΕΧΕΣΘΑΙ, *laudare, probare illorum rempublicam:* et sic innumerabilibus locis aliis. Inde ἀποδοχὴ *laus*, apud eundem, A. VI, 14, 4.

v. 5. Ἑυρόντες γὰρ τοῦτον τὸν ἄνδρα) Non cepit BOISIVS apud WOLFIVM in Curis Philolog. ad h. l. elegantiam τοῦ γὰρ, cum pro ἐν positum esse scribit. Hanc particulam enim in Orationis initio eleganter adhiberi, reddendamque esse *scilicet*, *nempe*, ostendebamus aliquot Iosephi locis ad Matth. I. 18. Non minus infeliciter idem BOISIVS, cum τὸ εὑρόντες ad ἐκρατήσαμεν referendum esse, et voces proxime antecedentes, ὃ καὶ, redundare existimat. Alibi Vir ille doctus audiendus est, hic eum caue audias. Nam Participium εὑρόντες pro εὕρομεν positum est: qui Participiorum vsus, etsi Hebraeis est familiarissimus, non ita tamen proprius, quin apud Graecos etiam inueniatur: Vide, si tanti putas, quae supra ad C. II. v. 29. ex Iosepho in hanc rem obseruanimus.

v. 12. Ἐπισύστασιν ποιοῦντα ὄχλου) Vox ἐπισύστασις videtur paullo rarior esse: H. STEPHANVS certe, qui eam in Thesauro suo T. I. p. 1796. laudat, nullo alio, nisi hoc Actorum loco, eius bonitatem vindicauit. Occurrit autem eodem, quo hic, sensu apud Iosephum c. Apion. I, 20. συνελθόντες οἱ ἐπιβουλεύοντες αὐτῷ, κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ΕΠΙΣΥΣΤΑΣΕΩΣ. *Cum inter se coiissent insidiatores eius, communi consensu regnum detulerunt ad Nabonnidum quendam Babylonium, qui et ipse in eadem seditione et coniuratione fuerat.* Ipsum Verbum ἐπισυνίστημι, cui haec Vox originem debet, ne H. STEPHANO quidem in Thesauro Gr. L. laudatum, apud eundem Iosephum pro *ad seditionem concitare* occurrit, A. XIV, 1, 3. ὁ νεώτερος Ἀντίπατρος ΕΠΙΣΥΝΙΣΤΑΤΑΙ κρύφα κατ' αὐτοῦ διαλεγόμενος τῶν Ἰουδαίων δυναστεύοντας· *Iuuenis Antipater excitat aduersum Aristobulum clandestinis obtrectatio-*

tionibus Iudaeorum primates. Sic B. I. II, 3, 4. Ἰουδαίους πλεῖους καὶ μαχιμωτέρους ΕΠΙΣΤΥΝΕΣΤΗΣΕ Ῥωμαίοις. *Iudaeorum plures, eosque pugnaciores, contra Romanos excitauit:* vnde eodem Lib. C. IV. §. 1. συςάντες, *ad defectionem sollicitati, coniurati.*

v. 13. Οὔτε παραςῆσαι δύνανται) Recte praestantissimus WOLFIVS Morboniam abire iubet illud με, quod τῷ παραςῆσαι in quibusdam Editionibus, MILLII etiam, adiungitur. Maxime enim ineptum hic est, cum perturbet sensum. Forte non perspiciebant τοῦ παραςῆσαι vim, quae hic est elegantissima, *ostendere, certis rerum documentis probare.* Apud Iosephum A. IV, 3, 2. ΠΑΡΑΣΤΗΣΟΝ δὴ καὶ νῦν, ὅτι πάντα σῇ προνοίᾳ διοικεῖται· *Illustribus rerum documentis doce, tua prouidentia omnia gubernari:* Et VIII, 2, 5. βουλόμενος δὲ πᾶσαι καὶ ΠΑΡΑΣΤΗΣΑΙ τοῖς παρατυγχάνουσιν ὁ Ἐλεάζαρος, ὅτι ταύτην ἔχει ἰσχὺν· *Eleazarus, cum vellet illis, qui aderant, persuadere, et luculentis rerum documentis ostendere, se hanc vim habuisse.*

v. 14. Λατρεύω τῷ πατρῴῳ Θεῷ) Recte obseruatum ALBERTIO in Obseruatt. Sacr. p. 266. a Paullo Deum ita appellari, quod genti Israëlitarum a Patriarcharum inde temporibus praefuerit, benignum et tutelare Numen, quique sibi, veluti patrius et domesticus Deus, a patribus relictus, tanquam familiae Praeses, maiorum more sit colendus. Hac notione aliquoties est apud Iosephum. A. II. 13. 1. Ἐλεαζάρος δὲ, - - συμμάχῳ τῷ ΠΑΤΡΩΙΩι χρησάμενον αὐτὸν Αἰγυπτίους διαφυγεῖν· *Eleazarus, Mosis filius, eam ob causam dictus est, quod Dei patrii auxilio Aegyptios effugerit:* Et IX, 12, 3. de Rege Achaze, πάντας ἐῴκει μᾶλλον τιμήσειν, ἢ τὸν ΠΑΤΡΩιΟΝ καὶ ἀληθῶς Θεόν· *Caeteros Deos omnes magis videbatur cultu prosequi, quam patrium et verum Deum.*

v. 24. Σὺν Δρουσίλλῃ) Amoribus vagis Felicem fuisse iactatum, docet Suetonius, qui eum in Claudio (XXVIII. *trium reginarum maritum* vocat. Hanc ipsam *Drusillam*, Hero-

Herodis Agrippae maioris filiam, Azizo, Emesorum regi, nuptam, nefariis artibus a marito abduxit, sibi vxorem adsciuit. De qua re Iosephus XX, 7, 2. vbi vid. Fuit igitur haec *Drusilla* Iudaea; adeo vt non hanc, sed aliam *Drusillam* intellexisse existimandus sit Tacitus, cum Lib. V. Histor. C. 9. scribit: *Antonius Felix per omnem saeuitiam ac libidinem ius regium seruili ingenio in Iudaea prouincia exercuit, Drusilla, Cleopatrae et Antonii nepte, in matrimonium accepta; vt eiusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.* Scilicet inter eruditos plerosque fere omnes conuenit, a Tacito intelligi Drusillam, Antonii Triumuiri neptem e Cleopatra Aegyptiaca, filiam Iubae e Cleopatra Selene, Antonii filia, sororem Ptolemaei: vid. CASAVBONVS ad Sueton. in Claud. C. 28. vt adeo non esset, quare HARDVINVS, iniquissimus sane Iosephi censor, in hac quoque re fidem huius scriptoris grauissimi suspectam reddere studeret.

v. 27. Ἔλαβε διάδοχον ὁ Φῆλιξ Πόρκιον Φῆστον) Iosephus A. XX, 8, 9. Πορκίου δὲ Φήστου διαδόχου Φήλικι πεμφθέντος ὑπὸ Νέρωνος, *Porcio autem Festo, qui Felici succederet, a Nerone misso:* Et B. I. II, 14. 1. idem tradit.

Θέλων τε χάριτας καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις) *Cum vellet gratiam a Iudaeis inire:* Non minus elegans, quam frequens in hac re verbum καταθέσθαι. Iosephus A. VI, 11, 8. σὺ μόνον μνημόνευε τούτων· κἂν ἀποθανεῖν μοι γένηται, τὰ τέκνα μου σῶζε, καὶ τὴν ὑπὲρ τῶν παρόντων μοι ἀμοιβὴν εἰς ἐκεῖνα ΚΑΤΑΘΟΥ· *Tu borum modo memor sis, et, si mori contigerit, liberos meos serua: et gratiam pro hisce mihi debitam illis refer.* XI. 6. 5, εἴ τινα θέλοις τοῖς ὑπηκόοις εὐεργεσίαν ΚΑΤΑΘΕΣΘΑΙ, *si quid gratiae et beneficii ciuibus tuis vis conferre.*

CAPVT XXV.

V. 1. Φῆστος οὖν ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχίᾳ) Cum Iudaea ex eo prouinciarum genere fuerit, quae a *Procuratoribus* tantum administrarentur: ei non tam vox ἐπαρχίας, quippe

pe quae amplioris prouinciae appellatio est, quam potius ἐπιτροπῆς, conuenire videtur. Sane Iosephus XX, 11, 1. *Praefecturam administrationemque Iudaeae* ἐπιτροπὴν vocat: accurate sane, et voce maxime propria. Nam prouinciae Iudaeae Gubernatores proprie et erant, et dicebantur ἐπίτροποι, de iisque ἐπιτροπεύειν dicitur. Sic XX, 1, 2. Felici, huius Festi Antecessori, diserte ἐπιτροπεύειν tribuitur: καθ᾽ ὃν καιρὸν τῆς Ἰουδαίας ΕΠΕΤΡΟΠΕΥΣΕ Φῆλιξ, *quo tempore procurator Iudaeae erat Felix*. Neque aliter idem Felix in Vita Iosephi §. 3. τῆς Ἰουδαίας ἐπιτροπεύειν dicitur. Sic huius Felicis Antecessor, Cumanus, XX, 6, 2. ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ dicitur: et ibid. 5, 1. de Fado, ipse quoque Iudaeae Procuratore, Φάδου τῆς Ἰουδαίας ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΟΝΤΟΣ: et de eodem, C. I. Φάδος δὲ, ὡς εἰς τὴν Ἰουδαίαν ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ἀφίκετο, *Cum Fadus autem Procurator in Iudaeam venisset*. Et haec causa est, quare ἐπίτροποι et ἔπαρχοι, tanquam diuersae potestatis Praesides, interdum, v. c. apud Dion. Cass. Lib. LII. p. 487. Edit. Leuncl. distinguantur. Neque tamen est, quod quis existimet, Lucam ab optimorum Auctorum loquendi more recessisse, cum Festi praefecturam administrationemque ἐπαρχίαν vocauit. Nam, vti apud Latinos vox *Praesidis* de omnibus in vniuersum prouinciarum Gubernatoribus interdum sumitur; sic apud Graecos ἔπαρχοι et ἐπαρχία de cuiuscunque prouinciae Praesidibus et administratione adhibetur. Et ne longe exemplum petamus, Iosephus hunc ipsum Festum, quem probe sciebat proprie ἐπίτροπον nominandum esse, tamen ἔπαρχον dixit, XX, 8, 11. ἐπὶ τούτοις ἠγανάκτησαν ὅ, τε βασιλεὺς Ἀγρίππας, μάλιστα δὲ Φῆστος ὁ ΕΠΑΡΧΟΣ, vbi bene SPANHEMIUS, ἔπαρχος *hic dicitur, qui proprie* Ἐπίτροπος *seu Procurator dicebatur*: plane vt hic a Luca huic ipsi Festo ἐπαρχία tribuitur. Sic Fadus, quem paullo ante dicebamus a Iosepho proprie ἐπίτροπον dici, ab eodem ἔπαρχος vocatur, XIX, 9, 2. Haec, auctore Iosepho, paullo fusius, in tironum gratiam, disserere placuit, vt in-

 tel-

telligant, Lucam hic quoque ex loquendi more optimorum Auctorum *Praefecturam Festi* appellasse *ἐπαρχίαν*. Hic vero operae pretium videtur addere, hos Procuratores in Iudaeam fuisse missos post mortem Agrippae Magni, de quo supra C. XII. Hic enim cum esset mortuus, et filium vix septendecim amorum, Agrippam minorem, reliquisset; Claudius, cum, amicorum et libertorum consiliis edoctus, periculosum iudicaret, adolescentulo, qui nondum ex ephebis excessisset, tantae magnitudinis regnum committere, Fadum misit, qui Iudaeae, totiusque regni praeses esset: de qua re Iosephus XIX, 9, 2. Idem tradit B. I. II, 11, 6. Et quamquam postea Agrippa minor, cum ad imperii maturitatem peruenisset, a Claudio Philippi tetrarchiam, et Batanaeam, vna cum Trachonitide et Abila, accepisset; tamen Iudaea eius ditioni potestatique non subiecta est, sed a Procuratoribus administrata. Vid. Iosephus XX, 7, 1.

v. 2. Ἐνεφάνισαν δὲ αὐτῷ - - κατὰ τοῦ Παύλου) Et hic Viri docti fluctuantur in vera notione τοῦ ἐμφανίζειν definienda. Mihi autem dubium non est, quin hic quoque *deferendi*, *accusandi* notionem haec Vox obtineat, quam supra ad Cap. XXIV. 1. habere, ex Iosepho docebamus. Quod confirmari hic videtur v. 5. vbi κατηγορεῖν dicitur, quod v. 2. ἐμφανίζειν.

v. 3. Οἱ δυνατοὶ οὖν ἐν ὑμῖν) Mirum est, in quam diuersas sententias Interpretes abierint in vera significatione Vocis δυνατοὶ definienda. HOMBERGIUS cum aliis interpretatur, *quibus commodum*, *quibus integrum est:* quod est contra omnem linguae rationem, cuius antiquissima in interpretando cura habenda est. Alii reddunt, *qui volunt*, aeque infeliciter. Toti enim, opinor, Graeciae inauditum est, δυνατὸν εἶναι significare *velle*. WOLFIUS quidem hanc interpretationem confirmare studet, cum ad h. l. scribit: *τὸ θέλειν pro δύνασθαι vsurpatur passim. Conf. ad Actor. VI. 5.* (vbi nihil in hanc rem: scribendum erat, Marc. VI. 5.) *Et forte vicissim τὸ δύνασθαι pro θέλειν, quia, qui*

qui potest aliquid efficere, pro re nata idem efficere conatur. Sed nollem, Viro huic eruditissimo haec excidisse, quae omnium sunt falsissima. Nam nullo modo sequitur, quia δύναμαι interdum, (quamquam rarissime) *Volo* significet, vocem δυνατὸς quoque denotare eum *qui vult.* Nam in his rebus non tam ad Analogiam, quam ad vsum loquendi, qui dominari solet, respiciendum est: quamquam WOLFIVS ipse non multum huic coniecturae tribuere videtur, cum addit *forte.* Itaque rectissime illos interpretari putat, qui δυνατοὺς de iis accipiant, *quibus in promptu sint accusandi capita.* Cui stabiliendae addit hoc, quod δυνατὸς Graecis idem aliquando sit, quod δεινὸς, i. e. *peritus, ingeniosus, promptus et idoneus*, laudatis in hanc rem Scholiaste Aristophanis ad Ranas v. 892. et KVSTERO ad Argum. Nubium p. 50. Sed haec interpretatio non magis admitti potest, atque illae priores, cum aduersetur linguae rationi. Nam quod WOLFIVS adiicit, δυνατὸν aliquando idem significare, quod *peritum, ingeniosum* etc. in eo Vir ille praestantissimus non satis accurate. Verum quidem, δυνατὸν interdum simpliciter esse *peritum, ingeniosum, eloquentem:* Sed prope notandum est, hunc Graecismum non nisi aeui inferioris, et a pura loquendi ratione declinantis esse. Nam Graeci Veteres nunquam nude et simpliciter δυνατὸν pro eo, *qui alicuius rei facultate pollet*, ponunt, sed adiecto aliquo Verbo. Iuuat in hanc rem huc transferre verba KVSTERI, quem ipse WOLFIVS suae sententiae confirmandae laudat, in Argumento Nubium: *Notandum est, hunc Graecismum* (ex quo δυνατὸς eo, quo diximus, sensu adhibetur) *esse inferioris aeui. Nam veteres Graeci dicere quidem solent,* δυνατὸς λέγειν, (facundia pollens) δυνατὸς πράττειν (peritus rerum agendarum) *etc. at nunquam vocem* δυνατὸς *solam et nude positam, eo, quo hic, sensu ab illis accipi videas.* Nullo igitur modo haec interpretatio est commendabilis. Miror, WOLFIVM eam reiecisse, quae omnium optima, et vnice vera est. Scilicet δυνατοὶ h. l. sunt *homines potentes, qui auctoritate di-*

R 2 *gnita-*

gnitateque caeteris omnibus praestant. Qua notione haec vox cum apud alios Auctores, tum apud Iosephum, frequentissime occurrit: A. XII, 4, 3. κατ᾽ ἔτος δὲ ταῦτα (τέλη) τοῖς ΔΥΝΑΤΟΙΣ τῶν ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐπίπρασκεν ὁ βασιλεύς. *Rex cuiusque vrbis potentissimis vectigalia vendebat:* vbi δυνατοὶ iidem sunt, qui Cap. eodem §. 1. dicuntur οἱ ἐπίσημοι, *principes in patria:* paullo post §. 4. iidem δυνατοὶ dicuntur οἱ τοῖς ἀξιώμασι ἐν ταῖς πατρίσι διαφέροντες, *Qui in patriis suis dignitate caeteris praestant:* ibidem vocantur οἱ πρῶτοι καὶ ἄρχοντες: et eodem Cap. §. 9. οἱ παρὰ τὴν αὐλὴν ΔΥΝΑΤΟΙ, *qui in aula principis multum possunt.* XIII, A. 14, 2. Ἰουδαῖοι ἐπολέμουν Ἀλεξάνδρῳ, καὶ νικώμενοι, πολλοὶ ἀπέθνησκον ἐν ταῖς μάχαις· κατακλείσας δὲ τοὺς ΔΥΝΑΤΩΤΑΤΟΥΣ αὐτῶν ἐν Βεθόμῃ πόλει, ἐπολιόρκει· *Iudaei bellum intulerunt Alexandro, victique, frequentes occubuerunt in proeliis. Is vero, cum eorum POTENTISSIMOS in vrbem Bethomam compulisset, eam oppugnauit.* Sic eodem Lib. 13, 2. δυνατοὶ sunt *auctoritate dignitateque prae reliquis florentes.* XIV, 13, 1. Ἰουδαίων ἑκατὸν οἱ ΔΥΝΑΤΩΤΑΤΟΙ παραγίνονται πρὸς αὐτὸν, κατηγοροῦντες Ἡρώδου καὶ τῶν περὶ αὐτόν. *Centum Iudaeorum Viri potentissimi Antonium iterum conueniunt, vt Herodem cum suis accusarent.* Qui locus huic Actorum est simillimus, in quo quemadmodum dicitur οἱ δυνατοὶ ἐν ὑμῖν - - κατηγορείτωσαν αὐτοῦ, ita hic, οἱ Ἰουδαίων δυνατώτατοι παραγίνονται κατηγοροῦντες Ἡρώδου: ex quo apparet, homines potentissimos, et prae caeteris auctoritate pollentes, ad accusandum fuisse electos. Idem confirmatur alio loco, B. I. I, 12, 4. ἧκον καὶ Ἰουδαίων οἱ ΔΥΝΑΤΟΙ, κατηγοροῦντες Φασαήλου τε καὶ Ἡρώδου· *Veniebant Iudaeorum primates, accusaturi Phasaëlum et Herodem:* paullo post iidem dicuntur οἱ ἐν τέλει Ἰουδαῖοι, *Iudaei primarii*: eodem sensu οἱ δυνατοὶ, 17, 2. B. I. IV, 3, 15. Igitur οἱ δυνατοὶ dicuntur κατ᾽ ἐξοχὴν, *qui prae caeteris auctoritate dignitateque florent.*

V. II.

v. 11. Οὐ παραιτοῦμαι ἀποθανεῖν) Huius Verbi quatuor significationes diuersas apud Iosephum obseruaui. Denotat 1) *recusare*. A. III. 8. 8. Μωϋσῆς δὴ πᾶσαν τιμὴν ΠΑΡΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΣ. V, 1, 26. οὐ ΠΑΡΑΙΤΗΣΟΜΕΘΑ τὸν ὑπὲρ τῶν νόμων πόνον. *Nullum pro legibus subire laborem detrectabimus:* Et ibid. 5, 3. οὐ ΠΑΡΑΙΤΟΥΜΑΙ. 2) *deprecari, s. intercedendo a poena liberare.* A. V, 1, 1. ΠΑΡΗΙΤΕΙΤΟ οὐδὲν αὐτοὺς, ἀλλὰ πάντες ἀπώλλυντο ἄχρι καὶ γυναικῶν καὶ παιδίων, *Nihil eos a morte liberabat, sed omnes perempti sunt, vsque ad mulieres et infantes.* Add. XI, 6, 1. XII, 4, 3. 3) Παραιτήσασθαί τινα est, *se alicui purgare, eique excusando satisfacere.* XV, 2, 7. Τούτοις ΠΑΡΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΣ τὸν Ἀντώνιον, *Cum Herodes his rationibus Antonio se excusasset.* 4) *Alicuius delicti veniam petere:* ibidem, de Alexandra: ΠΑΡΑΙΤΕΙΣΘΑΙ κἂν εἴ τι διὰ τὸ γένος καὶ τὴν οὖσαν αὐτῇ παῤῥησίαν πρεπετέστερον ὑπ' ἀναξιοπαθείας δράσειεν. *Se veniam petere, si quid propter generis necessitudinem, suique nimiam fiduciam, rei indignitate commota, inconsultius fecisset.* Ex his significatibus is, quem primo loco posuimus, huc facit, vt reddendum sit, *Non recuso mori.*

Οὐδείς με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι) h. e. *Nemo me potest Iudaeorum lubidini condonare, in eorumque gratiam condemnare.* Hanc esse elegantissimam τοῦ χαρίζεσθαι vim, multis docebamus supra ad C. III. v. 13.

Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι) Huic toti loco, in quo de accusatione et prouocatione Paulli agitur, aliquid lucis affundere, ex Romanae Historiae monumentis, nuper studebamus *in peculiari Commentatione de Prouocatione Paulli ad Caesarem.*

V. 18. Οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον) Plane vt Latini, *nullum crimen intulerunt.* Sic tamen Iosephus A. II, 6, 7. de fratribus Iosephi, οἱ δὲ τῆς κουφολογίας τὸν οἰκέτην ἐθαύμαζον, τολμῶντα ΑΙΤΙΑΝ ΕΠΙΦΕΡΕΙΝ

ἀνδράσιν· Illi vero seruum ob sermonis leuitatem mirabantur, vtpote qui crimen inferre viris ausus esset.

CAPVT XXVII.

V. 13. Ἄραντες) *Cum soluissent*, sc. nauim. Sed Graeci fere ita nude: et quemadmodum ἄιρειν hic de *nauigatione* dicitur, ita apud Iosephum de *itinere pedestri*, A. III, 1, 3. ΑΡΑΝΤΕΣ ἐκεῖθεν, εἰς Ἤλιν ἀφικνοῦνται, *Inde autem castris motis, ad Elim peruenerunt.* Et XI, 11, 1. ΑΡΑΣ μετὰ πάσης τῆς στρατιᾶς, ἧκεν εἰς Σαμάρειαν, *Castris inde motis, cum toto exercitu Samariam venit.* Neque aliter LXX. Seniores, v. c. Genes. XI, 2. ἐν τῷ ἆραι, vbi quoque de *itinere pedestri.*

Ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην) Humanitus errant, qui ἆσσον pro nomine proprio vrbis alicuius accipiunt. Sed hic error facile illis condonandus. Illorum autem audacia, et male sana emendandi lubido nullo modo ferenda est, qui pro ἆσσον scribendum contendunt θᾶσσον; ratione inducti hac, quia ἆσσον pro *propius* Poetis potius, quam orationis solutae Scriptoribus conueniat. Sed haec ratio vana est. Quid enim? τὸ ἆσσον Scriptoribus prosaicis non conuenit? immo vero optime. Iosephus A. I, 20, 1. de Iacobo: τοὺς μὲν προὔπεμπε, τοὺς δὲ λειπομένους ΑΣΣΟΝ ἐκέλευσεν ἀκολουθεῖν· *Alios quidem praemittebat, alios vero PROXIME sequi se iubet.* Alia in hanc rem loca ex aliis Scriptoribus λογογράφοις laudarunt ad h. l. ALBERTIVS et ELSNERVS. Vocem autem ἆσσον cum plerisque fere omnibus malim ad παρελέγοντο, quam ad ἄραντες referre, vt sensus sit: *propius praeternauigabant Cretam.*

V. 15. Μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ) Ἀντοφθαλμεῖν proprie est *contra tueri*, per metaphoram autem, *obniti, resistere*: exempla in hanc rem iam aliis sunt allata. Iosephus pro eo habet ἀντιβλέπειν, A, VI, 6, 2. εἰς παθήμασιν οὐκέτι ἦν ΑΝΤΙΒΛΕΨΑΙ, *quibus malis resistere non poterant*; et c. Ap. II, 32. τοῖς προστάγμασιν οὐκ ΑΝΤΕΒΛΕΨΑΝ, *Praeceptis reluctari non solent.*

V. 18.

v. 18. Σφοδρῶς δὲ χειμαζομένων ἡμῶν) *Cum vehementi tempestate, fluctibusque maris, huc illuc iactaremur.* Sic χειμάζεσθαι apud optimum quemque. Iosephus A. XII, 3, 3. de Iudaeis in ancipiti periculo et metu, cum Antiochi Magni, tum Ptolemaei Eupatoris, versantibus: Οὐδὲν ἀπέλιπον ΧΕΙΜΑΖΟΜΕΝΗΣ νεὼς, καὶ πονουμένης ἑκατέρωθεν ὑπὸ τοῦ κλύδωνος, μεταξὺ τῆς Ἀντιόχου καὶ τῆς ἐπὶ θάτερον αὐτοῦ τροπῆς τῶν πραγμάτων κείμενοι. *Haud dissimiles erant naui in tempestate, fluctibus vtrinque vexatae, vt, qui in medio iacerent, dum et Antiocho res prospere cederent, et in contrarias partes mutarentur.*

v. 21. Κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην) Κερδεῖν hic est *lucrifacere* f. *euitare*. Sic apud Iosephum A. II, 3, 2. vbi Rubenus fratres ab impia caede Iosephi retinere studet hac ratione, vt eum vendendum dicat: τό γε μιανθῆναι τὰς χεῖρας αὐτοὺς ΚΕΡΔΑΙΝΕΙΝ· *Vt ita pollutas manus lucrifacerent*, h.e. fratricidi crimen EVITARENT. Alio, eoque perquam insolenti, significatu est A. VII, 8, 1. vbi Thamara Amnonem ab incestu dehortatur, παῦσαι οὕτως ἀδίκου καὶ μιαρᾶς ἐπιθυμίας, ἐξ ἧς ὄνειδος καὶ κακοδοξίαν ὁ οἶκος ἡμῶν ΚΕΡΔΑΝΕΙ, *ex qua cupiditate infamia in nostram familiam redundabit.*

v. 22. Ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμία ἔσται ἐξ ὑμῶν) WOLFIO videbatur, Lucam voce ἀποβολῆς alludere ad ἐκβολὴν v. 18. et constat sane, his allusionibus interdum Scriptores delectari: quale illud Iosephi est A. XIV, 14, 1. ἐποίει δεινὸν εὑρίσκειν ΕΠΙΒΟΛΑΣ ἔργων ΠΑΡΑΒΟΛΩΝ. Ἀποβολὴ autem ψυχῆς eleganter hic pro *iactura* f. *amissione vitae* dictum. Sic Iosephus A. II, 6, 9. παίδων ΑΠΟΒΟΛΗ, *liberorum iactura*. XIV, 14, 3. φορτίων ΑΠΟΒΟΛΗ, *iactura oneris*. Neque alio sensu ἀποβάλλειν apud eundem, A. V, 1, 8. ὅπως τὸν νεώτατον τῶν παίδων ΑΠΟΒΑΛΗι, *vt minimum natu filiorum amitteret*. Et ibid. §. 13. ἐπταικότες καὶ τῆς δυνάμεώς τινας ΑΠΟΒΑΛΟΝΤΕΣ, *Cum cladem accepimus, et partem copiarum amisimus.* Add. VIII, 8, 4. XIV, 4, 5.

v. 33. Τεσσαρεσκαιδεκάτην etc.) Non anxie hic quaerendum erat, qui fieri potuerit, vt fine cibo et potu quatuordecim dies durarent. Scilicet verba haec non ad viuum resecanda, sed ita capienda sunt, vt hi homines per illos dies non ordinario modo, et ad satietatem usque, cibum potumque sumsisse dicantur; more loquendi omnibus fere Scriptoribus communi. Iuuat exempla ex Iosepho nostro afferre. A. VI, 14, 8. de Iabissenis, Sauli filiorumque ipsius interitum publico luctu prosequentibus: ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις ἐπ' αὐτοῖς ἤγαγον, κοπτόμενοι καὶ θρηνοῦντες τὸν βασιλέα καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ, μήτε ποτοῦ μήτε τροφῆς γευσάμενοι. *Per septem dies cum vxoribus liberisque eos defiebant, pectora tundentes, ac lugentes regem eiusque filios, ita, vt neque potum neque cibum degustarent.* Quid? igitur per septem dies nihil quicquam neque cibi neque potus ceperunt? erraueris, si tibi hoc persuaseris: ita igitur intellige: *non ordinario modo, et ad satietatem usque, cibo potuque fruiti sunt.* Eodem modo capiendus et exponendus alius Iosephi locus, A. VII, 7, 4. vbi de Dauide, grauem morbum filii ex Beethsabe nati lugente, ita: τροφὴν ἐπὶ ἡμέρας ἑπτὰ, καίτοιγε ἀναγκαζόντων τῶν οἰκείων, οὐ προσηνέγκατο: *Cibum per septem dies, quamuis instarent domestici, non degustabat.* Quod non ita intelligendum est, quasi nihil omnino cibi sumsisset; Sequitur enim mox, domesticos, mortuo filio, noluisse Regi id indicare, λογιζόμενοι, μὴ γνοὺς ΕΤΙ ΜΑΛΛΟΝ ἀπόσχηται τῆς τροφῆς: *quia verebantur, ne*, morte filii cognita, *EO MAGIS abstineret cibo.* Igitur superiora verba ita intelligenda sunt, vt Dauides non consueto more coenasse dicatur. Quod ex eo quoque intelligi potest, quod Dauides, posteaquam omnis moeror discesserat, iussisse dicitur δεῖπνον αὐτῷ παρατεθῆναι, *coenam sibi apparari et apponi.*

v. 40. Κατῆχον εἰς τὸν αἰγιαλὸν) Simili constructione, quamquam sensu paullulum diuerso, Iosephus A. II, 7, 2. dixit: ὡς δὲ ΚΑΤΕΣΧΕΝ ΕΠΙ τὸ ὅριον φρέαρ, *Post-*

Postquam autem venerat ad puteum foederis: hic autem denotat, *tendebant*, *dirigebant cursum ad littus.* Sed de hac voce accurate disputat H. STEPHANVS in Thes. Gr. L. T. I. p. 1345.

CAPVT XXVIII.

v. 16. Σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ) Factum hoc est ex more quodam Romano, tunc temporis recepto, quo reus coram Caesare sistendus, militi Praetoriano catena, quae copulabat et reum et militem, alligatus, diligentius obseruabatur et custodiebatur. Dignus est, qui in hanc rem huc transferatur, locus Iosephi, XVIII, 6, 7. vbi Agrippa, iussu Tiberii, a Praefecto Praetorio, Macrone, vinctus, catena alligatus dicitur cuidam militi Praetoriano: ἠξίωσε τὸν ΣΥΝΔΕΔΕΜΕΝΟΝ αὐτῷ στρατιώτην· *rogauit militem, qui ei vna eademque catena alligatus erat*: et paullo post mentio fit ἑκατοντάρχου ΣΥΝΔΕΤΟΥ ἐσομένου, *centurionis, qui catena Agrippae copularetur.* Hunc autem στρατιώτην, qui custodiendo Paullo datus est, fuisse *militem Praetorianum*, tam grauibus et luculentis rationibus docuit PERIZONIVS, ὁ πάνυ, in Respons. ad HVBERI Comm. II. de PRAETORIO Cap. V. vt HVBERVS, qui id impugnauit, cum ingenti nisu nihil egisse videatur. Caeterum στρατοπεδάρχῃ, cui centurio Iulius Paullum aliosque vinctos, e prouincia Romam missos, tradidisse hic dicitur, non vno modo Viri docti interpretantur, cum alii *praefectum copiarum*, alii *praefectum exercituum*, alii *praefectum castrorum* reddunt. In quo omnes falsi. GROTIVS hic audiendus erat, qui vere interpretatur *Praefectum Praetorio*; quae interpretatio ex moribus, tunc temporis receptis, egregie confirmatur. Nam Imperatorum temporibus mos obtinuit, vt ex prouinciis Romam ad Caesarem missi vincti, *Praefecto Praetorio* custodiendi committerentur. Cuius rei illustrissimum exemplum est Agrippae Regis apud Iosephum

XVIII, 6, 6. Ibi enim Praefectus Praetorio, Macro, dicitur ex custodia ad Imperatorem adduxisse quendam δέσμιον, et postea ipsum Regem Agrippam vinxisse, eique custodiendo praefecisse Centurionem et milites: Agrippam autem, vinctum ad vrbem, custoditum fuisse in ipsis castris Praetoriis, ex eo dilucide intelligitur, quod, mortuo Tiberio, Caius dicitur Pisoni, Praefecto vrbis, per literas iniunxisse hoc, vt, quia Macro, Praefectus Praetorio adhuc abesset, Agrippam transferret ἐκ τοῦ στρατοπέδου, h. e. *e Castris Praetorianis* (siquidem nulla alia Romae erant) in domum, vbi prius habitasset, quam in vincula fuisset coniectus. Conf. PERIZONIVS in Dissert. *de Praetorio* §. 73.

v. 17. Τοὺς ὄντας τῶν Ἰουδαίων πρώτους) h. e. *Principes, primores, qui prae caeteris inter Iudaeos dignitate auctoritateque florebant.* At CAMP. VITRINGA *de veteri Synagoga*, p. 611. accipi vult de *Magistratibus Iudaeorum*: in quo vereor, vt ei linguae ratio patrocinetur. Nam οἱ πρῶτοι tantum non semper Graecis dicuntur, *qui inter suos dignitate auctoritateque eminent.* Sic apud Iosephum A. VII, 9, 8. δέχονται δ' αὐτὸν (Δαυίδην) ἀσμενέστατα πάντες οἱ ΠΡΩΤΟΙ τῆς χώρας· *omnes istius regionis PRIMORES lubentissime eum suscipiunt:* et ib. 11, 5. Ἀφικνοῦνται δ' εἰς Γάλγαλα πρὸς αὐτὸν οἱ τῆς χώρας ΠΡΩΤΟΙ, *Galgala autem ad eum veniunt PRIMORES regionis Israëliticae.* X, 4, 5. παρεῖχον τῶν ἱερῶν (HAVERCAMPVS legendum putat Ἰουδαίων) οἱ ΠΡΩΤΟΙ, διὰ τὸ πάσχα, τοῖς ἱερεῦσιν ἄρνας δισχιλίους ἑξακοσίους· *PRIMORES Pontificum, in gratiam Paschatis, Sacerdotibus largiti sunt agnorum duo millia et sexcentos:* et alio loco XII, 4, 3. 4. dilucidissime exponit, quid per τοὺς πρώτους sit intelligendum. Nam quos antea τοὺς πρώτους τῶν πόλεων dixit, eos paullo post vocat τοὺς ἀξιώμασιν ἐν ταῖς πατρίσι διαφέροντας· *Viros, qui in ciuitatibus suis dignitate auctoritateque praestabant:* vt adeo CAMP. VITRINGA ab ipsius linguae ratione nihil praesidii interpretationi petere possit suae. Nam quod vrget id, quod Lucas non nude

nude dixerit *τὺς πρώτυς τῶν Ἰυδαίον*, ſed *τὺς ὄντας τῶν Ἰυδαίων πρώτυς*, id eiusmodi eſt, vt vix dignum videatur, quod refellatur. Nihil omnino enim diſcriminis eſt inter vtramque loquendi rationem, vt praeſtantiſſimus WOLFIVS ad h. l. exemplis ex N.T. petitis oſtendit.

* *

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

CAPVT I.

v. 8.

Πρῶτον μὲν ὖν ἐυχαριςῶ τῷ Θεῷ μυ) Quamquam facile conceſſerim SALMASIO, Scriptores Atticos non tam *ἐυχαριςεῖν τινι*, quam potius *χάριν ἐιδέναι*, pro *gratias agere*, vſurpare; tamen haec loquendi ratio apud eos quoque Scriptores haud raro occurrit, quibus accurate diligenterque loquendi laus minime eſt deneganda. In qua re vno vtemur Ioſepho, qui A. I, 10, 5. dicit: *Ἄβραμος μὲν ἐπὶ τύτοις* ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΣΑΣ *τῷ Θεῷ*, *Abrahamus cum ob haec Deo gratias egiſſet:* IV, 8, 22. *ςὰς ἀντικρὺς τῦ τεμενίσματος* ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΣΑΙΤΟ *μὲν τῷ Θεῷ*, *Contra Delubrum ſtans*, *Deo gratias agat.* XI, 3, 9. *ὁ Ζοροβάβηλος* ΕΥΧΑΡΙΣΤΕΙΝ *ἤρξατο τῷ Θεῷ*, *Zorobabelus gratias Deo egit:* mox, *τάτ' ὖν περὶ τῶν παρόντων* ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΣΑΣ *τῷ Θεῷ*, *Cum has gratias pro praeſenti rerum ſtatu Deo egiſſet:* et paullo poſt, *οἱ δὲ ἀκύσαντες*, ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥΣΙ *μὲν τῷ Θεῷ*, *Illi, his auditis, Deo gratias egerunt:* et ſic innumeris locis aliis. Vide *ἐυχαριςία* pro *ipſa gratiarum actione*, apud eundem, A. I, 19, 8. Caeterum *τὸ πρῶτον* h. l. non ordinis particula eſt, *ſecundum* reſpiciens, ſed intenſionis, ſignificans *inprimis:* quo ſenſu eſt apud Ioſephum, A. X, 10, 5.

συνε-

συνεκάλεσεν ἐξ ἁπάσης ἧς ἦρχε γῆς τὰς πρώτας, ΠΡΩΤΟΝ αὐτοῖς προςάξας, *principes ex omni ditione sua conuocauit, eisque INPRIMIS praecepit.*

v. 14. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις) Satis notum, Scriptoribus, non minus sacris quam profanis, βαρβάρους omnes dici, *qui linguae graecae morumque Graecorum sint ignari*: qua notione βάρβαροι, τοῖς Ἕλλησιν oppositi, omnes omnino denotant populos, qui natione non Graeci sunt. Hoc sensu est apud Iosephum, Lib. I. contra Apion. §. 18. vbi Menander Ephesius dicitur scripsisse τὰς ἐφ' ἑκάστου τῶν βασιλέων πράξεις παρὰ τοῖς ΕΛΛΗΣΙ καὶ ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ γενομένας, *Singulorum Regum tempore res gestas apud Graecos et Barbaros.* In hoc autem Paulli loco ipsa orationis series docere videtur, per βαρβάρους inprimis Romanos esse intelligendos. Quod ipsum quoque Scriptoribus profanis perquam familiare est, vt βαρβάρους, τοῖς Ἕλλησι iunctos, *Romanos* intelligant. Ita aliquoties Iosephus, v. c. in Prooem. B. I. §. 5. vbi de se ipso, ἀλλόφυλος ὤν, Ἕλλησί τε καὶ ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ τὴν μνήμην τῶν κατορθωμάτων ἀνατίθημι· *Ego alienigena Graecis simul et BARBARIS bellicorum facinorum memoriam mandaui*; vbi βάρβαροι nulli alii sunt, quam *Romani*: itaque quidam Codd. eo loco pro βαρβάροις exhibent Ῥωμαίοις, quod glossam redolet. Sic B. I. V, 1, 3. de Templo Hierosolymitano et Altari, nefando hominum sanguine conspersо et polluto, τὸν Ἕλλησι πᾶσι καὶ ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ σεβάσμιον βωμὸν κατέσπεισαν ἰδίῳ φόνῳ· *Altare, Graecis omnibus et BARBARIS venerandum, suo sanguine adsperserunt.* Neque vero existimandum est, (vt multorum hominum eruditorum fert opinio) conuicii et contumeliae loco esse habendum, quod Romani cum hic tum alibi saepe vocentur βάρβαροι. Nulla enim conuicii notio voci βαρβάρου apud Veteres adhaesit, quae ideo recentioribus demum temporibus ei accessit. Constat enim, Persas, eorumque Regem, etsi Graecorum victores, saepe tamen a Graecis vocatos fuisse βαρβάρους: quod neque Persae, neque eorum

rum Rex vnquam indigne tulerunt, cum ista vox nihil acerbi odiosique contineret, nec quicquam aliud denotaret, quam, Persas non esse *Graecos*. Quodsi vox βάρβαρος apud Veteres eandem, quam apud nos, notionem obtinuisset, Plautus sane non scripsisset, se Comoedias quasdam Graecas vertisse *barbare*, h. e. latine: id enim *barbare*, ad oppositam linguam Graecam, denotat. Quod in eam sententiam disputauimus, partim vt tirones contra peruersam vocis *barbarus* interpretationem, quam in multorum Virorum doctorum libris deprehendimus, praemuniremus, partim vt ostenderemus, non esse cuiusdam impietatis postulandos quosdam et Patres et recentiores eruditos, cum, scriptores Sacros interdum *barbare* locutos esse, dixerunt, cum nihil aliud indicare voluerint, quam, scriptores Sacros interdum a pura Graecorum consuetudine loquendi recessisse. Sed de tota hac re alio et tempore, et Opere, si Deus sirit, commodius et accuratius.

v. 29. **Παρὰ τὸν κτίσαντα**) Mire dissentiunt Interpretes in vera vi τῆς παρὰ h. l. definienda, cum alii reddant, *praeterito creatore*, alii, *praeter creatorem*, h. e. non tantum creatorem: alii, *supra creatorem*, alii, *loco creatoris*: quas interpretationes omnes, ex ratione linguae, locum habere posse, scribit WOLFIVS; de quo ego vehementer dubito. Mihi quidem vnice vera, linguaeque rationi conuenientissima, videtur interpretatio B. nostri *Lutheri*, vt παρὰ τὸν κτίσαντα denotet, *magis quam creatorem*: quo significatu παρὰ aliquoties apud Iosephum: A. XVII, 10, 6. de Simone quodam, Herodis seruo, οὗτος εἶναι ἄξιος ἐλπίσας ΠΑΡ' ὀντινοῦν, *Se MAGIS dignum, QVAM alior, existimaret*. A. XVIII, 1, 5. de Essenis, ἄξιον δὲ αὐτῶν θαυμάσαι, ΠΑΡΑ πάντας τοὺς ἀρετῆς μεταποιουμένους, τὸ δίκαιον· *Conuenit autem eos admirari MAGIS QVAM omnes alios, qui virtutis laudem sibi tribui volunt*. XIX, 2, 5. in elogio Caii, φανῆναι πιθανώτερος ἐν μεγίστῳ πράγματι ΠΑΡ' ὅν τινα οὖν γενόμενος, *ita factus erat, vt persuadendi vi maiori, QVAM quisquam alius, pollere videretur*:

tur: et XX, 9, 1, §. 1. de Sadducaeis, οἳ εἰσι περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ ΠΑΡΑ πάντας τὰς Ἰαδαίας· *in iudiciis feueri et acerbi sunt MAGIS QVAM omnes alii Iudaei.* Idem igitur hic παρὰ denotat, quod μᾶλλον ἤπερ apud Iohannem C. XII. v. 42. in eadem fere re, fimilique fententia: ἠγάπησαν τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τȣ̃ Θεȣ̃. Eandem quoque notionem fuftinet in voce παρευδοκιμεῖν, quod denotat, *maiori dignitate, auctoritateque pollere alio.* Iofephus A. VIII, 9. 1. δείσας μὴ ΠΑΡΕΥΔΟΚΙΜΗΣΕΙΕΝ αὐτὸν ὁ ξένος παρὰ τῷ βασιλεῖ, *veritus, ne peregrinus plus apud regem, quam ille, auctoritate polleret.* Cf. X, 4, 4. Senfus igitur Paulli eft: *Gentiles isti fuperftitiofi Deos vanos et magnos maiori cultu venerationeque profecuti funt, quam verum illum Trinunum Deum.* Scilicet loquitur Apoftolus de iis Gentilibus, qui non in aeque magna coecitate, et εἰδωλομανίᾳ, vti caeteri fere, verfarentur, fed vna cum idolis fuis verum etiam Deum colerent, ita tamen, vt iis cultus plus venerationisque, quam huic, praeftarent.

v. 28. Καὶ καθὼς ȣ̓κ ἐδοκίμαζον Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει) Adnotat ad h. l. WOLFIVS, Verbum δοκιμάζειν tum in N. T. tum alias, fignificare *probare, explorare, inquirere,* tum vero etiam *approbare, recte aeftimare:* recte id quidem: Sed earum fignificationum nulla huc facit. Aeque minus fubfcribere poffum interpretationi CORNEL. ADAMI, licet WOLFIO probetur, qua haec verba ita reddit: *Gentiles non QVAESIVERVNT AVGERE cognitionem Dei, nec illa funt delectati.* Quis enim vnquam Graecorum δοκιμάζειν pro *quaerere* pofuit? Nec felicius in hac re verfatus eft CLERICVS, quamuis WOLFIO fatisfaciat, cum reddidit: *Non fuerunt folliciti de conferuanda cognitione Dei.* Ergo δοκιμάζειν eft. *Sollicitum effe?* Credat Iudaeus Apella et CLERICVS, non ego. Mihi quidem dubium non eft, quin verba haec ita fint reddenda: *Gentiles NOLVERVNT Deum accuratius cognofcere.* Nam δοκιμάζειν, adiuncto τῷ ȣ̓κ, Graecis

cis eleganter est *nolle*. Iosephus A. II, 7, 4. τὰ μὲν ἔν ὀνόματα δηλῶσαι τούτων οὐκ ΕΔΟΚΙΜΑΖΟΝ, *nomina illarum NOLVI recensere*. Si quis οὐκ ἐδοκίμασαν reddere malit, *non consultum putarunt*, Sie haben es nicht vor dienlich, nützlich erachtet, (cuius significatus exempla suppeditat H. STEPHANVS in Thes. Gr. L. T. I. v. δοκιμάζω) cum eo non magnopere contenderim: Sed prior interpretatio magis placet. Verba autem, Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, non denotant, *Conseruare Dei cognitionem*, vt CLERICO, et WOLFIO ὁμοψήφῳ placet, sed *accurate cognoscere*. Nam Θεὸν ἐν ἐπιγνώσει ἔχειν idem est, quod Θεὸν ἐπιγινώσκειν· Sciunt Graece periti, *Verbum* ἔχω, *cum quadam Praepositione constructum, reddendum esse cum suo casu per illud Verbum, ad cuius significationem expressum nomen proxime accedat*. Sic v. c. ἔχειν τινὰ ἐν ὀργῇ eleganter dicitur pro ὀργίζεσθαί τινι, *alicui irasci*: ἔχειν ἐν αἰτίαις τινὰ, pro αἰτιᾶσθαί τινα, *accusare aliquem*; cuius rei exempla et loca, cum vel ex VIGERO peti possint, non esse putamus, quod hic afferamus. Sensus est: *Gentiles noluisse Deum accuratius pleniusue cognoscere*, *seu, non tanti putasse*, *vt cognitionem Dei*, *animis ipsorum insitam*, *indies magis magisque augerent*.

v. 30. Θεοστυγεῖς, ὑβριστὰς) Quemadmodum hic homines et *in Deum impii*, et *in homines iniurii*, Sic apud Iosephum A. I, 11, 1. Sodomitae vt tales describuntur, εἴς τε ἀνθρώπους ΥΒΡΙΣΤΑΙ, καὶ πρὸς τὸ θεῖον ΑΣΕΒΕΙΣ, *in homines erant contumeliosi*, *et in numen diuinum impii*. A. V, 10, 1. de filiis Eli, πρὸς ἀνθρώπους ΥΒΡΙΣΤΑΙ γενόμενοι, καὶ πρὸς τὸ θεῖον ΑΣΕΒΕΙΣ, *in homines erant iniuriosi*, *et in Deum impii*: et XX, 5, 3. de Iudaeis, ob indignum et nefandum militis Romani facinus concitatis: οὐχ' ἑαυτοὺς ΥΒΡΙΣΘΑΙ λεγόντων, ἀλλὰ τὸν Θεὸν ΗΣΕΒΗΣΘΑΙ, *non se contumelia affici vociferantes*, *sed in Deum impie agi*.]

CA-

CAPVT II.

V. 13. Ὀυ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου) Iam Viris doctis obseruatum, ἀκροατὰς τοῦ νόμου esse non solum *auditores*, sed etiam *lectores Legis*: quo sensu est apud Iosephum A. V, 1, 26. vbi Phineeses ad tribum Rubeni et Gadis, inter caetera, haec: οὐκ ἠξιοῦμεν ὑμᾶς πεῖρα τῆς τοῦ Θεοῦ γνώμης ἐντὸς γεγενημένους, καὶ ΝΟΜΩΝ, ὧν αὐτὸς ἡμῖν δέδωκεν, ΑΚΡΟΑΤΑΣ ὑπάρχοντας - - λήθην λαβεῖν αὐτοῦ. *Vix credere potuimus, vos, qui Dei voluntatem perspectam habuistis, et LEGVM, quas ille Vobis dedit, AVDITORES et LECTORES exstitistis - - illius tam cito obliuisci potuisse.* Cf. si tanti videtur, quae in Commentariolo nostro ad Plutarchum *de Audiendis Poëtis* sub initium de voce ἀκούειν et ἀκροατὴς notauimus. Apud eundem Iosephum, Lib. eodem, 2, 7. ἀκροαταὶ τῶν νόμων sunt, *qui legibus conuenienter vitam instituunt*: οἱ Ἰσραηλῖται, ὑπὸ τῆς τρυφῆς καὶ ἡδονῆς, τοῦ κόσμου ὀλιγωροῦν, καὶ τῆς πολιτείας τῶν νόμων οὐκέτ' ἦσαν ἀκριβεῖς ΑΚΡΟΑΤΑΙ, *Israëlitae, luxuria diffluentes et voluptate, honestam disciplinam negligebant, legesque et instituta Reipublicae non amplius diligenter obseruabant.*

CAPVT III.

V. 2. Ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ) HOMBERGII interpretatio, qua τὸ ἐπιστεύθησαν ad λόγια, tanquam ad nominatiuum, refert, sensumque esse vult hunc, *eloquia Dei credita sunt, i. e. verificata seu vt vera admissa a Iudaeis*, nullo modo admittenda est, cum linguae rationi plane aduersetur. Nam, οἱ Ἰουδαῖοι τὰ λόγια ἐπιστεύθησαν, ex Graecismo perquam eleganti, dictum est pro, τοῖς Ἰουδαίοις τὰ λόγια ἐπιστεύθη· *Iudaeis oracula diuina concredita sunt.* Tale illud Matthaei, XI, 5. πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, *pauperibus Euangelium praedicatur.* Hac loquendi ratione optimus quisque scriptorum vtitur: in quam

quam rem, iuuat quaedam exempla ex Iosepho afferre, ex quibus dilucide apparebit, in hac loquendi formula Accusatiuum iungi passiuo, atque adeo vocem λόγια eodem Casu hic esse sumendam. A. II, 9, 5. de Mariamne Mosis matre: ΠΙΣΤΕΥΕΤΑΙ τὴν τροφὴν τȣ̃ παιδίȣ πρὸς τὸ πᾶν, *Mulieri omnis educatio infantis committitur.* X, 10, 3. Δανιῆλος πρόσεισιν Ἀριόχῳ τῷ τὴν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων τȣ̃ βασιλέως ἀρχὴν ΠΕΠΙΣΤΕΥΜΕΝΩι, *Danielus adiit Ariochum, cui commissum erat imperium in regis satellites.* XII, 10. 2. Ὁ Δημήτριος ἐκπέμπει Βακχίδην, ἄνδρα χρηστὸν, καὶ τὴν Μεσοποταμίαν ἅπασαν ΠΕΠΙΣΕΥΜΕΝΟΝ, *Demetrius mittit Bacchidem, virum probum, cui omnis praefectura Mesopotamiae commissa erat.* Plura loca, quae ὅσα κόνις, afferre, consulto omittimus, ne putidi videamur. Caeterum de sollicita cura et religione, qua in conseruanda incorrupta et integra Sacra Scriptura vsi sint Iudaei, Iudaeus ipse, Iosephus, nos doceat, c. Apion. I, 8. δῆλον δ' ἐστὶν ἔργῳ, πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν· τοσȣ́τȣ γὰρ αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος, ȣ̓́τε προσθεῖναί τις ȣ̓δὲν ȣ̓́τε ἀφελεῖν αὐτῶν, ȣ̓́τε μεταθεῖναι τετόλμηκεν· Πᾶσι δὲ σύμφυτόν ἐστιν εὐθὺς ἐκ τῆς πρώτης γενέσεως Ἰȣδαίοις, τὸ νομίζειν αὐτὰ Θεȣ̃ δόγματα, καὶ τȣ́τοις ἐμμένειν, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν, εἰ δέοι, θνήσκειν ἡδέως· *Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Cum enim tot iam secula effluxerint, nemo adhuc nec adiicere quicquam illis, nec demere, aut mutare aliquid est ausus. Sed omnibus Iudaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei vt haec praecepta esse credamus, iisdemque constanter inhaerescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus.* Etiam atque etiam haec hominis Iudaei verba notent ii, qui sacrum Codicem a Iudaeis corruptum vociferantur. Nam si ad tempora vsque Iosephi incorruptus mansit, facile intelligi potest, fieri non potuisse, vt ab iis, tot exemplaribus in Christianorum manibus versantibus, corrumperentur. Τὰ λόγια autem hic esse *Scripturam Sacram*, seu potius

S tius

tius *Codicem* Sacrum V. T. quiuis ipse intelligit: qua notione ea vox est apud Iosephum Lib. VI. de B. I. C. V. §. 4. *Ἰουδαῖοι καὶ τὸ ἱερὸν κατὰ τὴν καθαίρεσιν τῆς Ἀντωνίας τετράγωνον ἐποίησαντο, ἀναγεγραμμένον ἐν τοῖς* ΛΟΓΙΟΙΣ *ἔχοντες, ἁλώσεσθαι τὴν πόλιν καὶ τὸν ναὸν, ἐπειδὰν τὸ ἱερὸν γένηται τετράγωνον· Iudaei etiam post Antoniam dirutam templum quadratum fecerunt; cum in* SACRO CODICE *scriptum haberent, tunc fore vt capiatur vrbs et templum, vbi templum quadratam formam acceperit.* Addamus insignem locum Philonis *in Legat. ad Caium* p. 1022. qui superiora, ex Iosepho de Iudaeorum Legis diuinae obseruandae studio allata, egregie confirmat: *Ἅπαντες ἄνθρωποι φυλακτικοὶ τῶν ἰδίων ἐθῶν εἰσὶν, διαφερόντως δὲ τὸ Ἰουδαίων ἔθνος· Θεόχρηστα γὰρ* ΛΟΓΙΑ *τοὺς νόμους εἶναι ὑπολαμβάνοντες, καὶ τοῦτο ἐκ πρώτης ἡλικίας τὸ μάθημα παιδευθέντες, ἐν ταῖς ψυχαῖς ἀγαλματοφοροῦσι τὰς τῶν διατεταγμένων εἰκόνας, εἶτα ἐναργεῖς τύπους καὶ μορφὰς αὐτῶν καθορῶντες ἀεὶ, τοῖς λογισμοῖς τεθήπασι, καὶ τοὺς μὲν τιμητικῶς ἔχοντας ἀλλοφύλους αὐτῶν, οὐχ ἧττον τῶν ἰδίων ἀποδέχονται πολιτῶν· Omnes gentes libenter seruant ritus patrios, sed Iudaei prae caeteris. Cum enim leges suas credant, diuinis oraculis proditas, easque discant a pueritia, in animis circumferunt harum expressas imagines, et semper intuendo admirantur vt honestissimas, alienigenas quoque harum obseruatores amplectuntur pro suis ciuibus.*

v. 4. *Καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε*) Haec interpretatio LXX. seniorum, quam presse hic Paullus secutus est, a verbis Ebraicis recedere videtur. In Ebraico enim est: תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ, *vt purus sis in iudicando te:* Illud igitur תִּזְכֶּה reddiderunt per *νικήσῃς*, quod verbo magis, quam re ipsa et sensu, ab Ebraico discrepat. Nam verbum זָכָה non solum denotat *purus fuit*, sed etiam *vicit*; quae significatio, ex Ebraea lingua in Syriacam translata, causa fuit, quare Syrus in multis N. T. locis τὸ *νικᾶν* τῷ זכה expresserit: quae loca videre licet apud WOTTONVM in Notis ad Clementis Rom. Epist. I. ad Corinth. p. 92. Νικᾶν

κᾶν autem Graecis eleganter dicitur, *qui in iudicio causam vincit, superiorque discedit.* Iosephus B. I. I, 27, 3. de Herode M. in iudicio, auctoritate Caesaris Augusti instituto, cum filiis suis disceptante: ἐποικτισάμενος ὡς αὐτὸς ἁλίσκοιτο, καὶ ΝΙΚΩΗ νίκην πικρὰν κατὰ τέκνων· *Miserabiliter questus, ac si ipse damnatus esset, qui tam acerbam vinceret contra filios victoriam* : et II, 14, 4. de Graecis Caesareensibus, qui Iudaeos Caesareenses in iudicio vicerant: οἱ Καισαρέων Ἕλληνες, ΝΙΚΗΣΑΝΤΕΣ παρὰ Νέρωνι τῆς πόλεως ἄρχειν, *Caesareenses Graeci, principatum vrbis a Nerone in iudicio consecuti.*

v. 25. Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον) In diuersas sententias abierunt Interpretes in vera notione τοῦ ἱλαστηρίου definienda, cum alii *propitiatorium* f. *operculum*, alii *victimam piacularem* reddant : Sed potest facillime, ex linguae ratione, certo constitui, quae notio hic locum habere debeat. Et primo quidem non nego, ἱλαστήριον esse Adiectiuum, quod vel ex Iosepho A. XVI, 7, 1. apparet, vbi occurrit ἹΛΑΣΤΗΡΙΟΝ μνῆμα, *monumentum placandi numinis causa positum*; vt et θῦμα et ἐπίθεμα, si vox per se consideratur, subintelligi possit. Neque is sum, qui neget, ἱλαστήριον, subintellecto τῷ θῦμα, interdum significare *victimam propitiatoriam.* Nam sic diserte est apud Iosephum in Lib. *de Macc.* §. 17. de honesta morte pro religione Maccabaeorum: διὰ τοῦ αἵματος τῶν εὐσεβῶν ἐκείνων, καὶ τοῦ ἹΛΑΣΤΗΡΙΟΥ τοῦ θανάτου αὐτῶν ἡ θεία πρόνοια τὸν Ἰσραὴλ προκακωθέντα διέσωσε· *Illorum piorum sanguine, mortisque propitiatione, diuina prouidentia placata, Israëlem ante afflictum seruauit.* Quamquam autem ἱλαστήριον pro *victima piaculari* interdum inuenitur; tamen is valde erraret, qui eundem significatum in hoc Paulli loco obtinere contenderet. Nam inprimis vsus loquendi Scriptorum Sacrorum consulendus et attendendus est. Iam LXX. Seniores semper voce ἱλαστήριον in exprimendo Ebraico כַּפֹּרֶת, atque adeo pro *operculo arcae foederis*, quod Iosephus A. III, 6, 5. ἐπίθεμα dicit, nunquam pro

victima piaculari, vſi ſunt. Nec Verbum προέθετο patitur, vt de *victima* vocem ἱλαστήριον interpretemur. Nam προτίθεσθαι non dicitur niſi *de re vel ad ſpectandum, vel adeundum, vel denique ad expetendum, fugiendumque expoſita*, vt dudum docuit ERNESTI, Vir Celeberr. *in Proluſione pro Grammatica interpretatione*. Quae ſi accurate conſiderantur, facile intelligitur, ἱλαστήριον non poſſe de *victima*, ſed debere de *operculo arcae foederis* accipi: quae momenta autem inter hoc operculum Arcae, et Chriſtum intercedant, omnium optime docet DEYLINGIVS, in Obſeruatt. Part. II. §. XLI.

CAPVT V.

V. 3. et 4. ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα) Simillima huic ſunt illa Ioſephi *de Macc.* §. 17. de matre Maccabaeorum, fortiter et intrepide tormenta ignis tolerante: θάῤῥει, ὦ μήτερ ἱερόψυχε, τὴν ΕΛΠΙΔΑ τῆς ΥΠΟΜΟΝΗΣ ἔχουσα βεβαίαν πρὸς τὸν Θεόν. *Bono ſis animo, o mater ſanctiſſima, quae ſpem tolerantiae firmam et ſtabilem habeas apud Deum:* et paullo poſt, de magnanimo illo Maccabaeorum certamine, ἀληθῶς ὁ ἀγὼν θεῖος ὁ δι᾽ αὐτῶν γεγενημένος· ἠθλοθέτει γὰρ τότε ἀρετὴ δι᾽ ΥΠΟΜΟΝΗΣ ΔΟΚΙΜΑΖΟΥΣΑ, τὸ νῖκος, ἀφθαρσία ἐν ζωῇ πολυχρονίῳ. *Diuinum plane certamen erat, quod obiere; vbi virtus, per tolerantiam probans, muneraria: victoria, immortalitas in vita perenni.*

CAPVT VI.

V. 21. Τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων, θάνατος) Praeſtantiſſimus WOLFIVS τὸ τέλος vſitato ſuo ſignificatu, quo *finem* denotat, accipit, vt ſenſus ſit: *tales eſſe ſeruitutis, peccatis praeſtitae, fructus, qui tandem* in mortem *deſinant.* Equidem malim τὸ τέλος *mercedem*, ſeu potius *poenam*, interpretari.

tari. Nam *τέλος* Graecis eleganter dicitur *id, quod aliquam actionem, tanquam caussam, sequitur, siue bonum sit, siue malum,* atque adeo cum *praemium,* tum *poenam* indicat. Quem significatum haec vox ad imitationem Ebraici אַחֲרִית aut עֵקֶב accepisse videtur: quamquam is significatus non solum in sacris literis, sed apud alios quoque scriptores occurrit. Iosephus A. VI, 1. 2. de Palaestinis, graui poena, ob retentam Arcam, afflictis: Ἀπειρηκότες τοῖς κακοῖς οἱ πεπειραμένοι, καὶ τοῖς ἀκȣ́ȣσιν αὐτὰ διδασκαλία γινόμενοι, τȣ̃ μὴ προσδέξασθαι τὴν κιβωτόν ποτε πρὸς αὐτȣ̀ς ἐπὶ τοίȣτῳ μισθῷ καὶ ΤΕΛΕΙ, τὸ λοιπὸν ἐζήτȣν μηχανὴν καὶ πόρον ἀπαλλαγῆς αὐτῆς· *Cum hisce suppliciis paene conficerentur, quotquot iis affecti erant, quique de istis audierant, istorum exemplo moniti essent, ne arcam ad se reciperent, cum tanta merces et POENA proposita esset, tandem quaesiverunt, qua arte et via ab ea semet expedirent:* et apud Philonem *de Charitate,* p. 717. loco, huic nostro simillimo: τȣ̀ς τῶν ἱερῶν νόμων ἀποσάντας ἰδεῖν ἐσιν ἀκολάσȣς, ἀναισχύντȣς, ἀδίκȣς, ἀσέμνȣς, ὀλιγόφρονας, φιλαπεχθήμονας, ψευδολογίας ἑταίρȣς καὶ ψευδορκίας, τὴν ἐλευθερίαν πεπρακότας ὄψȣ καὶ ἀκράτȣ καὶ πεμμάτων καὶ εὐμορφίας, εἴς τε τὰς γασρὸς ἀπολαύσεις καὶ τῶν μετὰ γασέρα, ὧν τὰ ΤΕΛΗ βαρύτατα ζημίαι σώματός τε καὶ ψυχῆς εἰσίν· *Quicunque a sacris legibus deficiunt, eos videre licet intemperantes, impudentes, iniustos, leues, pusillanimos, irritabiles, mendaces, periuros, cupediis, potationibus venereisque rebus deditos; quorum omnium POENA grauissima est detrimentum corporis et animi.* Contra ea v. 22. *τέλος* est *praemium,* vti etiam 1 Petr. I, 9. licet id WOLFIVS neget.

CAPVT VIII.

V. 19. Ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως) Vulgo interpretes in voce *ἀποκαραδοκία* magnam emphasin inuenisse sibi videntur: v. c. BEZA vim eius ita exprimi vult, *ex-*

S 3 *ser-*

ſerto capite expectans, reprehenſo *Vulgato*, qui reddidit *expectatio creaturae*, quod BEZA *barbare, et minus expreſſe* dictum putat. Atqui nihil verius, nihil accuratius hac vetere interpretatione. BEZAE autem, aliorumque emphaſis nulla eſt. Audiendus hic erat SVIDAS, qui ſimpliciter, et recte ἀποκαραδοκεῖν interpretatur προσδοκᾷν, ἀποκαραδοκίαν autem προσδοκίαν. Quae interpretatio optimorum ſcriptorum vſu loquendi luculenter confirmatur. Scilicet ἀποκαραδοκεῖν proprie nihil aliud eſt, quam *vultum aliquo ad ſpectandum conuertere, atque adeo obſeruare*. Sic diſerte apud Ioſephum, B. I. III, 7, 26. αὐτὸς δὲ πρὸ τῶν ἐῤῥιφθέντων, ᾗ ἔλαχε, παρῄει· τοῖς μὲν οὖν καθ᾽ ἕτερα προσφέρουσι τὰς κλίμακας οὐ προσεῖχεν, ΑΠΕΚΑΡΑΔΟΚΕΙ δὲ τὴν ὁρμὴν τῶν βελῶν· *Ioſephus vero ante murum deiectum, qua ſors tulerat, ſemet ſiſtebat. Et qui ſcalas ex altera parte applicabant, eos non obſeruabat, non curabat, telorum impetum autem obſeruabat:* hic ἀποκαραδοκεῖν nihil aliud eſt, quam προσέχειν. Iam, quoniam ii, qui vultum aliquo ad ſpectandum conuertunt, aliquid fere exſpectare ſolent, inde Graecis ἀποκαραδοκεῖν et καραδοκεῖν eſt *expectare*. Sic v. c. apud Philonem in *Flaccum* p. 990. ΕΚΑΡΑΔΟΚΕΙ τῆς εἱμαρμένης τέλος· *expectabat finem vitae*. Nihil igitur, ex loquendi vſu, ἀποκαραδοκία aliud eſt, quam *exſpectatio, ſpes*: quod docet quoque τῆς κτίσεως praedicatum, ἀποδέχεται: v. 21. creaturae tribuitur ἐλπὶς, et v. 23. illa ἀποκαραδοκία exponitur per υἱοθεσίαν ἀποδέχεται, ſine vlla emphaſi. Quid? quod Philipp. I. 20, ἀποκαραδοκία et ἐλπὶς vt Synonyma iunguntur. Verte igitur, *creatura exſpectans, ſperans*. Dictum enim ex Hebraiſmo eſt pro ἡ κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα.

v. 37. Ἀλλ᾽ ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν) Quamquam ego nouis ſum, qui vbique in Praepoſitionibus, verbo iunctis, emphaſin aliquam ſectetur; hic tamen a me impetrare non poſſum, vt credam, ὑπερνικᾷν ſine vlla cauſa a Paullo pro Simplici νικᾷν eſſe adhibitum. Puto equidem, Paullum hac voce Compoſita indicare velle, *ſe*, *di-*

diuino auxilio adiutum et munitum, plus virium habere, quam requirantur ad istos varii generis hostes vincendos. Recte igitur et eleganter B. LVTHERVS: **in dem allen überwinden wir weit:** idem h. l. ὑπερνικᾶν, quod apud Iosephum A. V, 7, 10. νικᾶν παρὰ πολὺ, *fortius vincere hostes, quam ad victoriam reportandam opus sit.* Neque desunt alia Verba Composita, in quibus ὑπὲρ *augendi* notionem habet. Iosephus, A. I, 13. 1. Ἴσακον ὁ πατὴρ Ἄβραμος ΥΠΕΡΗΓΑΠΑ μονογενῆ ὄντα, *Pater Abramus Isacum, vt vnigenitum, supra modum diligebat.* II, 9, 5. de Pharaonis filia, Mosen conspicata, ἰδοῦσα τὸ παιδίον, ΥΠΕΡΗΓΑΠΗΣΕ μεγέθους ἕνεκά τε καὶ κάλλους· *Conspicata puerum, supra modum eum dilexit, cum ob magnitudinem, tum ob elegantiam.* Et propius ad τοῦ ὑπερνικᾶν notionem accedit ὑπερισχύειν et ὑπερκρατεῖν, quo vtroque vtitur Iosephus, XI, 3, 2. ἐρωτᾷ μὲν τὸν πρῶτον, εἰ ὁ οἶνος ΥΠΕΡΙΣΧΥΕΙ. et paullo post, εὑρίσκω τὸν οἶνον ΥΠΕΡΚΡΑΤΟΥΝΤΑ πάντων καὶ βιαιότατον: *Inuenio, vinum omnium rerum esse potentissimum, nihilque eo vehementius.*

CAPVT IX.

V. 12. ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι) Aliis iam obseruatum est, Iacobum respectu Esaui dici ἐλάσσονα, eo sensu, vt sit *iunior* respectu primogeniti: itaque Iacobus a Philone, *de Sacrificiis Abeli et Caini*, p. 133. et *de Nobilitate*, p. 907. nec non Iosepho A. I. 18, 1. dicitur νεώτερος, *natu minor.* Idem Iosephus l. c. eandem rem, de qua hic Paullus, his verbis exprimit: τοῦ μείζονος προέσεσθαι τὸν δοκοῦντ' ἐλάσσον εἶναι. *Qui minor videbitur, maiori praecellet.* Ex quo loco etiam intelligitur, seruitutem Esaui, Iacobo praestandam, de qua h. l. Paullus, non de *ciuili* esse, sed de *spirituali* accipiendam.

CAPUT XII.

V. 1. Παραςῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν) Quae hic Paulus Christianis facienda praecipit, ea praestitisse Essenos, auctor est Iosephus, A. XVIII, 1, 5. Ἐσσηνοὶ θυσίας ὐκ ἐπιτελῦσι, διαφορότητι ἁγνειῶν ἃς νομίζοιεν. καὶ δι' αὐτὸ εἰργόμενοι τῦ κοινῦ τεμενίσματος, ΕΦ' ΑΥΤΩΝ τὰς θυσίας ἐπιτελῦσι. *Esseni sacrificia non offerunt, propterea quod lustrationes habeant sanctiores: qua de causa communi delubro arcentur, et IN SE IPSIS sacrificia peragunt*, h. e. sese ipsos Deo vouebant, et consecrabant: Ita enim vltima verba, secus ac vulgo fit, reddenda esse, docuit eruditissimus IBETTSONVS: quod confirmat Philo, eodem Viro doctissimo monente, *summa religione Deo seruiunt, non mactando victimas, sed suas mentes componendo ad sanctimoniam.*

v. 6. Εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίςεως) *Si quis facultate interpretandae Scripturae S. praeditus est, ea interpretatio conueniens sit fidei.* RAPHELIVS in Not. Xenoph. p. 213. dubitat, an ἀναλογίας vocabulum eo sensu apud Graecos inueniatur. Verbum ipsum ἀναλογέω eodem significatu est apud Iosephum A. IV, 8, 4. τὴν πολιτείαν εἰπὼν τῷ τε Μωϋσέως ἀξιώματι καὶ τῇ ἀρετῇ ΑΝΑΛΟΓΟΥΣΑΝ, *Cum dixero de reipublicae descriptione, Mosis virtuti et dignitati conueniente.*

v. 8. Ὁ μεταδιδὺς, ἐν ἁπλότητι) *Qui dat, det liberaliter.* Hoc eleganti significatu quoque haec vox occurrit apud Iosephum, A. VII, 13. 4. vbi, postquam narrauit, Oronnam Dauidi, aream et boues in holocaustum se largiturum esse, promisisse, addit haec: Ὁ δὲ βασιλεὺς, ἀγαπᾶν μὲν αὐτὸν τῆς ΑΠΛΟΤΗΤΟΣ καὶ τῆς μεγαλοψυχίας· *Rex vero aiebat, se illum ob liberalitatem, et magnanimitatem diligere.* Caeterum non nego, hac voce quoque respici ad simplicem, sincerum in beneficiis largiendis animum, cum ea non damus πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς αὐ-

ἀνθρώποις, ſed amore et Dei, et hominum indigentium commoti.

v. 17. *Προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων*) Mirum ſane, Viros doctos in horum verborum interpretatione potuiſſe labi. Nam quis admittat hanc WOLFII interpretationem: *procurantes honeſta in omnium hominum conſpectu?* quis ferat illam HOMBERGII, qui contendit, *προνοεῖσθαι* hic eſſe *comparare aliquid* vel in ſuum, vel aliorum vſum? SCHWARZIVS reddi vult, *prouidete omnibus bona.* Optimi illi viri non conſuluiſſe videntur vſum loquendi. Nam optimo cuique Scriptori *προνοεῖσθαι* interdum eſt *ſtudere, operam dare.* Ioſephus I, 2, 1. *Ἄβελος ἀρετῆς* ΠΡΟΕΝΟΕΙ (in aliis eſt *πρεὐνοεῖτο*) *Abelus virtutis ſtudioſus erat:* quod paullo ante ita expreſſerat, *δικαιοσύνης ἐπεμελεῖτο, iuſtitiam colebat.* Idem igitur *ἐπιμελεῖσθαι* et *προνοεῖσθαι*. A. VIII, 12, 2. de populo Iſraëlitico ad ſaniorem mentem perducto: *πολλὴν* ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΕΠΟΙΟΥΝΤΟ *κοινῇ τε πάντες καὶ κατ' ἰδίαν τοῦ δικαίου· tam publice, quam priuatim, magnopere iuſtitiae colendae ſtudebant.* IX, 1, 1. de Ioſaphato, ad iudices ab ipſo conſtitutos: *παρεκελεύσατο μηδενὸς οὕτως ὡς τοῦ δικαίου* ΠΡΟΝΟΟΥΜΕΝΟΥΣ *κρίνειν τοῖς ὄχλοις, hortatus eſt eos, vt populo ius dicerent, nulli rei magis, quam iuſtitiae* STVDENTES: quod paullo poſt ita exprimit: *ἐπιτελεῖς καὶ δικαίας ποιεῖσθαι τὰς κρίσεις.* Eodem Lib. 9, 1. de Amaſia, *θαυμαστῶς τοῦ δικαίου* ΠΡΟΕΝΟΕΙ, *mirum in modum iuſtitiam colebat.* Igitur verba Paulli reddenda ſunt, *ſtudete rebus honeſtis, omnique virtuti.*

v. 19. *Δότε τόπον τῇ ὀργῇ*) Haec loquendi ratio, cum, ex linguae ratione, duplici modo accipi poſſit, ſententiarum diuortio occaſionem dedit. Alii enim interpretantur, *cedere irae alterius, atque adeo iratum et iniquum aduerſarium aequo animo ferre.* Cui interpretationi vſus loquendi patrocinatur, cum *τόπον*, *χώραν διδόναι* et *καταλεί-*

λειπέναι eo sensu apud Graecos occurrat. Sic Iosephus A. XVI, 11, 6. Ὁ δὲ Ἡρώδης, οὐδὲ εἰ τι πρότερον ἐνδοιάσιμον ἦν αὐτῷ περὶ τὴν τεκνοκτονίαν, τούτῳ ΤΟΠΟΝ ἢ ΧΩΡΑΝ καταλελοιπὼς ἐν τῇ ψυχῇ. *Herodes vero, si vel minimam antea de filiis occidendis dubitationem habuerat, iam nullum locum isti dubitationi concedebat:* vbi τῷ ἐνδοιασίμῳ τόπον aut χώραν καταλελοιπέναι est, *dubitatione adhuc suspensum haerere, neque in alterutram partem aliquid decernere.* Malim tamen alteram illam interpretationem praeferre, quae ὀργὴν sumit de vltione diuina, cui iniuria, nobis illata, permittenda sit; propter sequentia, ἐμοὶ ἐκδίκησις etc. vt sensus sit: *Nolite vos ipsi vlcisci, sed locum concedite, poenaeque sumendae facultatem, occasionemque permittite irae diuinae.* Haec iam Chrysostomi fuit interpretatio, qui haec verba interpretatur: συγχώρησον τῷ Θεῷ ἐπεξελθεῖν, *permitte Deo puniendi facultatem et occasionem.* Vid. CASAVBONVS ad Athenaeum IX, 5. p. 632.

CAPVT XIII.

V. 1. Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω) VALESIVS ad Eusebium p. 66. et alibi dudum obseruauit, ἐξουσίας non solum denotare *iudices maiores*, qui ius gladii habent, sed etiam *minores.* Sic apud Iosephum B. I. II, 8, 7. ἐξουσία est *summus magistratus, princeps in Essenorum Republica umbratica*, quo qui fungebantur, κρατοῦντες et ἄρχειν ibidem dicuntur. Cum autem hic additum sit ὑπερεχούσαις, equidem malim interpretari cum de *summis magistratibus* in vniuersum, tum inprimis de *Imperatoribus Romanis.* Nam ὑπερέχειν *dignitatis quandam praestantiam prae aliis* indicat. Igitur ἐξουσίας ὑπερεχούσας idem esse puto, quod apud Iosephum B. I. VII, 11, 1. οἱ προὔχοντες τοῖς ἀξιώμασι, *Principes, et magistratus* sum-

summi, qui prae caeteris dignitate potestateque conspiciendi eminent. Erat autem, quare Paullus Romanis grauissime commendaret officium, magistratibus summis, et Imperatoribus praecipue, obsequendi. Nam qui in illorum temporum historia versati sunt, ignorare non possunt, sub imperio Claudii, et Neronis innumeros fuisse ciuium, qui horum, Imperatorum, an monstrorum, dicam? dominationem exosi, imperium eorum detrectare, resque nouas moliri conarentur. Haec ciuium in pessimos istos Imperatores inuidia, causa etiam fuit, quod Caligula morte violenta, Claudius veneno, et Nero denique non feliciori fato, de medio tolleretur. Quid, quod antea iam Iudaei, Romae commorantes, ob tumultum concitatum sub imperio Claudii, ex Vrbe erant eiecti? Vid. Actor. XVIII. 2. et Suetonium in Claud. C. XXV. Hanc autem male sanam opinionem, qua decepti, putabant Imperatoribus Romanis non esse praebendum obsequium, dubium non est, quin Iudaei hauserint e doctrina Pharisaeorum. Hi enim male animati erant erga omnes Principes, qui non Iudaicae et originis, et religionis essent; et ex loco Deuter. XVII. 15. secus, ac Deus volebat, accepto, imperatori Romano tributum pendere, et fidei iusiurandum praebere nolebant. In quam rem Iosephus A. XVIII, 2, 4. Φαρισαῖοι ΒΑΣΙΛΕΥΣΙ *δυνάμενοι μάλιστα* ΑΝΤΙΠΡΑΣΣΕΙΝ, *προμηθεῖς, κἀκ τοῦ προὔπτου εἰς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι. Παντὸς γοῦν τοῦ Ἰουδαϊκοῦ βεβαιώσαντος δι' ὅρκου ἦ μὴν εὐνοῆσαι Καίσαρι, καὶ τοῖς βασιλέως πράγμασι, οἵδε ἄνδρες* ΟΥΚ ΩΜΟΣΑΝ, *ὄντες ὑπὲρ ἑξακισχίλιοι. Pharisaei sunt maxime validi AD RESISTENDVM REGIBVS, circumspecti vtpote, data etiam occasione ad aperte bellandum, laedendumque prompti: et quidem, cum vniuersa Iudaeorum natio iurasset, se Caesaris, regisque rebus fauturos esse, ii non iurarunt, cum essent supra sex millia.* Iam, cum ex multis Iosephi locis constet, Phariseos summa auctoritate apud Iudaeos fuis-

fuiſſe, multosque ad placita ſua ſequenda pertraxiſſe: a vero non abhorret, peruerſae iſtius doctrinae Phariſaeorum aliquid in animis Iudaeorum, Chriſtianam religionem amplexorum, reſediſſe: quod cum penitus euellere, eosque vna cum aliis fidelibus Romanis, origine gentibus, deteſtandos iſtorum Imperatorum mores exoſis, ad obſequium cum ſummis magiſtratibus, tum Imperatoribus Romanis praecipue, praeſtandum commouere vellet; iubet eos parere *ἐξȣσίαις ὑπερεχȣ́σαις*. Cuius grauiſſimi praecepti rationem ſubiungit non minus grauem: *ȣ̓ γάρ ἐςιν ἐξȣσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεȣ͂*. Caeterum eadem ratio Magiſtratibus obſequendi affertur a Ioſepho B. I. II, 8, 7. *ȣ̓ δίχα Θεȣ͂ περιγίνεταί τινι τὸ ἄρχειν· Nemini ſine Deo obtingit imperandi poteſtas.*

v. 12. Ἡ *νὺξ προέκοψεν*) De huius vocis notione, et bonitate contra Lucianum diſputabamus ſupra ad Lucam C. II. v. 52. Hic illud addere operae pretium fuerit, eſſe *προκόπτειν* h. l. *maximam partem iam confeciſſe;* vt adeo, *ἡ νὺξ προέκοψε*, non ſit, *nox praeteriit*, ſed, *nox proceſſit, et vergit ad diem*, vt dudum CELLARIO, *τῷ πάνυ*, in Diſſertatt. Academicis obſeruatum. Hunc ſignificatum confirmat auctoritas Ioſephi A. II, 6, 7. de fratribus Ioſephi, furti alligatis: *ἐκάκιζόν τε τȣ̀ς ἐπιδιώξαντας, ὡς ἐμποδίζοντας αὐτοῖς τὴν ὁδὸν, δυναμένοις ἤδη* ΠΡΟΚΕΚΟΦΕΝΑΙ, *Perſequentibus conuiciabantur, per quos ſteterat, quo minus bonam itineris partem confectam haberent.* II, 16, 3. de Aegyptiis, Iſraëlitas perſequentibus: *ἐπεὶ ἑώρων ἀβλαβεῖς ἐπὶ τὸ πολὺ* ΠΡΟΚΕΚΟΦΟΤΑΣ, *Poſtquam eos ſatis ſaluos longius aliquanto proceſſiſſe conſpexerant.* Inprimis autem huc facit locus B. II, 4, 6. *νὺξ* ΠΡΟΚΟΠΤΟΥΣΑ, *nox, quae multum iam proceſſit, et ad diem vergit.*

v. 14. *Τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας*) Non conuenit inter Interpretes, vtrum vox *σαρκὸς* de *corpore*, an de *carne*, corruptelas naturales inferente, ſit accipienda. Ego quidem de *corpore*, ob rationes

etiam,

etiam, a WOLFIO allatas, cum B. LVTHERO intelligendum puto. Ex Ebraismo σὰρξ h. l. pro σῶμα ponitur. Eandem sententiam Paulli Iosephus, ex loquendi more Veterum Graecorum, ita expressit, ἐπὶ τὴν τῦ σώματος πρόνοιαν τρέπεσθαι. Locus est A. VIII, 13. 8. dignus, qui huc transferatur, cum ostendat, quomodo haec τῦ σώματος πρόνοια sit intelligenda. Τῆς Ἰζαβέλης τῆς γυναικὸς αὐτῦ πυνθανομένης, ὅ, τι λυπεῖται, καὶ μήτε λέεται, μήτε ἄριςον αὐτῷ παρατίθεται, μήτε δεῖπνον, διηγήσατο αὐτῇ τὴν Ναβύθυ σκαιότητα - - ἡ δὲ μὴ μικροψυχεῖν ἐπὶ τύτοις παρεκάλει, παυσάμενον δὲ τῆς λύπης, ἐπὶ τὴν συνήθη τρέπεσθαι τῦ ΣΩΜΑΤΟΣ ΠΡΟΝΟΙΑΝ· *Cum Iezabela, vxor Achabi, eum interrogasset, cur adeo doleret, neque lauaret, neque pranderet aut coenaret; ei narrauit Nabuthi duritiem et contumaciam - - Illa vero hortabatur, ne propterea animum despanderet, sed, moerore posito, ad consuetam corporis curam rediret.* Indicatur igitur τῇ προνοίᾳ σώματος cura corpori habenda, cum quod ad habitum, tum quod ad victum. Videtur autem Paullus eo consilio curam corporis Romanis suis praecepisse, ne, vt multi inter Iudaeos faciebant, corpus ergastulum quoddam et animi impedimentum, atque adeo durius habendum, omnique modo affligendum putarent. Haec peruersa opinio sectam Essenorum tenebat, de qua est apud Iosephum B. I. II, 8. Quod cum esset maxime iniustum, praecipit Apostolus, non negligendum esse duriterque tractandum corpus, sed curam eius habendam; eum autem modum in ea re esse adhibendum, ne cupiditates prauae excitentur. Caeterum, quam curam corporibus adhibendam hic Apostolus praecipit, eam suo tuendo impendisse Mosen, tradit Philo de *Vita Mos.* Lib. I. p. 607. Γαςρὶ, ἔξω τῶν ἀναγκαίων δασμῶν, ὡς ἡ Φύσις ἔταξεν, ὐδὲν πλέον ἐχορήγει· *Corpori nihil quicquam dabat, praeter tributum naturae necessarium.* Hoc est, τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ εἰς τὰς ἐπιθυμίας ποιεῖσθαι!

CAPVT

CAPVT XIV.

V. 1. Τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε) B. WOLFIVS προσλαμβάνεσθαι interpretatur, *pro membro Ecclesiae agnoscere;* quod, vereor vt linguae ratio patiatur. GROTIVS explicat, *non repudiare*, quod sequentia non admittunt. Malim equidem προσλαμβάνεσθαι exponere *corrigere*, *meliora docere*. Apud Iosephum aliquoties eo sensu ἀναλαμβάνειν, quod nihil aliud denotat, quam προσλαμβάνειν. Sic B. I, III. 5, 6. de Romanis, omnia in bello consulto administrantibus: Σφάλλονται μὲν ἥκιστα, κἂν πταίσωσι δὲ, ῥαδίως ΑΝΑΛΑΜΒΑΝΟΥΣΙ τὰ σφάλματα. *Quam minime errant, aut si errauerint, facile CORRIGVNT errores.* Igitur haec Paulli verba interpreter sic: *Eum, qui infirmus adhuc est, nec satis accuratam cognitionem in quibusdam doctrinae capitibus consecutus est, corrigite, meliora docete:* quod quoniam signum benignitatis est, commode quoque reddi potest, *benigne tractate.* Neque alio sensu ipse Deus v. 3. τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαβέσθαι dicitur. Caeterum facile intelligitur, πίστιν h. l. non esse *fidem saluificam*, sed *certam cognitionem et persuasionem in capitibus quibusdam doctrinae Christianae:* quo sensu v. 2. πιστεύειν, et v. 22. πίστιν ἔχειν occurrit.

CAPVT XVI.

V. 1. Ἵνα παραστῆτε αὐτῇ) *Vt eam adiuuetis:* metaphora elegantissima, petita a militibus, qui in acie sibi adstant, mutuoque sunt auxilio, vnde παραστάται dicuntur. Hoc sensu est apud Iosephum, B. I. II, 12, 7. Κουμάνῳ πολλοὶ τῶν δυνατῶν ΠΑΡΙΣΤΑΝΤΟ, *Multi potentiorum Cumano auxilio erant:* vnde παραστάτης *auxiliator*, apud eundem A. I, 13, 3. ὁ Θεὸς εὐμενὴς γέγονέ μοι ΠΑΡΑΣΤΑΤΗΣ καὶ σύμμαχος, *Deus benignus mihi defensor et adiutor fuit.*

v. 23. Ὀικονόμος τῆς πόλεως) Recte a Viris doctis explicatur, *Administrator, dispensator pecuniarum publicarum.* Fuerunt hi Viri magnae dignitatis, et auctoritatis in vrbibus: vnde apud Iosephum οἰκονόμοι et ἄρχοντες coniunguntur, A. XI, 6. 12. vbi de Rege Artaxerxe ita: μεταπεμφθέντας τὰς γραμματεῖς ἐκέλευσε γράφειν τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τῶν Ἰουδαίων, τοῖς τε ΟΙΚΟΝΟΜΟΙΣ καὶ ἄρχουσιν· *Scribis regiis arcessitis praecepit, vt scriberent ad gentes omnes, ad PROCVRATORES et magistratus.* De οἰκονόμῳ priuato apud eundem Iosephum est XII, 4, 7.

* *

IN PRIOREM
AD CORINTHIOS
EPISTOLAM.

CAPVT I.

V. 20.

Ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου) Quis hic fuerit, varie disputatum, et ad huc sub iudice lis est: varias Interpretum sententias, more suo, diligentissime recensuit WOLFIVS. Illud hic addendum, BERNARDVM, Virum longe versatissimum in literis orientalibus, ad Iosephi A. IV, 8, 14. hunc Paulli συζητητὴν τοῦ αἰῶνος τούτου eum esse putare, qui apud Iudaeos in Synedrio M. praesideret, *Hannasi et Hammuphla* dictus: quam vere, iudicent me peritiores! Mihi quidem omnium optime illi, qui de *acuto quodam et subtili disputatore* accipiunt, Hebraeis דרשן dicto: de qua re alio et tempore et opere commodius. Sequitur, οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου; In qua re inprimis σοφίαν Iudaei posuerint, docet

docet Iosephus, sub finem Operis Antiquitatt. *μόνοις ΣΟΦΙΑΝ μαρτυροῦσι τοῖς τὰ νόμιμα σαφῶς ἐπισταμένοις, καὶ τὴν τῶν ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν ἑρμηνεῦσαι δυναμένοις· Solos sapientes haberi volunt illos, qui legum scientiam consecuti sunt, et in sacris literis rerum verborumque vim scite interpretari possint.*

CAPVT II.

V. 13. *Πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες)* Vertunt quidam, *comparantes:* quem significatum sane vox habet, v. c. apud Iosephum A. V, 1, 21. de agris Chananaeorum: *ὡς ἴδοι τις ἂν πεδία μεγάλα καὶ καρποὺς φέρειν ἱκανώτατα, καὶ ΣΥΓΚΡΙΝΟΜΕΝΑ ἑτέρᾳ γῇ, πανευδαίμονα νομισθησόμενα. Videre licet campos, eosque frugibus edendis aptissimos, qui, alii terrae COMPARATI, fertilissimi haberi possint:* mox pro ea voce vtitur *τῷ παραβαλλόμενα.* Melius autem, consilioque Paulli conuenientius, qui *συγκρίνειν* h. l. accipiunt pro *interpretari:* qui vocis significatus, ad Ebraici פתר imitationem formatus, LXX. Senioribus satis frequens est. Eadem notione simplex *κρίνειν* saepe apud Iosephum, v. c. A. II, 2, 2. de Iosepho, fratribus somnium narrante, *Ἣν ὄψιν, ἐγερθεὶς, τοῖς ἀδελφοῖς, ὡς ΚΡΙΝΟΥΣΙΝ αὐτῷ τὸ σημαινόμενον, ἐξέθετο· Experrectus, fratribus somnium narrauit, vt id sibi interpretarentur:* neque alia notione *κρίσις* apud eundem l. c. §. 4. *ὁ Ἰάκωβος τοιαύτην οὐκ ἀσυνέτως τῆς ὄψεως ΚΡΙΣΙΝ ἐποιήσατο· Iacobus sapienter somnium interpretatus est:* et A. II, 5, 4. *κρίσις* et *ἐξήγησις* vt *συνώνυμα* occurrunt; et sic multis locis aliis. Sensum autem horum verborum Paulli, in quibus interpretandis, mirum, quam interpretes in diuersum abeant, puto esse hunc: *Nos interpretamur oracula diuina, a Spiritu S. reuelata (πνευματικὰ) ex doctrina, quam nobis Spiritus S. suppeditat (πνευματικοῖς,* sc. *λόγοις.)*

CAPVT IV.

V. 9. Ὁ Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν ὡς ἐπιθανατίους) Reddunt vulgo ἐσχάτους ἀπέδειξεν, *vltimos fecit*, quod non probandum: Nam ἔσχατοι h. l. sunt *contemptissimi*, *infimae conditionis homines*, quos Cicero etiam pro Rosc. Amer. c. XLVII. *postremos* vocat: ἀπέδειξεν autem reddendum erat, *constituit*: qua notione saepe apud optimum quemque auctorem. Iosephus A. I, 3, 4. Λάμεχος Νῶεον τῶν πραγμάτων ΑΠΟΔΕΙΚΝΥΣΙ προστάτην τὸν υἱόν· *Lamechus Noeum filium rerum suarum Praefectum constituit.* II, 11, 2. τῶν θρεμμάτων, ἐν τούτοις γὰρ ἡ πᾶσα κτίσις τὸ παλαιὸν ἦν τοῖς βαρβάροις, ΑΠΟΔΕΙΚΝΥΣΙΝ ἐπιμελητὴν καὶ δεσπότην, *Raguelus Mosen pecorum, in quibus vniuersae olim barbarorum opes, curatorem et dominum constituit*: possis etiam commode ἀπέδειξε reddere *separauit*, hoc sensu: *Deus nos Apostolos, infimae conditionis homines, ex reliquis omnibus selegit*, ὡς ἐπιθανατίους, *vt bestiarios, arenae et morti destinatos*: hac notione exquisita hoc verbum occurrit apud Iosephum A. VIII, 8, 4.

Ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν) Haec verba nuper *in Commentario nostro ad Decret. Atheniens.* p. 87. ex eo more Graecorum, quo homines malefici in theatris non solum ignominiae ludibriique causa exhibebantur, sed supplicio etiam afficiebantur, ita reddenda putabamus: *Nos Apostoli non aliter tractamur, quam ii, qui ignominiae suppliciique causa in theatro producuntur, hominumque oculis tanquam spectaculum quoddam exhibentur.* Qua occasione monebam, mihi videri illos viros doctos humanitus errare, qui hunc Paulli locum ex eo more illustrandum putent, quo homines morte plectendi, in theatrum, cum leone aut vrsa depugnaturi, ducerentur: cuius sententiae nec nunc me poenitet, cum pugna hominum, cum bestiis ineunda, non in *theatro*, sed in *Circo* instituta fuerit. Huic autem sententiae meae, vt ingenue fatear, obstare

videtur locus Iosephi, vbi tradit, quid captiuis Iudaeis, vrbe ipsorum capta et diruta, factum sit: Locus est B. I. VI, 9, 2. πλείστους εἰς τὰς ἐπαρχίας διεδωρήσατο Τίτος, φθαρησομένους ἐν τοῖς ΘΕΑΤΡΟΙΣ σιδήρῳ καὶ θηρίοις· *Plurimos per prouincias distribui iussit Titus., in THEATRIS ferro et bestiis consumendos.* Sed mihi dubium non est, quin vox θεάτρου eo loco, significatu paullo latiori sit sumenda, atque adeo *spectaculum* quodcunque, atque in *Circo* etiam exhibendum, denotet. Nam, quantum equidem sciam, illud θηριομαχεῖν locum tantum in *Circo*, non autem in *theatro*, habuit.

v. 13. Περικαθάρματα καὶ περίψημα) Quae περικαθάρματα proprie Graecis dicantur, omnium accuratissime docet LAMB. BOS in Animadv. Philol. ad h. l. Hic autem, vti et apud alios Graecos saepissime, περικαθάρματα sunt *quisquiliae, sterquilinia, et omnium bipedum nequissimi.* Iuuat in hanc rem locum Iosephi B. I. IV, 4, 3. addere, vbi ἀθύρματα καὶ καθάρματα τῆς χώρας ὅλης, *scelera et purgamenta*, h. e. summae nequitiae et impietatis homines, occurrunt: hos homines paullo ante nominabat ἀνθρώπους ἐξωλεστάτους, *homines perditissimos*, et μυρίων θανάτων ἀξίους, *mille mortibus dignos.* Sed non poeniteat locum ipsum transferre huc, cum expressam et viuam τῶν καθαρμάτων imaginem nobis ob oculos ponat: τὰ ἀθύρματα καὶ ΚΑΘΑΡΜΑΤΑ τῆς χώρας ὅλης, κατασωτευσάμενα τὰς ἰδίας οὐσίας, καὶ προγυμνάσαντα τὴν ἀπόνοιαν ἐν ταῖς πέριξ κώμαις τε καὶ πόλεσι, τελευταῖα λεληθότως παρεισέῤῥευσαν εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν· λῃσταὶ, δι' ὑπερβολὴν ἀσεβημάτων μιαίνοντες καὶ τὸ ἀβέβηλον ἔδαφος, οὓς ὁρᾷν ἐστι νῦν ἀδεῶς ἐμμεθυσκομένους τοῖς ἁγίοις, καὶ τὰ σκῦλα τῶν πεφονευμένων καταναλίσκοντας εἰς τὰς ἀπλήστους γαστέρας. *Haec scelera et purgamenta omnis regionis, luxu absumptis patrimoniis suis, factoque audaciae suae temerariae in vicis et ciuitatibus circumcirca experimento, tandem in vrbem sacram clam se infuderunt: latrones, qui scelerum immanitate solum non profanum pollerunt,*

luerunt, quos nunc videre eſt impune inter ſacra ſe inebriantes, et in ventres inſatiabiles peremptorum ſpolia ligurientes.

CAPVT VII.

V. 31. Καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι) Falluntur, qui καταχρώμενοι reddunt, *male vtentes*: reddendum omnino *vtentes*, Compoſito pro Simplici poſito: aliter non reſponderet antecedentibus, οἱ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες, etc. Neque inſolens Graecis, καταχρᾶσθαι pro χρᾶσθαι ponere. Ioſephus A. III, 14, 2. de Exploratoribus terrae promiſſae: τήν τε τῆς γῆς φύσιν, καὶ τὴν τῶν ἐνοικούντων ἀνθρώπων ἐξιστορήσαντες παρῆσαν, τεσσαράκοντα ἡμέραις εἰς πᾶν ΚΑΤΑΧΡΗΣΑΜΕΝΟΙ τὸ ἔργον. *Explorata regionis ſimul et incolarum natura, quadraginta diebus ad hoc negotium VSI, reuerſi ſunt.* IX, 8, 2. Σκευασθέντος δὲ τοῦ ναοῦ, τὸν ὑπολειφθέντα χρυσὸν καὶ ἄργυρον, οὐκ ὀλίγος δὲ ἦν, εἰς τε κρατῆρας καὶ οἰνοχόας καὶ ἐκπώματα, καὶ τὰ λοιπὰ σκεύη ΚΑΤΕΧΡΗΣΑΝΤΟ. *Templi autem refectione abſoluta, reliquum auri et argenti (quod ſane non exiguum erat) in crateras et vrceolos et pocula, atque alia vaſa IMPENDEBANT.* XII, 4, 5. συναγαγὼν δὲ πολλὰ χρήματα, καὶ κέρδη ποιήσας μεγάλα ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν τελῶν, εἰς τὸ διαμεῖναι τὴν ὑπάρχουσαν αὐτῷ δύναμιν τοῖς οὖσι ΚΑΤΕΧΡΗΣΑΤΟ· *Vbi autem multum pecuniae collegerat, et magnum ex vectigalium redemptione lucrum fecerat, divitiis ad potentiam, quam habebat, ſtabiliendam VSVS EST.* Latinos quoque *abuti* pro *vti* vſurpare, vel tirones ſciunt.

Παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου) Non erat ſane, quare Viri quidam docti in definienda τοῦ σχήματος notione et a theatris repetenda, tam ſollicite laborarent. Nam σχῆμα τοῦ κόσμου ex linguae ratione nihil aliud eſt, quam κόσμος ſ. *mundus*, ita tamen, vt ad praeſentem rerum ſtatum ſimul reſpiciatur. Sic Ioſephus A. III, 12, 3. inter beneficia, ſeptimo quoque anno in Iſraëlitas redundantia,

T 2 dantia,

dantia, refert et hoc: οἱ δουλεύοντες ἐλεύθεροι ἀφίενται, ὡς ὄντας ὁμοφύλους, καὶ παραβάντας τι τῶν νομίμων, τῷ ΣΧΗΜΑΤΙ τῆς δουλείας ἐκόλασε, θάνατον οὐκ ἐκδεχομένους· *Serui liberi dimittuntur, quos, contribules cum essent, et legem aliquam violauerint, seruitutis poena affecit, vtpote mortis supplicio exemptos:* vbi σχῆμα τῆς δουλείας simpliciter est *seruitus*, respectu tamen ad seruorum conditionem habito: neque ulla Emphasis in eo quaerenda. Nam quibus σχῆμα τῆς δουλείας tribuitur, ii paullo ante dicuntur simpliciter οἱ δουλεύοντες. Idem dicendum de hoc Paulli loco, vbi σχῆμα τοῦ κόσμου simpliciter est κόσμος: quod egregie confirmat locus parallelus Iohannis, I. Ep. II. 17. ὁ κόσμος παράγεται· pro quo hic Paullus παράγει, notione eadem, cum, more loquendi Graecorum, Actiua saepe, subintellecto Pronomine Reciproco, Passiuam s. Neutralem vim obtineant.

CAPVT VIII.

V. 4. Οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν τῷ κόσμῳ) Hoc est, *omnes reliquos Deos non nisi vana et inania esse, sine re nomina.* Facit huc egregius Iosephi locus, VIII, 13, 6. vbi tradit, Israëlitas, postquam, luculentissimis rerum documentis edocti, intellexerint, reliquos Deos ab Elia vanitatis fuisse conuictos, solum Deum esse colendum, cognouisse: Οἱ δ' Ἰσραηλῖται, τοῦτο ἰδόντες, ἔπεσον ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ προσεκύνουν ἕνα Θεὸν, καὶ μέγιστον καὶ ἀληθῆ μόνον ἀποκαλοῦντες· τοὺς δ' ἄλλους ΟΝΟΜΑΤΑ ὑπὸ φαύλου καὶ ἀνοήτου δόξης ΠΕΠΟΙΗΜΕΝΑ· *Cum autem hoc vidissent Israëlitae, in terram procidebant, vnumque Deum adorabant, et maximum et solum Deum appellantes, alios vero Deos TANTVM NOMINA esse, a praua et stulta hominum opinione conficta.*

CAPVT

CAPVT IX.

V. 2. Ἡ γὰρ σφραγὶς τῆς ἐμῆς ἀποςολῆς ὑμεῖς ἐςε ἐν κυρίῳ) Mihi metaphora ducta videtur a Sigillo Principum, imprimi solito literis legatorum, quo certius de eorum dignitate auctoritateque constare possit: vnde σφραγὶς *certissimum veritatis argumentum et documentum.* Sensus est: *Quemadmodum ex Principum Sigillo, literis legatorum impresso, de eorum dignitate auctoritateque constat; sic vestra ad Christianam religionem conuersio, mea opera suscepta, certissimo argumento et documento est, me verum esse legatum et Apostolum a Christo missum.* Hoc fere sensu translato σφραγὶς est apud Iosephum in Libro *de Maccabaeis* §. 7. de Eleazaro, mortem crudelissimam illam quidem, maxime tamen honorificam, perpesso: ὦ μακαρίȣ γήρως, καὶ σεμνῆς πολιᾶς, καὶ βίȣ νομίμȣ, ὃν πιςὴ θανάτȣ ΣΦΡΑΓΙΣ ἐτελείωσεν. *O beatam senectutem, venerandam canitiem, vitamque sanctissimam, quam fidum mortis sigillum clausit et confirmauit.*

v. 9. Οὐ φιμώσεις βȣ̃ν ἀλοῶντα) De hac Lege Dei Deuter. XXV. 4. ab Apostolo ad alendos verbi diuini Ministros translata, eleganter disputat Iosephus A. IV, 8, 21. τὸ θεῖον τὴν γῆν προθυμοτέραν εἰς τὴν ἐκτροφὴν τῶν καρπῶν απεργάσεται, μὴ τȣ̃ καθ᾽ αὐτȣ̀ς προνοȣμένων λυσιτελȣ̃ς. ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἄλλων διατροφῆς λόγον ἐχόντων· μηδὲ βοῶν, ὁπότε τρίβοιεν τȣ̀ς ςάχυας, ἀποδεῖν τὰ ςόματα ἐπὶ τῆς ἅλωος· ȣ̓ γὰρ εἶναι δίκαιον εἴργειν τȣ̀ς συνειργασμένȣς τȣ̃ καρπȣ̃, καὶ περὶ τὴν γένεσιν αὐτȣ̃ πονήσαντας. *Deus terram ad fructus alendos alacriorem efficiet, si non suae tantum vtilitati prospexerint, sed etiam alimenti aliorum rationem habuerint. Neque boum in area triturantium ora obligentur. Non enim aequum est, eos a fructu arcere, qui vna laborarunt, et in eius procuratione sese delassarunt.*

Caput X.

V. 8. Ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες) In hac re tradenda a diuino Scriptore discrepare videtur Iosephus, qui A. IV, 6, 12. ita: Ἀπόλλυνται μὲν οὖν ἐκ τῶν τάξεων ἄνδρες οὐκ ἐλάττους τετρακισχιλίων καὶ δισμυρίων· *Mortui sunt itaque ex ordinibus in ea clade non pauciores VIGINTI QVATVOR hominum MILLIBVS.* Eundem numerum cum Iosepho tuetur Textus Ebraicus, LXX. Seniores, et Philo Iudaeus. Quae igitur ratio est Paulli cum caeteris conciliandi? Scilicet illa, haud dubie omnium commodissima, quam Vir eruditissimus, EDVARD. BERNARDVS ad h. l. Iosephi suppeditauit, HAVERCAMPVS autem, et alii, assensus sui calculo probarunt, qua dicendum est, viginti tria millia hominum vi diuina, mille hominum autem gladio zelatorum interiisse.

Caput XIV.

V. 16. Ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου) Hoc est, ex loquendi more Hebraeorum, *idiota* f. *imperitus.* Nam Hebraeis illa loquendi ratio מלא מקום, *implere locum*, nihil aliud, quam *statum conditionemque hominis* indicat: vnde iisdem מלא מקום אבותיו, *Implet locum patrum suorum*, est, *patrissat.* Vide HOTTINGERVM *de vsu Scriptor. Hebraic. in N. T.* apud RHENFERDIVM p. 399. Neque Graeci ab hac loquendi ratione multum recedunt. Ita fere Iosephus B. I. V, 2, 5. vbi milites Titum in obsidendis Hierosolymis adhortantur, ne gregarii militis officio fungatur, mortisque periculo sese exponat: μὴ στρατιώτου τάξιν ΑΠΟΠΛΗΡΟΥΝΤΑ, καὶ τοῦ πολέμου καὶ τῆς οἰκουμένης δεσπότην, ὀξεῖαν οὕτω ὑφίστασθαι τροπήν, ἐν ᾧ σαλεύει τὰ πάντα· *Ne, militis officio fungens, tum esset belli et orbis terrarum dominus, in celeri adeo mutatione staret, in quo vertatur omnium fortuna.* De voce ἰδιώτου dicemus ad II. Cor. XI. 6.

Caput

CAPVT XV.

V. 57. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος) RAPHELIVS, suffragante WOLFIO, τὸ νῖκος διδόναι interpretari vult, *Victoriam certo polliceri*; contra linguae rationem, si quid video: exempla certe, in hanc rem a RAPHELIO laudata, rem non conficiunt. Postulat sane linguae ratio, vt νῖκος διδόναι interpretemur *victoriam concedere*. Sic apud Iosephum A. VI. 7,4. Saulus, post victoriam de Amalecitis reportatam, iisdem fere verbis, quibus hic Paullus, Deo reportatam victoriam acceptam refert: τῷ Θεῷ εὐχαριστῶ ΔΟΝΤΙ μοι τὴν ΝΙΚΗΝ, *Deo gratias ago, qui mihi victoriam dedit.* Neque huic interpretationi obstat id, quod Vir ille eruditissimus affert; *Paulum loqui de ea victoria, cuius v. 54. et 55 meminerit, quae extremo demum die sit reportanda.* Constat enim satis, a scriptoribus Sacris saepe Tempus, quod dicunt, Praesens de re adhuc futura vsurpari, ad eius certitudinem indicandam.

CAPVT XVI.

V. 2. Ἕκαστος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω) Quam huius loci interpretationem ex COCCEIO attulit WOLFIVS, ea, nulla quippe veri specie commendabilis, penitus est reiicienda. Neque probatur mihi interpretatio Verborum παρ' ἑαυτῷ, quam WOLFIVS ex WERNERO laudauit. Verba enim παρ' ἑαυτῷ omnino reddenda erant, *in domo sua*, vt Franco-Galli, *chez lui*. Sic apud Iosephum οἴκαδε et παρ' ἑαυτῷ vt Synonyma iunguntur, A. IX, 4, 4. καθεζόμενος δ' οἴκαδε (pro οἴκοι) ΠΑΡ ΕΑΥΤΩι σὺν τοῖς μαθηταῖς, ἐμήνυσεν αὐτοῖς· *Elissaeus DOMI SVAE sedens vna cum discipulis*: τίθεσθαι autem hic est *seponere aliquid, certis vsibus destinatum*, quod alias ἀποτίθεσθαι. Sic Iosephus hoc Verbo vtitur de frumento, fertilibus annis condendo et seponendo ad imminentem sterilitatem sustinen-

dam, A. II. 5,7. ΑΠΟΤΙΘΕΣΘΑΙ τε παρῄνει λαμβάνοντα τὸν σῖτον παρὰ τῶν γεωργῶν, τὰ διαρκῆ μόνον εἰς διατροφὴν χορηγοῦντα. *Quin et hortabatur* Iosephus, *vt frumentum, ab agricolis acceptum, in horrea recondi curaret, tantumque duntaxat vnicuique suppeditari, quantum sat esset ad victum.* Sic XVIII, 9, 1. ᾤχοντο εἰς τι χωρίον -- νομὰς ἀγαθὰς παρασχεῖν πεφυκὸς, καὶ χιλῶν ἐπόσοι εἰς τὸν χειμῶνα ΑΠΟΤΙΘΟΙΝΤΟ. *In locum quendam se conferebant, -- vbi magna solebat esse pascuorum copia, et vbertas fructuum, qui in hyemem possunt reponi.* Sensus igitur est: *Singulis diebus, Dominicis quippe, in domo sua aliquid seponat, quod conferatur in egenos.* Quod hic Apostolus Christianis faciendum suadet, id olim Athenienses fecisse accepimus, qui singulis mensibus, constituto quodam die, domi suae doni quiddam aut pecuniae seponebant Mercurio, quo huius Dei, lucri quippe praesidis, fauorem aucuparentur: Testis eius rei Enarrator Aristophanis ad Plut: v. 1127. Ἡ τετρὰς ἐνομίζετο τοῦ Ἑρμοῦ, καὶ καθ' ἕκαστον μῆνα ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ΑΠΕΤΙΘΕΝΤΟ τῷ ἑρμῇ, ad quem locum vide HEMSTERHVISIVM, τὸν πάνυ.

* *

IN

POSTERIOREM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

CAPVT III.

V. 2.

Ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐστε, ἐγγεγραμμένη ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν) Sensus est, *Paulum Corinthiorum animis, tanquam tabulis, Spiritus S. opera, Legem Noui Foederis quasi inscripsisse, penitusque infixisse.* In re non dissimili iisdem

dem fere verbis vtitur Iosephus, A.IV, 8, 12. vbi agit de Iudaeorum studio Legem diuinam cognoscendi, assiduaque lectione memoriae infigendi: Καλὸν. ταῖς ψυχαῖς ΕΓΓΡΑΦΕΝΤΑΣ νόμους καὶ τῇ μνήμῃ φυλαχθῆναι, ὡς μηδέποτε ἐξαλειφθῆναι δυναμένους. *Decet, Leges animis inscriptas esse, memoriaque teneri, ita vt nunquam deteri possint:* et Lib. II. contra Apion. §. 18. Ἡμῶν ὁντινοῦν εἴ τις ἔροιτο τοὺς νόμους, ῥᾷον ἂν εἴποι πάντας ἢ τοὔνομα τὸ ἑαυτοῦ· τοιγαροῦν ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς αἰσθήσεως αὐτοὺς ἐκμανθάνοντες ἔχομεν ἐν ταῖς ΨΥΧΑΙΣ ὥσπερ ΕΓΚΕΧΑΡΑΓΜΕΝΟΥΣ. *Ex nostris quemcunque de legum nostrarum capitibus interroges, vniuersas facilius quam suum ipse nomen edisseret: quippe quas iam vsque ab ea, qua primum aliquid sentire coepimus, aetate haustas, mentibus deinde infixas quodam modo impressasque teneamus.* His vocibus, praegnantis sane notionis, ἐγγράφειν et ἐγχάραττειν, indicatur et summum studium rei alicuius alteri trandendae, penitusque memoriae infigendae, et assidua cura rem cognitam perceptamque retinendi.

v. 5. Οὐχ᾽ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν) *Non quo possemus*: ita enim saepe apud politissimum quemque scriptorem οὐχ᾽ ἱκανὸν εἶναι, pro *non posse, omni facultate, omnibusque viribus rei agendae destitutum esse.* Apud Iosephum A.I, 1, 1. τὴν αἰτίαν ΙΚΑΝΟΣ μέν εἰμι ἀποδοῦναι καὶ νῦν, *Cuius rei rationem POSSEM et nunc reddere:* et ibid. 13, 2. Isaaco, iam immolando, percontante, quidnam pater mactaturus sit, cum nulla praesto sit victima, Abramus ita respondet: τὸν Θεὸν αὐτοῖς παρέξειν, ΟΝΤΑ ΙΚΑΝΟΝ καὶ τῶν οὐκ ὄντων εἰς εὐπορίαν ἀνθρώπους παραγαγεῖν, καὶ τὰ ὄντα τῶν ἐπ᾽ αὐτοῖς θαῤῥούντων ἀφελέσθαι· *Deum ipsis victimam esse praebiturum, qui POSSIT et hominibus, quae desint, affatim suppeditare, et, quae habeant, si in illis fiduciam ponant, adimere*: ἀφ᾽ ἑαυτῶν autem est, *ex sua ipsius facultate, suis viribus:* qua notione παρ᾽ ἑαυτῶν apud Iosephum est A.IV, 6, 5. C.VI, §. 5, παντελῶς ἀσθενεῖς οἱ προγινώσκειν περὶ τῶν ἀνθρωπείων ΠΑΡ᾽ ΕΑΥΤΩΝ λαμ-

 βά-

βάνοντες, *Infirmi plane sunt, qui aliquid futuri de rebus humanis SVO EX INGENIO volunt praenoscere.* Commodissime haec transtuleris ad istam *ἀδυναμίαν* nostram in rebus spiritualibus, de qua hic Paullus.

CAPVT IV.

V. 2. *Ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης*) *Reiiciamus, auersemur.* Eleganti significatu! Dicendi Verba, cum *τῷ ἀπὸ* iuncta, apud cultissimae dictionis scriptores significant *abnuere, denegare.* Iosephus A. VI, 7, 4. de Deo, nolente precibus locum concedere Samuelis, pro Saulo intercedentis, ΑΠΕΙΠΕΝ *ὁ Θεὸς τῇ τῦ προφήτυ δεήσει*, *Deus denegauit Samueli, quod petierat:* et III, 12, 1. *τὸ μίσγεσθαι δὲ μητράσιν, ὡς κακὸν μέγιστον ὁ νόμος* ΑΠΕΙΠΕΝ, *Matribus misceri, vt omnium nequissimum prohibuit Lex.* Vnde in Voce Media, *ἀπείπασθαι a se reiicere.* *Τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης* autem sunt *res venereae, variae fraudes,* etc.

V. 7. *Ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τῦ Θεῦ*) *ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως* est *Summa illa vis, quae se in Euangelio exserit:* ita *ὑπερβολῆς* vox apud cultissimum quemque scriptorem, vt *summam rei perfectionem* indicet. Iosephus A. I, 13, 4. *ἡ* ΥΒΕΡΒΟΛΗ *τῆς θρησκείας*, *summa pietas.* Lib. II. Antiquitatt. C. II. §. 1. *ἡ* ΥΒΕΡΒΟΛΗ *τῶν ἀγαθῶν*, *summa bona*; et sic multis locis aliis.

V. 8. *Ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' ὐ στενοχωρέμενοι*) Sensus est, *Nos vndique omni calamitatum genere affligimur, non ita tamen, vt animum despondeamus, spemque, ex his tot, tantisque malis eluctandi, abiiciamus.* Sed verbis tam exquisitis expressus est, vt nesciam, an apud ullum scriptorem, qui vnice laudem diligenter scribendi sectatus est, elegantius quid inueniatur. Sed iuuat hunc locum, quia nondum satis accurate a Viris doctis illustratum vidi, paullo dilucidius et ex linguae ratione, et ex more Graecorum, quem Apostolus hic respicit, exponere. Iam primum

mum στενοχωρεῖσθαι *dicuntur, quorum fauces, aliaque animae trabendae instrumenta, ita coarctata et compressa sunt, vt spiritus trabendi meatibus omnis fere aditus praeclusus sit.* Qua notione hoc Verbum est apud Iosephum, vbi cum τῷ ἄγχειν, voce eiusdem notionis, iungitur. Locus est in Libro de Maccab. §. II. vbi loquitur de quinto fratre, exquisitissimis cruciatibus necato: οἱ δορυφόροι δήσαντες αὐτὸν εἷλκον ἐπὶ τὸν καταπέλτην· ἐφ' ὃν δήσαντες αὐτὸν ἐπὶ τὰ γόνατα, καὶ ταῦτα ποδάγραις σιδηραῖς ἐφαρμόσαντες, τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ περὶ τροχαῖον σφῆνα κατέκαμψαν· περὶ ὃν ὅλος περὶ τὸν τροχὸν σκορπίου τρόπον ἀνακλώμενος ἐξεμελίζετο· καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον τὸ πνεῦμα ΣΤΕΝΟΧΩΡΟΥΜΕΝΟΣ, καὶ τὸ σῶμα ΑΓΧΟΜΕΝΟΣ, ἔλεγεν· *Carnifices in catapultam rapiunt vinctum; vbi ligatis genibus, iisdemque ferrea compede aptatis, lumbos circa orbicularem cuneum contorquent: totusque rotam ambiens, scorpii instar, refractus, membris diuulsis detruncabatur. Atque ita, spiritu* CO ARCTATO, *corporeque* PRAEFOCATO -- *inquit:* ex quo loco τοῦ στενοχωρεῖσθαι vis dilucidissime perspici potest: Porro scribit ad h. l. WOLFIVS, *si τὸ θλίβεσθαι de athletis in stadio certatim currentibus* (Haec verba, *in stadio certatim currentibus*, abesse debebant, cum athletae neque in stadio currerent, neque curforibus Vox θλίβειν conueniat) *et se inuicem, vt res ferebat, comprimentibus, vnquam a veteribus adhibitum legissem, vix eram dubitaturus, Apostolum ad eos respicere, cum in sequentibus ad athletica eiusmodi certamina respectus babeatur.* Sed, ὦ θαυμάσιε, non erat, quare dubitares, an τὸ θλίβεσθαι de athletis dicatur, cum saepe ita apud scriptores. *Nam θλίβειν, vti et πιέζειν, dicitur athleta, cum aduersarii corpus lacertis implicat, tamque arcte comprimit, vt spiritus coarctetur.* Libanius, de Antaeo, ab Hercule suffocato: τὼ χεῖρε πρὸς τὸν Ἀνταῖον ἔχει συμπλέξας, καὶ ΠΙΕΖΕΙ λαβὼν, καὶ καταβάλλειν ἀπειλεῖ πρὸς τὴν φύσασαν: quod si eliderct fauces, dicebatur ἐκθλίβειν τὸ πνεῦμα. Philostratus in Iconibus de eodem Antaeo et Her-

cule: συνείληφε τὸν Ἀνταῖον μέσον, ἄνω κενεῶνος, ἔνθα αἱ πλευραί, καὶ κατὰ τοῦ μηροῦ ὀρθῶς ἀναθέμενος, ἔτι τὲ καὶ τὼ χεῖρε ξυμβαλὼν λαγαρῷ καὶ ἀσθματοῦσῃ τῇ γαστρὶ ὑποσχὼν τὴν πῆχυν, ΕΚΘΛΙΒΕΙ τὸ πνεῦμα. Plutarchus in Alcibiade: ἐν μὲν γὰρ τῷ παλαίειν ΠΙΕΖΟΜΕΝΟΣ, ὑπὲρ τοῦ μὴ πεσεῖν ἀναγαγὼν πρὸς τὸ στόμα τὰ ἅμματα τοῦ ΠΙΕΖΟΝΤΟΣ, οἷος ἦν διαφυγεῖν τὰς χεῖρας. Sic etiam ἄγχειν et ἀποπνίγειν eodem modo vsurpantur, de quibus, vt et caeteris Verbis in re athletica solennibus, omnino dignus est, qui consulitur, in opere vere tessellato, *Agonisticon* inscripto, P. Faber, Lib. I. C. X. Latini hanc *artem, aduersarii corpus lacertis implicandi et arcte comprimendi*, quod Graecis θλίβειν, πιέζειν est, *implicare*, *ligare*, item *nodare* dicunt. Statius, *manu Libycas nodare palaestras*, vt recte GRONOVIVS, ὁ πάνυ, pro vulgato illo et inepto *nudare* restituit. Neque minus in ea re Verba solennia, et luctae propria, *vincula*, *nexus*, *nodi*; de quibus, vti de tota hac re, accuratissime, vt solet, Magnus ille GRONOVIVS in illo, exquisitissimae doctrinae copia referto, Commentario in Statium C. XXIV. In quam rem Quinctilianus, Lib. II. Institutt. C. IX. *Ille, exercendi corpora peritus, non si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut NEXVS modo, atque in his certos aliquos, docebit, sed omnia, quae sunt eius certaminis.* vbi *nexus* proprium palaestrae Verbum. Sic apud Silium Ital. Lib. III. 33. *Nexu elisa Leonis Ora Cleonaei*: vbi videndus DRAKENBORCHIVS; neque aliter *nodus* apud Virgilium Aeneid. VIII, 259. de Hercule, *Cacum corripit in NODVM complexus*, vbi consulendus CERDA. Graecis dicuntur Συμπλοκαὶ, v. c. apud Philostratum Lib. II. Icon. Arrhichionis; item ἅμματα, v. c. apud Theocrit. XXII. 66. Cf. GESNERVS, V. Celeberr. ad laudatum Quinctiliani locum. Cum igitur θλίβειν, ex palestra petitum, denotet, *aduersarium lacertis illigare, arcteque comprimere*; facile intelligitur, στενοχωρεῖσθαι, quod, vel hic locus indicat, plus significare, quam θλίβεσθαι, nihil aliud

esse,

esse, quam, *ab aduersario tam firmiter comprimi, manuumque nodis et vinculis tam arcte constringi, vt fauces elidantur, spiritusque penitus intercludatur*; quod quomodo, sensu translato, orationi Apostoli conueniat, ex superioribus, opinor, satis intelligi potest.

Capvt V.

V. 9. φιλοτιμέμεθα -- ἐυάρεστοι αὐτῷ εἶναι) *Summo studio id agimus, vt Domino placeamus.* φιλοτιμεῖσθαι proprie est, *magno studio aliquid facere, gloriae consequendae, et ostentationis causa*: Sic Iosephus A. XV, 9, 5. de Herodis M. magnificentia in aedificiis exstruendis: ΦΙΛΟΤΙΜΟΥΜΕΝΟΣ μείζω τὰ μνημεῖα τῆς ἀρχῆς τοῖς αὖθις ὑπολείπεσθαι: *Gloriae cupiditate incensus, summo studio id agebat, vt illustriora dominatus sui monumenta posteris relinqueret*: vnde eodem loco φιλοτιμία est *ambitiosa ostentatio.* Porro φιλοτιμεῖσθαι dicitur de *quocunque studio paullo acriori*, sine vanae gloriae notione. Sic apud eundem Iosephum A. III, 6, 1. de summo studio mulierum, conferendi, quae ad sacrum ornatum et Dei ministerium desiderabantur: ΕΦΙΛΟΤΙΜΟΥΝΤΟ δὲ καὶ γυναῖκες περί τε στολὰς ἱερατικὰς, καὶ περὶ τὰ ἄλλα ὅσων ἔχρησε τὸ ἔργον, κόσμȣ τε καὶ λειτȣργίας ἕνεκα τȣ̃ Θεȣ̃: Dignus est, qui de hac voce consulatur, PERIZONIVS ad Aelian. V. H. Lib. III. C. I.

v. 13. Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ) Non audiendi videntur, qui hoc Verbum ad ecstases Paulli, de quibus infra, putant referendum; cum totius orationis consilio et seriei non conueniat: propius ad rem accedunt, qui ἐξέστημεν de *insania*, qualis scilicet nonnullis videbatur, interpretantur, adeo vt statuatur, Paullum, ob singularem Zelum, quem in munere suo obeundo adhibebat, quibusdam visum fuisse insanire: quod ipsum quoque Ieremiae prophetae accidisse, testis est Iosephus, A. X, 7, 3. Οἱ ἡγεμόνες καὶ οἱ ἀσεβεῖς ὡς ΕΞΕΣΤΗΚΟΤΑ τῶν φρενῶν αὐτὸν ȣ̓́τως

ὄντως ἐξεφαύλιζον· *Viri principes, et homines nequam, Ieremiam, vt hominem insanum, vilipenderunt.* Sed, vt verum fatear, nec haec sententia mihi probatur, cum oppositioni τῷ σωφρονεῖν nullo modo sit congruens. Nam σωφρονεῖν, totius orationis ratione exigente, hic est *modeste de se loqui:* ergo, ex lege oppositionis, ἐκστῆναι *gloriandi* notionem obtinere debet. Scilicet dicendum fuisset καυχώμεθα: dixit ἐξέστημεν, partim ob insignem modestiam, partim vt recte pungeret aduersariorum suorum stoliditatem, quos similes esse stultis significat. Sensum igitur horum verborum putamus esse hunc: *Siue enim gloriemur, facimus Dei causa, siue modeste de nobis loquamur, facimus vestri causa.*

CAPVT VIII.

V. 2. Ἐπερίσσευσεν εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν) Ἁπλότης proprie Graecis est, quod Latinis *simplicitas*, h. e. *ea virtus, qua viri boni, candidi et sinceri sumus, qui idem dicunt, quod cogitant, neque aliud in ore gerunt, aliud pectore premunt, quique adeo alios homines ex suo fere ingenio metiuntur, nihilque adeo mali et fraudis iis inesse putant.* Hac notione est apud Iosephum B. I. V, 7, 4. vbi, cum dixisset, Castorem, hominem maxime versutum, manibus protensis supplicem a Tito petiisse veniam, addit: πιστεύσας ἐξ ΑΠΛΟΤΗΤΟΣ ὁ Τίτος, καὶ μετανοεῖν ἤδη τοὺς Ἰουδαίους ἐλπίσας, ἐπέχει τοῦ κριοῦ τὴν ἐμβολὴν, κωλύει τε τοξεύειν τοὺς ἱκέτας. *Cui cum Titus, pro SIMPLICITATE sua, fidem habuisset, sperassetque, Iudaeos iam belli poenitere, arietes ab impulsione cessare iubet, ac sagittarios prohibet ferire supplices.* Hoc autem loco, vti multis aliis in N. T. ἁπλότης est *liberalitas:* qua ipsa quoque notione est apud Iosephum A. VII, 13, 4. vbi ἁπλότης καὶ μεγαλοψυχία coniunguntur: quem locum supra ad Roman. XII. 8. afferebamus. Neque tamen dubium est, quin hic ἁπλότητος significatus inpri-

mis Graecis V. T. Interpretibus debeatur, quibus non solum *ἁπλότης liberalitas*, sed etiam *ἁπλοῦν dilatare, expandere* est: qua voce interdum vsi sunt in exprimendo Ebraico פָּרַשׂ, v. c. Iesaiae XXXIII. v. 23. בַּל פָּרְשׂוּ נֵס, quod LXX. Seniores reddiderunt, *οὐ χαλάσει τὰ ἱςία*: Symmachus autem, *ὥςε μὴ ἁπλῶσαι ἱςίον*: et Iobi XI. 13. וּפָרַשְׂתָּ אֵלָיו כַּפֶּיךָ, quod LXX. Seniores, *ὑπτιάσεις δὲ τὰς χεῖρας σου πρὸς αὐτόν*. Theodot. *ἐπέτασας, extendisti*, Symmachus autem, *ἁπλώσεις πρὸς αὐτὸν τὰς παλάμας σου*, *expandes ad ipsum palmas tuas*. Cf. in hanc rem DRVSIVS et CAPELLVS ad Iacob. I, 5. Sensus autem huius loci est: *Magnum eorum gaudium effecit, vt, quamuis pauperes essent, tamen summa ipsorum paupertas exundaret in diuitias liberalitatis ipsorum.* Bene de hoc loco GLASSIVS, *ὁ πάνυ*, in aureo illo Philolog. Sacr. Opere Lib. V. tr. II. Cap. VII. *Elegantissimum ὀξύμωρον. Cum paupertas in se neminem facere possit diuitem, hic tamen significatur, quod paupertas Macedonum alios fecerit diuites; quia in simplicitate* (h. e. liberalissime) *erogarunt, quantum potuerunt, nihil curantes, an ipsi propterea defectum aliquem passuri sint, vel inde compensationem aliquam adepturi. Hac ratione et alios ditarunt, et ipsi in simplicitate sua diuites fuerunt.*

v. 3. *Ὅτι κατὰ δύναμιν* (*μαρτυρῶ*) *καὶ ὑπὲρ δύναμιν αὐθαίρετοι*) Quod Paullo dicitur *ὑπὲρ δύναμιν*, id Iosepho est *παρὰ δύναμιν*, h. e. *maiori liberalitate, quam pro facultatibus*. Locus est A. III, 6, 1. de vehementi studio populi, conferendi, quae ad Tabernaculum exstruendum faciebant: *τούτων οὖν κατὰ σπουδὴν συγκομισθέντων, ἑκάστου καὶ ΠΑΡΑ ΔΥΝΑΜΙΝ φιλοτιμησαμένου*, *His itaque certatim collatis, et vnoquoque maiorem, quam pro facultatibus suis, munificentiam exhibente.* Caeterum integritati constructionis optime consulitur, si cum GROTIO, STOLBERGIO, aliisque subintelligas *ἐγένοντο*: quae Ellipsis optimo cuique scriptori non infrequens est: nisi malis ex *ἐπερίσσευσεν* repetere *ἀπὸ κοινοῦ* Verbum

ἔδω-

ἴδωκαν, more scriptoribus et Latinis, et Graecis satis vsitato. SCHWARZII autem ratio, consulendi integritati Constructionis, a WOLFIO ad h. l. allata et probata, cum sit contra linguae rationem, plane admitti et ferri nequit.

v. 12. Ἐι γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται) Verte: *Si modo animus promptus benefaciendi adsit.* Eleganter enim προκεῖσθαι dicuntur, *quae animo nobis proposuimus, quorum faciendorum studio tenemur.* Iosephus A. XV. 2. ΠΡΟΥΚΕΙΤΟ μέντοι πανταπασιν αὐτῷ τὸ μειράκιον ἐκποδὼν ποιῆσθαι· *Omnino propositum erat, adolescentem e medio tollere.* XVIII, 8, 2. Ἐι σοὶ πάντως ΠΡΟΚΕΙΤΑΙ, *si tibi omnino constitutum est:* vnde τὰ προκείμενα *ipsum institutum, consiliumque alicuius rei faciendae.* Est autem loquendi ratio elliptica, ita supplenda, vt subintelligatur κατὰ νοῦν, quod diserte addidit Iosephus A. VII. 8, 4. προσκαλεσάμενος Ἰώαβον, ἐπιτυχεῖν τε τοῦ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΟΥ ΚΑΤΑ ΝΟΥΝ ἔφασκε, καὶ τὸν Ἀβεσάλωμον ἄγειν ἐκέλευσεν. *Dauides ad Ioabum accitum dicebat, se assecutum esse, quod in animo habuisset, iussitque vt Abesalomum reduceret.*

CAPVT IX.

V. 9. Ἕκαστος καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ) Non audiendi sunt, qui Praepositionis πρὸ in Voce προαιρεῖσθαι hanc vim et emphasin esse volunt, vt προαιρεῖσθαι sit *praeoptare*, aut *aliquid facere deliberatione ANTEA facta.* Constat enim, optimo quoque scriptore auctore, saepissime Praepositionum πρὸ, περὶ, ἐκ etc. Verbis iunctarum, plane nullam vim esse, nullamque eius rationem in interpretatione esse habendam: quod qui aut ignorant, aut certe non recordantur, saepe his Verbis compositis emphasin attribuunt, quam nullo modo ex iis elicere possis. Quod cum in aliis Verbis cum Praepositione copulatis, facillime ostendere possemus, tum in hoc ipso Verbo προαιρεῖσθαι, multis exemplis allatis, nullam plane inesse τῆς

πρὸ

πρὸ vim, nuper docebamus *in Commentario nostro ad Decretum Atheniensium* p. 75. Scilicet προαιρεῖσθαι saepissime nihil aliud est, quam *velle.* Exempla in eam rem attuli l. c. Vnde προαίρεσις *voluntas.* Apud Iosephum A. IV, 6, 2. vbi Balamus negat, se posse Israëlitis mala imprecari; nam τὸν Θεὸν ἀντιλέγειν αὐτοῦ τῇ ΠΡΟΑΙΡΕΣΕΙ, *Deum resistere eius voluntati:* et paullo post §. 3. de eodem: μὴ συνεὶς ὅτι νῦν κατὰ Θεοῦ ΠΡΟΑΙΡΕΣΙΝ οἷς αὐτὸς ἔσπευσεν ὑπηρετεῖν εἴργεται, *non intelligens, se iam voluntate Dei prohiberi, quo minus iis, ad quos properaret, inseruire possit:* et pro *voluntate benigna s. liberalitate et benignitate* apud eundem A. V. 2. 28. φυλάττειν τε τὴν τοῦ Θεοῦ ΠΡΟΑΙΡΕΣΙΝ, ἔχουσαν οὕτως πρὸς αὐτοὺς, παρεκάλει· *Iosua hortabatur populum, vt conseruare studerent Dei benignitatem, ita erga eos affectam:* et XIII, 4, 4. Ex linguae igitur ratione haec verba Paulli reddenda sunt: *Vnusquisque* det, *quemadmodum* s. *quantum vult,* atque adeo sponte et libenter: sequitur enim, μὴ ἐκ λύπης, ἢ ἐξ ἀνάγκης· Eandem rem et sententiam expressit Iosephus hoc modo: ὅσον τῆς προαιρέσεως ἔχει, *quantum quisque vult,* A. X. 4, 1.

v. 10. Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι - - χορηγήσαι) Quamquam ego non is sum, qui neget, esse in multis Verbis N. T. quandam emphasin; eorum tamen studium, a pio forte animo profectum, probare non possum, qui vbique fere, et in omnibus Vocibus, Compositis praesertim, emphasin, nescio quam, nimis sollicite sectandam putant. Talem Emphasin in Voce ἐπιχορηγεῖν RAPHELIVS, suffragante WOLFIO, quaerit, ampliorisque significatus esse putat, quam τοῦ χορηγεῖν: in quam rem in Notis Polybian. p. 494. ita: χορηγεῖν *significat suppeditare,* ἐπιχορηγεῖν *autem, addere aliquid ad istam suppeditationem. Vt Paullus hoc voto simul complectatur argumentum spei, quod Deus, qui tantum bonorum ipsis largiatur, vnde in alios quoque possint esse liberales, multo magis, quibus ipsi ad vitam tuendam indigeant, sit suppeditaturus.*

turus. An ista ἔμφασις Praepositioni ἐπὶ insit, videant me acutiores: ego certe, cum ex aliis Scriptoribus Graecis, tum ex ipso N. T. edoctus, scio, nullam in Composito ἐπιχορηγεῖν peculiarem aliquam esse vim, cum, quod ἐπιχορηγεῖν dicitur, id alio loco Voce simplici χορηγεῖν exprimatur. Sic v. c. Galat. III. 5. dicitur, ὁ οὖν ΕΠΙΧΟΡΗΓΩΝ ὑμῖν τὸ πνεῦμα, alio loco, 1 Petr. IV. 11. in re non dissimili, exprimitur voce simplici, εἴ τις διακονεῖ ὡς ἐξ ἰσχύος, ΧΟΡΗΓΕΙ ὁ Θεός. Porro, quemadmodum Galat. III. v. 5. dicitur, ὁ ΕΠΙΧΟΡΗΓΩΝ ὑμῖν τὸ πνεῦμα, ita eadem sententia a Luca Cap. XI. v. 13. proponitur his verbis: ΔΩΣΕΙ πνεῦμα ἅγιον: neque aliter exponendus locus Phil. I. 19. ἐπιχορηγία πνεύματος Ἰησῦ Χριςῦ. Ex loco quoque Matth. VII. v. 10. 11. vbi ΕΠΙΔΩΣΕΙ et ΔΩΣΕΙ pro synonymis ponuntur, apparet, nullam esse τῆς ἐπὶ, Verbo iunctae, peculiarem aliquam vim. In hoc autem Paulli loco quominus τῷ ἐπιχορηγεῖν emphasin aliquam tribuamus, obstat locus Iesaiae LV. 10. ex quo haec verba petita et expressa sunt. Ibi enim in Ebraico est נתן, quod est *dare*, *suppeditare*, itaque LXX. Seniores per διδόναι interpretati sunt. Neque putandum est, quia in vno versu χορηγεῖν et ἐπιχορηγεῖν occurrat, differentiam esse statuendam; cum sciamus, idem in multis aliis locis inueniri, v. c. supra 1. Cor. VII. 31. οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι, sine vllo Vocis simplicis et Compositae discrimine. Caeterum non nego, ἐπιχορηγεῖν, de Deo vsurpatum, significare *largiter praebere*, *plus suppeditare*, *quam quod ad vitae necessitatem requiratur:* Sed eandem notionem quoque χορηγεῖν obtinet. Sic apud Iosephum A. IV, 6, 4. in vaticinio Balami: τοιοῦτοις δὲ οὖσιν, οὐκ ἀπαγορεύσει τὸ θεῖον, ἀφθονίαν μὲν παντοίων ἀγαθῶν ἐν εἰρήνῃ ΧΟΡΗΓΟΥΝ, νίκην δὲ καὶ κράτος ἐν πολέμῳ, *Cum vos Israëlitae tales fueritis, non desinet Deus pace quidem rerum omnium abundantiam vobis largiri, bello vero victoriam et imperium:* de eadem re autem paullo ante sic: οὗτος εὐδαί-

μων

μων, ῷ ὁ Θεός τε ΔΙΔΩΣΙ μυρίων κτῆσιν ἀγαθῶν, *Felix ille populus, cui dedit Deus omnium rerum copiam et abundantiam.* Sic A. VI, 14, 4. Deus dicitur χορηγὸς τῶν ἀγαθῶν, h. e. *largiſſimus et munificentiſſimus omnium bonorum dator.*

v. 12. Διὰ πολλῶν εὐχαριςιῶν τῷ Θεῷ) Inepte ille *Ambroſiaſter*, qui hic legit ἐν τῷ Θεῷ: quod, mirum ſane, MILLIO arridere potuiſſe, cum ſit maxime ineptum. Haud dubie bonus ille Vir non intelligebat, quomodo Datiuus ab εὐχαριςιῶν pendere poſſet: inde illa emendatio, ſiue potius corruptio. Teneant autem tirones, illum Datiuum ab εὐχαριςιῶν regi, idque fieri more cultiſſimorum ſcriptorum. Scilicet vtriusque linguae ſcriptoribus is mos eſt, vt Nomina Verbalia, cognatamque Verborum ſuorum ſignificationem ſortita, eandem conſtructionem admittant, quam Verba ipſa. Iam quemadmodum dicitur εὐχαριςεῖν τῷ Θεῷ, ita quoque εὐχαριςίαι τῷ Θεῷ. Tale illud Ioſephi A. V. 1, 3. τὰ πρὸς ὑπηρεσίαν ταῖς ΘΥΣΙΑΙΣ σκεύη· *Vaſa miniſterio ſacrificiorum deſtinata:* vbi ordinarie dicendum erat πρὸς ὑπηρεσίαν τῶν θυσιῶν; ſed ille Datiuus regitur a Voce ὑπηρεσίας, cum Verbum ὑπηρετεῖν Datiuum adſciſcat. Plura in hanc rem larga manu ſuppeditabunt DVKERVS ad Thucyd. Lib. c, 46. et, quos ibi laudat, CORTIVS et GRONOVIVS, inprimis autem ABRESCH, V. Cel. in Animaduerſ. ad Aeſchylum p. 55. ſqq.

v. 13. Διὰ τῆς δοκιμῆς τῆς διακονίας ταύτης δοξάζοντες τὸν Θεὸν) Eſt in hoc loco manifeſtum Anacoluthon Grammaticum, quicquid STOLBERGIVS, SCHWARZIVS, aliique dicant. Nam ex regulis grammaticis neceſſario dicendum erat δοξαζόντων, vt Voci πολλῶν vel ἁγίων reſponderet. Neque vero exiſtimandum eſt, eiusmodi Anacoluthon in vitio eſſe ponendum; (qui opinionis error fecit, vt Viri quidam docti talia Anacolutha in N. T. concedere nollent) cum potius, ſi raro in vno aliquo ſcriptore inueniatur, virtutis loco ſit haben-

 dum.

dum. Eſt enim, vt Cicero vocat, *grata quaedam negligentia* hominis, magis de re, quam de verbis, laborantis. Talia autem anacolutha innumerabilia fere inueniuntur apud ſcriptores profanos, qui omni ſtudio id egiſſe videntur, vt accurate eleganterque ſcribendi laudem conſequerentur. Cui non notum illud Homericum, Ἰλιάδ. β. v. 350. ſqq.

Φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα
ΑΣΤΡΑΠΤΩΝ, pro ἀστράπτοντα?

Talia ſexcenta ex aliis afferri poſſent, ſi id nunc ageretur. Iuuat tamen ex Ioſepho, cui accurate loquendi laudem non denegauerit, niſi qui eum aut non legerit, aut non intellexerit, ex Ioſepho igitur quaedam loca afferre, in quibus maior a Grammatices regulis diſcrepantia, quam in hoc Paulli loco, deprehenditur. A. XVI, 2, 2. Ἡρώδης οὐδὲν ἀρεσκείας ἀπέλειπεν - - ὑποδεχόμενος αὐτὸν (Ἀγρίππαν) - - πᾶσαν ἀπόλαυσιν διαίτης καὶ πολυτελείας ἐξαλλάττων αὐτῷ καὶ τοῖς φίλοις ἔν τε τῇ Σεβαστῇ, καὶ Καισαρείᾳ - - - - κἀν τοῖς ἐρύμασιν - - ΤΟ τε ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΟΝ καὶ ΗΡΩΔΙΟΝ καὶ τὴν ΥΡΚΑΝΙΑΝ· vbi HAVERCAMPVS: *perplexa eſt conſtructio.* Porro XVIII, 6, 10. ΓΑΙΟΣ δ' ὡς ἐπὶ Ῥώμην παρῆν - - ΟΝΤΑ ΠΡΟΘΥΜΟΝ, κώλυμα Ἀντωνία ἦν, *Caio, Romam reuerſo, et cupienti - - erat Antonia impedimento:* vbi quis non videt, dicendum fuiſſe ὄντι προθύμῳ, vt verbis, κώλυμα ἦν Ἀντωνία, reſponderet? et ſic legendum cenſet ad h. l. COCCEIVS, quod non neceſſe. Eodem Lib. 8, 2. Γάϊος πέμπει ΠΕΤΡΩΝΙΟΝ - - κελεύων - - ΕΙΣΒΑΛΛΟΝΤΙ εἰς τὴν Ἰουδαίαν - - πολέμῳ ΚΡΑΤΗΣΑΝΤΑ τοῦτο ποιεῖν. Plura exempla congeri poſſent, ſi neceſſe eſſet; ſed vel haec oſtendere poſſunt, ſcriptores ſacros nihil vitii in ſcribendo commiſiſſe, cum anacolutha Grammatica admiſerint, cum id in optimo quoque ſcriptore reperiatur. Caeterum in hanc rem, dignus eſt, qui conferatur, EVSTATHIVS ad Homer.

mer. Ἰλιάδ. β' v. 350. et CLARKIVS ad eundem Ἰλιάδ. β'. v. 681. γ' v. 211. ζ'. v. 570. κ. v. 224.

CAPVT X.

X. 5. *Λογισμὺς καθαιρῦντες*) Non audiendus HEINSIVS, qui, lectione recepta sollicitata, legi vult *καθαίροντες, cogitationes purgantes:* hanc enim emendandandi audaciam neque Codd. neque orationis series admittunt. Omnino retinendum est *καθαιρῦντες*, vocabulum magnae efficaciae et potestatis. *Καθαιρεῖν* enim dicuntur, *qui hostium ferociam contundunt, viresque frangunt.* Sic apud Iosephum A. VI, 9, 1. de Dauide, Goliathi exsultantem ferocientemque insolentiam iactantiamque compressuro: ΚΑΘΑΙΡΗΣΩ τὴν ἀλαζονείαν τῦ πολεμίυ, χωρήσας αὐτῷ διὰ μάχης, καὶ τὸν ὑψηλὸν καὶ μέγαν ὑπ' ἐμαυτῷ βαλών· *Ego elatos hostis spiritus retundam, simulac pugnam commisero cum ipso, magnumque et procerum mihimet subiecero:* neque alio sensu *παραιρεῖν* apud eundem, XV, 5, 3. ἡμεῖς χωρήσαντες ἐπ' αὐτὺς, ΠΑΡΑΙΡΗΣΟΜΕΘΑ ἐκείνων τὸ μεῖζον φρονεῖν· *Nos contra eos proficiscamur, magnosque eorum spiritus contundamus.* Sed inprimis huc facit egregius quidam Philonis locus, vbi eadem sententia, eadem allegoria eleganti, iisdemque verbis exquisitissimis, quibus hic Paullus, vtitur. Est autem in Libro *de Confus. Lingu.* p. 338. τὸ κατεσκευασμένον ΟΧΥΡΩΜΑ διὰ τῆς τῶν λόγων πιθανότητος, ὐδενὸς ἕνεκα ἑτέρυ κατεσκευάζετο, ἢ τῦ μετατραπῆναι καὶ μετακλιθῆναι διάνοιαν ἀπὸ τῆς τῦ θεῦ τιμῆς· ὗ τί ἂν γένοιτο ἀδικώτερον; ἀλλὰ πρός γε τὴν τῦ ΟΧΥΡΩΜΑΤΟΣ τύτυ ΚΑΘΑΙΡΕΣΙΝ ὁ πειρατὴς τῆς ἀδικίας καὶ φονῶν ἀεὶ κατ' αὐτῆς εὐτρέπισαι. *Quaeuis munitio, quae per ratiocinationes adstruitur, ad nibil aliud aedificatur, quam vt mentem diuertat et deflectat a cultu Dei; quo conatu quid esse possit iniquius? verum contra hanc turrim depraedator et hostis iniustitiae suscipit expedi-*

peditionem: et paullo post, τὸ βεβαιῦσθαι ΚΑΘΑΙΡΕ-ΣΕΙ πάντα λόγον: quo loco, vti hac in hoc Paullino, ἐχυρώματα dicitur *omne id, cui hostes Euangelii confidunt, et contra veritatem coelestis verbi sese muniunt efferuntque, qualia sunt carnalis sapientia, eruditio, eloquentia* etc. vt bene GLASSIVS Philolog. facr. Lib. V. tr. I. C. XII. Et in Libro *de Abrahamo* p. 380. Ἀφ᾽ ὗ ἡ ψυχὴ ἤρξατο δυνατωτέρα γίνεσθαι, καὶ ῥώμη κραταιοτέρα τὸν ΕΠΙΤΕΙΧΙΣΜΟΝ τῶν ἐναντίων δοξῶν ΚΑΘΑΙΡΕΙΝ, *Animus ex quo coepit potentior fieri, et munitiones aduersariorum DESTRVERE.* In quibus locis eaedem sunt locutiones elegantissimae, e re militari petitae, quas Paullus hic adhibuit. Caeterum ὀχυρώματα hic idem sunt, quod paullo post ὕψωμα. Ebraei enim, loca munita si dicere volunt, ita exprimunt, vt fere dicant *alta* esse, quia plerumque illa munitiora loca in alto sunt: λογισμοὺς καὶ πᾶν ὕψωμα autem dictum est per ἓν διὰ δυοῖν pro πᾶν ὕψωμα τῶν λογισμῶν.

v. 12. Ὀυ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι, ἢ συγκρῖναι) Elegantissima paronomasia est in verbis ἐγκρῖναι et συγκρῖναι, cuius gratiam venustatemque, vereor, vt vlla lingua exprimere valeas. Ἐγκρίνειν est *adnumerare, adiungere.* Iosephus B. I. II, 8, 7. de cooptandis recipiendisque hominibus in Essenorum societatem: μετὰ τὴν τῆς καρτερίας ἐπίδειξιν, δυσὶν ἄλλοις ἔτεσι τὸ ἦθος δοκιμάζεται· καὶ φανεὶς ἄξιος, ὅυτως εἰς τὸν ὅμιλον ΕΓΚΡΙΝΕΤΑΙ· *Postquam documentum tolerantiae suae edidit, duos vlterius annos mores eius explorant: et si dignus apparuerit, tum demum consortio ADIVNGITVR, ADNVMERATVR:* cuius contrarium est ἐκκρίνεσθαι, quod mox §. 8. occurrit, *e societate eiici et excludi.* Nam RAPHELIVS, qui ἐγκρῖναι h. l. interpretatur *praeferre*, fallus est, nec Polybii loca vllo modo huc faciunt. Συγκρίνειν autem est *comparare;* in quam rem quaedam ex Iosepho afferebamus supra ad 1 Cor. II. 13. Addamus vnum eiusdem scriptoris locum, A. IV, 2, 4. Ἀνεμέσητον

σητεν δ' οἶμαι καὶ Ἀαρῶνα προσδέξασθαι ΣΥΓΚΡΙΘΗΣΟΜΕΝΟΝ, *Aequum autem esse arbitror, Aaronem quoque admitti, qui vobiscum COMPARETVR.*

CAPVT XI.

V. 2. Ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ) Vulgo ἡρμοσάμην reddunt *desponsaui*: nec nego, huic voci in ea re locum esse: Sic apud Iosephum ἁρμόσασθαι τοὺς γάμους dicitur, *qui nuptias conciliat, iuuenesque virginibus matrimonii vinculo iungit.* Locus est B. I. I, 28, 2. de Herode M. nepotes suos desponsante: ἐπεύχομαι δὲ καὶ τῷ Θεῷ ΣΥΝΑΡΜΟΣΑΣΘΑΙ τοὺς γάμους ἐπὶ συμφέροντι τῆς ἐμῆς βασιλείας καὶ τῶν ἐμῶν ἐγγόνων· *Deum precor, vt vna mecum has nuptias conciliet et prosperet, in regni mei meorumque nepotum emolumentum*: paullo ante in eadem re τῷ ἐγγυᾶν vtebatur. Contrarium est ibidem §. 5. μεθαρμόζεσθαι τοὺς γάμους, *nuptiarum pactionem mutare*, quod paullo ante διακόπτειν τὰς ἐγγύας, et μεταθεῖναι τοὺς γάμους dixit. Sed h. l. vereor, vt eo sensu haec vox capi possit. Nam si ἡρμοσάμην reddas *desponsaui*, non video, quo referri possit τὸ παραστῆσαι. Malim igitur ἡρμοσάμην reddere, *praeparaui vos, aptos reddidi*, vt sensus sit: *Ego vos praeparaui, idoneosque reddidi, vt vos vni viro Christo, tanquam sponso, veluti virginem integram, castam puramque adducere, et quasi despondere possim.* Neque mihi dubium est, quin Apostolus respexerit ad quendam Veterum morem, ex quo sponsae, hominum inprimis lautiorum, non solum bene casteque educabantur, sed diligentissime etiam curabantur, vt formae pulchritudinisque gratia sponsi animum capere et tenere possent. In quam rem illustrissimum exemplum est Estheris, de quo, praeter ea, quae in Libro, ipsi cognomine, c. II. v. 12. videndus Iosephus A. XI, 6, 2. Ad hunc igitur morem si Paullum respexisse concedamus, omnes huius similitudinis partes amicissi-

cissime inter se conspirabunt. Ecclesia est Sponsa, Christus Sponsus, Paullus autem, vt quilibet verbi diuini minister, est quasi Curator huius Virginis (ἐπιμελητὴς τῆς παρθένε) qui postquam hanc virginem satis curauit et praeparauit (ἡρμόσατο) eam Sponsam Christo Sponso παρίςησι, seu, vt Iosephus l. c. ἀγάγει, *adducit*. Haec conuenientiora et huic loco accommodatiora mihi videntur, iis, quae RAPHELIVS, WOLFIO suffragante, in Annotatt. Herodoteis p. 500. attulit; ex cuius sententia τὸ ἁρμόσασθαι h. l. tantum de *Sponsalibus* sumendum, tempus autem matrimonii consummandi non huius, sed alterius seculi intelligendum est. Nec denique audiendus CRAGIVS, qui vocem ἡρμοσάμην ex Lacedaemoniorum ἁρμοσύνοις exponendum putat: licet ei AMELIVS et SCHOETTGENIVS subscribant. Caeterum, quem significatum τῷ ἁρμόσασθαι tribuendum esse diximus, is mihi confirmari videtur illo loco Salomonis, Prouerb. XIX, 14. παρὰ κυρίε ΑΡΜΟΖΕΤΑΙ γυνὴ ἀνδρί.

v. 6. Εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ) Vix dici potest, quam vehementer disputarint Viri docti de scribendi ratione Paulli, purane sit nec ne? cuius disceptationis materiam reperisse sibi visi sunt in his Paulli verbis. Sed, παρ' ἐμοίγε κριτῇ, optimi illi viri poterant tota illa disputatione supersedere. Nihil enim in his verbis, quod istis disceptatiunculis occasionem praebere possit. Sensus est: *Si vel maxime imperitus sum loquendi*, *minus eloquens*, nempe ad Oratores Graecos comparatus: *at talis non sum cognitione et intelligentia rerum sacrarum*: vt adeo Paullus nihil aliud his verbis indicare velit, quam hoc: se non assecutum esse, nec assequi voluisse exquisitam illam rationem dicendi, ex qua vna sophistae et oratores Graeci omnem ingenii laudem peterent. Est igitur ἰδιώτης τῷ λόγῳ, *qui non pollet eloquentia*, *et vi dicendi*. Sic apud Iosephum A. II, 12, 2. vbi Moses a Deo ad educendos Israëlitas ex Aegypto vocatus, his verbis ei respondet: ἀπορῶ, πῶς ἂν ΙΔΙΩΤΗΣ ἀνὴρ καὶ μηδεμιᾶς ἰσχύος

εὐπο-

εὐπορῶν, ἢ πείσω λόγοις τὰς οἰκείας, ἀφέντας ἣν ἄρτι κατοικοῦσι γῆν, ἕπεσθαί μοι, πρὸς ἣν αὐτὰς ἡγοῦμαι, ἢ κἂν ἐκεῖνοι πεισθῶσι, πῶς ἂν βιασαίμην Φαραώθην ἐπιτρέψαι τὴν ἔξοδον τούτοις; vbi, quemadmodum verba, πῶς ἂν βιασαίμην Φαραώθην, respondent illis, μηδεμιᾶς ἰσχύος εὐπορῶν, ita illa, πῶς ἂν πείσω λόγοις, referuntur ad vocem ἰδιώτης: quod dilucidius intelligitur ex responsione Dei ad Mosen: οὗ ἂν δέῃ μὲν λόγων, πειθὼ παρέξειν, οὗ δ' ἂν ἔργων, ἰσχὺν χορηγήσειν, *vbi verbis opus sit, se ei persuadendi vim largiturum esse, vbi vero operibus, potentiam magnam patrandi.* Est igitur ἰδιώτης, cui λόγοι et πειθὼ desunt, *qui adeo nulla dicendi vi, oratione diserta, commovendi facultate est praeditus.* Cum igitur Paullus se ἰδιώτην τῷ λόγῳ vocat, nihil aliud intelligi vult, quam se carere illa eloquentia, qua Oratores illi Graeci tantopere se iactitabant.

v. 8. Οὐ κατενάρκησα οὐδενός) Καταναρκεῖν proprie dicitur *membrum, quod torpore obriguit et languescit:* qua significatione propria est apud Iosephum A. VIII, 8, 5. de Hieroboamo, cuius manus, ad vatem Dei comprehendendum protensa, torpore percussa est: ἐκτεταμένη ἡ χεὶρ εὐθὺς παρείθη, καὶ οὐκ ἔτι ἴσχυσεν αὐτὴν πρὸς ἑαυτὸν ἀναγαγεῖν, ἀλλὰ ΝΕΝΑΡΚΗΚΥΙΑΝ καὶ νεκρὰν εἶχεν ἀπηρτημένην. *Manus, quam in eum intenderat, subito languescebat, nec potuit eam denuo ad se retrahere: sed torpore illi obriguit, et mortua demittebatur.* Hic autem idem est, quod v. s. ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα, h. e. *nemini molestus aut onerosus fui.*

v. 9. Ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα) Significatu paullo rariori, voce ἀβαρὴς hic vsus est Apostolus. Nam ἀβαρεῖς apud Graecos vulgo dicuntur, *qui aliis non graues sunt, eosque non premunt, iniuriaque non afficiunt.* Quae autem vocis ἀβαρὴς h. l. vis et potestas sit, ex contrariae significationis voce βαρὺς intelligi potest. Iosephus A. I, 16, 2. vbi famulus Abrahami, diuersorium hospitiumque apud Rebeccae parentes quaerens, inter caete-

ra haec: οὐδὲ γὰρ ἔσεσθαι ΒΑΡΥΣ, μισθόν τε τῆς ξενίας τελέσας, καὶ δαπάναις ἰδίαις χρησάμενος· *Se ipsis MOLESTVM non esse futurum, cum mercedem pro hospitio solueret, suisque sumptibus viueret:* vbi βαρὺς est, *qui aliis molestus et onerosus est*, der einem andern Ungelegenheit verursachet, vt Nostri dicunt. Sic A. VI, 13, 10. de Dauide, nolente diutius in vrbe Gittensium commorari, ἐδεδίει γὰρ διατρίβων ἐν τῇ πόλει ΒΑΡΥΣ αὐτῷ καὶ φορτικὸς εἶναι. *Vereri enim, ne, si in vrbe moraretur, ei*, (Regi) *molestus et onerosus esset.* VII, 8, 2. de Dauide, inuitationem Abesalomi ad conuiuium recusante: παραιτησαμένου δ' ὡς ἂν μὴ ΒΑΡΥΣ αὐτῷ γένοιτο. *Cum se excusaret, quod nollet ei oneri esse*: er wollte ihm keine Ungelegenheit verursachen. Est igitur h. l. ἀβαρὴς, *qui alteri non molestus, onerosus est, cum non causam praebet impensarum sumptuumque faciendorum.* Eodem autem significatu, paullo rariori, ἀβαρὴς occurrit in Inscriptione Berenicensi, ΑΒΑΡΗ ἑαυτὸν ἐν τούτοις παρέσχηται, *haud grauem molestumque se inter illos gessit:* quae verba abstinentiae continentiaeque laudem continent. Vid. praestantissimus P. WESSELINGIVS de Iudaeor. Archont. p. 15.

v. 12. ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμὴν) *Vt praescindam occasionem*: quo significatu ἐκκόπτειν est apud Iosephum A. VIII, 12, 1. de Asani, Regis Hierosolymorum, pietate: ΕΚΚΟΨΑΣ εἴ τι πονηρὸν ἦν ἐν αὐτῇ, *sustulit, si quid mali in regno suo erat:* et in vita sui ipsius §. 38. ἔπειθεν τοὺς ἀρχιερεῖς - ΕΚΚΟΠΤΕΙΝ με φυόμενον, *Suadebat summis Sacerdotibus, vt me crescentem tollerent.* Sensus est: *Quod autem facio*, eam ob causam facio, (supplendum enim est διὰ τοῦτο ποιῶ) *vt occasionem* gloriandi s. reprehendendi *praescindam.*

v. 24. ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον) Non audiendus est ERASM. SCHMIDIVS, qui in voce παρὰ μίαν intelligi vult ἡμέραν, vt Paullus dicatur quinquies alternis diebus quadraginta plagis, nulla

la plane remissa, crudelissime caesus. Sed omnino subintelligendum est πληγὰς, quod Iosephus, de eadem re exponens, diserte addit, A. IV, 8, 21. Ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιήσας, ΠΛΗΓΑΣ μιᾶς λιπούσης τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σκύτει λαβὼν, τιμωρίαν ταύτην αἰσχίστην ἐλεύθερος ὑπομενέτω· *Qui vero contra haec fecerit, PLAGIS undequadragenis publico fustuario acceptis, poenam foedissimam liber perpetiatur.* Sic paullo post §. 23. τοῦ τολμηρῶς καὶ προπετῶς ἐπενεγκεῖν αἰτίαν καὶ διαβολὴν, πρόστιμον ἐκτινέτω, ΠΛΗΓΑΣ τεσσαράκοντα μιᾶς λιπούσης λαμβάνων, *Quodsi crimen et calumniam audacter impegerit, poenas luat, quadraginta vna minus plagis acceptis.* Deus ipse, huius poenae auctor, quadraginta plagis hanc castigationem constare voluit, Deuteron. XXV. 3. Sed Iudaei, ipso Deo scilicet sapientiores, eam 39 tantum plagis cohibuerunt; quem numerum et hodie eos in hoc poenae genere obseruare, suo ipsius exemplo et corpore expertus est ille *Vriel Acosta.* Hanc mutationem autem in numero plagarum iam antiquissimis temporibus fuisse factam, et Paulli et Iosephi loca docent.

v. 32. Ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως) Ἐθνάρχης in vniuersum dicitur, qui alicui genti, siue maiori, siue minori, regendae cum potestate praefectus est, idem, qui alias ἐπίτροπος appellatur. Exempla in hanc rem afferebamus in *Commentario nostro ad Decret. Flauianum* p. 68. Constat quoque, Iudaeos sibi habuisse ἐθνάρχας, quorum hinc inde mentio apud Iosephum; v. c. A. XIII, 6, 6. occurrit Simon, Iudaeorum Pontifex, dictus ἐθνάρχης. XIV, 7, 2. is, qui Iudaeis, Alexandriae habitantibus, praefectus erat, dicitur ἐθνάρχης, et XIX, 5, 2. legitur, ὁ Ἰουδαίων ἐθνάρχης. Cum igitur Iudaei suos sibi habuerint ethnarchas, magnum illum IOAN. COCCEIVM non poenituit, h. l. per ἐθνάρχην Archontem aliquem Iudaeum intelligere. Sed haec sententia displicet iudicio P. WESSELINGII, V. C. *in Diatr. de Archont. Iudaeor.* p. 81. Nec immerito. Est enim nulla veri

veri specie commendabilis. Nam, si Archon, seu Ethnarcha Iudaicus intelligendus esset, profecto non additus fuisset Genitiuus, Ἀρέτα τȢ βασιλέως. Praestat igitur, hunc ἐθνάρχην de praefecto regio interpretari, qui nomine auctoritateque Regis *Aretae* Damascenis praeerat, eosque, illius loco, imperio regebat. Caeterum, quis hic fuerit Aretas, in tanto Veterum de ea re silentio, satis certo dici nequit; ad opem coniecturae, prope ad verum accedentis, confugiendum est, quam alio et tempore, et opere proferemus. Hic illud monuisse sufficiat, sententiam CELLARII *in Dissertatt. Academ.* et IO. BAPT. OTTII *in spicileg. ex Flav. Iosepho* p. 391. omnium minime esse admittendam, cum temporum rationi aduersetur.

* *

EPISTOLA
AD
G A L A T A S.

C A P V T I.

V. 6.

Θαυμάζω ὅτι ȣ̓́τω ταχέως μετατίθεσθε) *Miror, vos tam cito mentem mutasse.* Locutio est longe exquisitissima, petita ex ludo XII. scriptorum. Proprie enim μετατιθέναι dicitur, *qui calculum, quem male se dedisse intellexit, reducit, et alio loco ponit.* Inde translate *mutare.* Iosephus A. V, 1, 26. ἐν ποιήσετε σωφρονήσαντες, καὶ ἐπὶ νεαρεῖς ΜΕΤΑΘΕΜΕΝΟΙ τοῖς ἁμαρτήμασι. *Bene facietis, si ad sanam mentem redeatis, et post noua peccata sententiam mutetis.* Ib. 5, 2. ΜΕΤΑΘΕΜΕΝΟΙ sunt, *qui, sententia mutata, resipiscunt.* IX, 13, 2. de impietate Israëlitarum, τȢ̀ς προφήτας, προλέγοντας ἃ πείσονται μὴ

ΜΕ-

ΜΕΤΑΘΕΜΕΝΟΙ πρὸς τὴν εὐσέβειαν τȣ̃ Θεȣ̃, διέπτυον· *Vates, praedicentes ipſis, quantae inſtarent calamitates, niſi, ſententia mutata, redirent ad pietatem, aſpernabantur et reſpuebant.* Interdum, perſpicuitatis cauſa, additur τὰς γνώμας: v. c. XV, 1, 2. ȣ̓κ ᾐηθεὶς ἕτερον τρόπον ΜΕΤΑΘΕΙΝΑΙ ἂν τὰς γνώμας τῶν Ἰȣδαίων, ὥς τε δέξαϑαι τὸν ἀντ' ἐκείνȣ καθεςημένον Ἡρώδην, *Putabat, non alia ratione Iudaeos ſententiam ſuam eſſe mutaturos, vt Herodem, in illius locum ſuffectum, pro rege agnoſcerent.* In hoc autem Paulli loco non eſt, quod iſta ellipſi vtamur, cum μετατίϑεϑε ſit vox Media, cuius vis eſt, *VOS IPSOS mutaſtis.*

v. 10. Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπȣς πείθω, ἢ τὸν Θεόν) Varias huius | loci interpretationis recenſuit WOLFIVS. Omnium minime admittenda eſt interpretatio RAPHELII, eique ὁμοψήφȣ STARCKII, qui πείθειν exponunt *decipere*, ſ. *ſtudere decipere:* quod eſt contra omnem loquendi vſum. Loquendi ratio πείθειν τὸν Θεόν, pro *flectere, placare, propitium reddere Deum*, non infrequens Graecis. Ioſephus A. IV, 6, 5. de Balamo, Φέρε, βωμȣ̀ς τε ἑτέρȣς αὖθις ἐγείρωμεν, καὶ θυσίαις ταῖς πρὶν παραπλησίαις ἐπιτελέσωμεν, εἰ ΠΕΙΣΑΙ ΤΟΝ ΘΕΟΝ δυνηθείην. *Age, alias aras erigamus, atque munera et victimas, ſimiliter ac ante, offeramus, an forte DEVM FLECTERE, propitium reddere poſſim.* A. VI, 5, 6. vbi populus Iſraëliticus Samuelum enixe rogat, vt Deum. ipſis valde iratum, ad peccatorum veniam permoueat, propitiumque adeo reddat: ὁ δὲ ὑπιϛεῖται καὶ παρακαλέσειν τὸν Θεὸν συγγνῶναι περὶ τȣ́των αὐτοῖς καὶ ΠΕΙΣΕΙΝ· *Ille vero pollicitus, ſe rogaturum eſſe Deum, vt illis illa condonet, propitiumque redditurum.* VIII. 10, 3. Ἐγκεκλεισμένȣ τȣ̃ Ῥοβοάμȣ καὶ τȣ̃ πλήθȣς ἐν αὐτοῖς διὰ τὴν Σȣσάκȣ ϛρατείαν, καὶ τὸν Θεὸν ἱκετευόντων δȣ̃ναι νίκην καὶ σωτηρίαν, ȣ̓κ ΕΠΕΙΣΑΝ τὸν Θεὸν ταχθῆναι μετ' αὐτῶν· *Cum Roboamus, populusque in vrbe incluſi tenerentur ob Suſaci expeditionem, Deoque ſupplicarent, vt victoriam illis ſalutemque daret, non potuerunt FLECTERE, propitium ſibi reddere Deum, vt ab illorum partibus ſtaret.*

ret. Haec loca, quibus multa alia ex Iosepho addi potuissent, eam ob causam laudauimus, quoniam ea, quae WOLFIVS in hanc rem citauit, sunt ἀπροσδίονυσα· Nam Matth. XXVIII, 14. et Actor. XII, 20. πείθειν est *pecuniа corrumpere*, vt ad Matthaeum l. c. docuimus. Ita igitur haec verba Paulli reddenda puto: *Num iam* (ex Iudaismo ad Christum perductus) *homines, an Deum, propitium benivolumque mihi* praedicando *reddere studeo?* quam interpretationem confirmant, quae sequuntur: ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; quae non nisi dilucidiorem interpretationem eorum continent, quae paullo ante obscurius sunt dicta.

v. 18. Ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα ἱστορῆσαι τὸν Πέτρον) *Vt viderem et cognoscerem Petrum:* quo eleganti significatu ea Vox apud vnumquemque cultissimum scriptorem. Iosephus A. I, 11, 4. de statua salis, in quam conuersa est Loti vxor: ΙΣΤΟΡΗΚΑ δ' αὐτήν· ἔτι γὰρ καὶ νῦν μένει· *Eam oculis meis vidi, nam et hodie manet.* III, 14, 2. de exploratoribus in Palaestinam missis, ingenium regionis exploraturis: τήν τε τῆς γῆς φύσιν, καὶ τὴν τῶν ἐνοικούντων ἀνθρώπων ΕΞΙΣΤΟΡΗΣΑΝΤΕΣ, *regionis et incolarum naturam cognoscentes.* IV, 3, 4. ἐξέλαμψε δὲ πῦρ τοσοῦτον, ὅσον οὐδὲ χειροποίητον ΙΣΤΟΡΗΣΕ τις. *Tantus autem ignis subito effulsit, quantum manibus factum nemo vnquam conspexerat.* VIII, 2, 5. ΙΣΤΟΡΗΣΑ γάρ τινα Ἐλεάζαρον τῶν ὁμοφύλων, *Oculis meis vidi quendam ex popularibus meis, Eleazarum.* Sic eodem Lib. 4, 6. 6, 5. X, 11, 7. multisque locis aliis. Vnde ἱστορία *videndi, cognoscendique studium,* apud eundem, A. V, 12. de exploratoribus, a Iosua Hierichunta missis: ἡμέλλον θεωμένων οἱ ἐντυγχάνοντες, καθ' ΙΣΤΟΡΙΑΝ ξένοις προσήκουσαν ἀκριβῶς ἕκαστα πολυπραγμονεῖν τῶν ἐν τῇ πόλει νομίζοντες· *Qui forte obuii facti erant, exploratores omnia contemplantes neglexerunt, rati, eos cognoscendi visendique causa, prout decet peregrinos, curiosis oculis res vrbis perspicere.* B. I. III, 9, 7. Οὐεσπασιανὸς καθ' ΙΣΤΟΡΙΑΝ τῆς Ἀγρίππα βασιλείας -- εἰς τὴν Φιλίππου καλουμένην μετα·

ταβαίνει Καισάρειαν, *Vespasianus studio visendi regnum Agrippae -- in eam, quae Philippi dicitur, Caesaream transit:* et IV, 8, 4. 'Αφικόμενος καθ' ΙΣΤΟΡΙΑΝ ἐπ' αὐτὴν Οὐεσπασιανός, *Vespasianus cum ad lacum Asphaltiten, eius visendi gratia, venisset.* Inde ἱστορεῖν pro *regiones peragrare, rerum notatu dignissimarum visendarum gratia*; quamquam is significatus tantum obtinet apud scriptores, qui Graecis κοινοὶ dicuntur, auctore Enarratore Sophoclis ad Electr. v. 319. ἱστορεῖν, τὸ διέρχεσθαι τόπους, παρὰ τοῖς κοινοῖς.

CAPVT II.

V. 1. Ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν) WOLFIVS, ὁ πάνυ, cum OEDERO V. C. διὰ reddi vult per *intra*: Sed haec temporis notatio nimis vaga est, nec sensum efficit satis commodum. Omnino reddendum mihi videtur *post*, quo sensu saepissime apud optimum quemque auctorem est. Iosephus A. IV, 8, 12. Συνελθόντος δὲ τοῦ πλήθους εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν ἐπὶ ταῖς θυσίαις ΔΙ' ἐτῶν ἑπτά. *Multitudine autem POST septimum quemque annum in vrbe sacra ad sacrificandum congregata.* VII, 7, 1. ὁ βασιλεὺς ἀνέκρινεν αὐτόν, ὅτι μὴ πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν οἰκίαν ἔλθοι, μηδὲ πρὸς τὴν ἑαυτοῦ ΔΙΑ τοσούτου χρόνου, *Rex Vriam interrogabat, cur se ad domum suam non receperit, neque ad ipsius domum, POST tantum temporis interuallum.* Neque aliter in ipsis sacris litteris, v. c. Actor. XXIV, 17. et inprimis Marc. II, 1. καὶ πάλιν εἰσῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ δι' ἡμερῶν.

v. 2. Κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι) οἱ δοκοῦντες sunt *viri aliis dignitate auctoritateque praestantes*, subintellecto τοῦ εἶναί τι, quod v. 6. additur, aut ἐξέχειν, vt apud Iosephum XIX, 6. 3. ΔΟΚΟΥΝΤΕΣ αὐτῶν ἐξέχειν, *illorum PRIMORES*: et B. I. I, 5. 3. οἱ ΔΟΚΟΥΝΤΕΣ προύχειν, *qui inter alios dignitate auctoritateque eminent.* Add. A. IX, I, 1.

v. 3. 'Αλλ' οὐδὲ Τίτος -- περιτμηθῆναι) Iudaei ipsi tunc temporis in diuersas sententias de circumcisionis

nis necessitate, iis, qui ex Gentilibus ad Iudaicam religionem sese contulerant, imponenda, distracti erant, cum necessariam alii, alii minus necessariam habendam putarent. In quam rem egregius est Iosephi locus, A. XX, 2, 5. vbi traditur Izates, Adiabenorum Rex, Iudaicam religionem amplexus, eius fuisse opinionis, vt, quoniam non esset circumcisus, verus perfectusque Iudaeus non esset, eamque ob caussam paratum fuisse ad hanc operationem sustinendam: quod cum mater ipsius, Helena, cognouisset, verita, ne magnum filius periculum subiret, eum ab isto consilio auocare studuit, et de ea re cum quodam Iudaeo, Anania, communicauit, a quo hoc responsum tulit: Δυνάμενον αὐτὸν καὶ ΧΩΡΙΣ ΤΗΣ ΠΕΡΙΤΟΜΗΣ τὸ θεῖον σέβειν, εἴγε ζηλοῖ τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων· *Posse illum etiam SINE CIRCVMCISIONE Numen colere, si plane decreuerit patria Iudaeorum instituta sequi.* Longe aliter autem sentiebat Eleazarus, qui, vt Iosephus mox tradit, circumcisionem quam maxime necessariam putauit, et Izatem ad tristem illam necessitatem subeundam compulit.

v. 11. Κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην) Non possum quorundam Patrum expositionem probare, qui verba κατὰ πρόσωπον *secundum speciem* reddi, et tantum σκιαμαχίαν quandam intelligi volunt. Repugnat haec interpretatio loquendi rationi, ex qua κατὰ πρόσωπον est *coram, in faciem.* Exemplis Raphelianis et Elsnerianis addendum hoc Iosephi, A. V. 1, 15. Cap. I. §. 15. ἀναστρέψας τὴν δύναμιν, ΚΑΤΑ ΠΡΟΣΩΠΟΝ αὐτοῖς ποιεῖ. *Cum copias conuertisset, eas coram s. in faciem hostium collocauit.* Vox ἀντέστην autem petita est ex re athletica. Proprie enim ἀντιστῆναι dicuntur *pugiles, qui contra aduersarium inuicti stant, eorum ictus fortiter excipiunt, neque se a gradu suo deiici patiuntur:* de qua re πολυμαθέστατος ille P. FABER in Agonist. Lib. I. c. 12. Sic Iosephus de Iacobo, cum aeterno illo et increato Angelo luctante: σημαίνει δὲ τοῦτο κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν, τὸν ΑΝΤΙΣΤΑΝΤΑ

TA ἀγγέλῳ θείῳ· *Significat autem* nomen Israëlis *lingua Hebraica reluctantem angelo diuino.*

v. 12. ὑπέστελλε) h. e. *celauit, dissimulauit et subduxit se*: quem elegantem vocis significatum multis Iosephi locis illustrabamus supra ad Actor. XX. 20.

v. 14. Τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν;) Hoc verbo ἰουδαΐζειν, non facile obuio, vtitur Iosephus II, 17. 2. Ἀπεσκευάσθαι γὰρ τοὺς Ἰουδαίους δοκοῦντες ἕκαστοι, τοὺς ΙΟΥΔΑΙΖΟΝΤΑΣ εἶχον ἐν ὑποψίᾳ. *Nam cum omnes existimarent, Iudaeos de medio esse sublatos, Iudaizantes suspectos habebant.* Est autem ἰουδαΐζειν, *Iudaicam religionem profiteri, Iudaeorumque mores et instituta sequi*: inde ἰουδαϊσμὸς in hac ipsa Epistola C. I. v. 13. 14. *ipsa religio Iudaica.* Vide SALMASIVM, τὸν πάνυ, *de Lingua Hellen.* p. 236. sq.

CAPVT III.

V. 10. Ὃς οὐκ ἐμμένει) In Ebraico Deuteron. XXVII. 26. est יָקִים *consistere faciet*, s. *rata habebit.* Eandem notionem habet vox graeca ἐμμένειν, quae *continuam in aliqua re perseuerantiam constantiamque* denotat. Iosephus A. VI. 7, 5. ΕΜΜΕΝΕΙΝ τὸν Θεὸν τοῖς περὶ αὐτοῦ κεκριμένοις, ὡς τοῦ μεταβάλλεσθαι καὶ στρέφειν τὴν γνώμην ἀνθρωπίνου πάθους ὄντος, οὐχὶ θείας ἰσχύος. *Deum suis de eo* (Saulo) *decretis stare, quippe quod sententiam mutare, et ab ea discedere, humanae fragilitatis sit, non Dei potentiae:* et VIII, 10, 3. Σούσακος οὐκ ΕΝΕΜΕΙΝΕ ταῖς γενομέναις συνθήκαις, *Susacus non seruauit pacta, quibus conuenerant.*

v. 17. Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ) De hoc loco, in quo interpretando, Doctissimi viri, vix dici potest, quam mire se torserint, multa diximus, et Flauiorum locorum luce, ni fallimur, illustrauimus ad Actor. 6. VII, 6.

v. 19. Ὁ νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐνχειρὶ μεσίτου) De hoc quoque loco, vexatissimo, et multis multo-

rum interpretationibus obnoxio, copiose disputabamus supra ad Actor. VII. 53.

CAPVT IV.

V. 2. Ἄχρι τῆς προθεσμίας) προθεσμία est *quaeuis dies definita, quoduis tempus constitutum.* Nam GVSSETIVS apud WOLFIVM ad h. l. nimis argutatur, cum contendit, προθεσμίαν esse *diem, lege quasi positam, proindeque ab eo, qui legis ponendae habeat auctoritatem, siue a Magistratu, vt circa dies festos, siue a testamentum condente, determinatam.* Vrget praeterea Praepositionem πρὸ in Voce προθεσμία, *quae notet dispositionem de tempore tutelae finiendae factam aliquamdiu ante exemtionem, vt testamentum praecedit executionem ipsius.* Nihil accurati in his omnibus. Itaque recte WOLFIVS eum hic non audiendum putauit. Est enim προθεσμία *quaeuis dies constituta.* Locis ab ELSNERO in hanc rem adductis addamus hunc vnum Iosephi XII, 4, 7. τῆς ΠΡΟΘΕΣΜΙΑΣ ἐνισαμένης, καθ' ἣν ἔδει τῷ βασιλεῖ τοὺς φόρους ἀπαριθμεῖν. *Die praestituta instante, qua Regi soluenda erant vectigalia:* ad quem locum vid. Illust. SPANHEMIVS. Sensus autem huius loci est: *Filius familias sub potestate rectorum viuere cogitur vsque ad tempus constitutum,* f. ad id tempus, quo patri visum est, filio, custodibus tandem remotis, paullo liberalius liberiusque viuendi potestatem concedere.

v. 4. ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου) Loquendi ratio πλήρωμα τοῦ χρόνου, et πληρῶσθαι de *extremo temporis, quod praefinitum erat, spatio,* seu *de tempore constituto exacto,* Ebraica quibusdam visa est: in quo optimi illi viri falluntur. Nam ita optimus quisque scriptorum. Iosephus A. VI, 4, 1. de Samuele, quem Deus certam quandam horam obseruare iusserat, qua ei indicaret, quem regem constituturus esset: αὐτὸς μὲν ἐπὶ τοῦ δώματος καθεζόμενος, ἐξεδέχετο τὸν καιρὸν γενέσθαι. ΠΛΗΡΩΘΕΝΤΟΣ δ' αὐτοῦ, καταβὰς, ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἐπορεύετο. *Ille sedens in so-*

solario expectabat, dum tempus adesset: quod cum aduenisset, descendebat ad coenam iturus.

v. 26. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερυσαλὴμ) Qui per *Hierosolymam supernam* montem *Sion* intelligunt, praesidium sententiae suae inueniunt in Iosepho, qui eum montem saepe τὴν ἄνω πόλιν vocat. Sic v. c. B. I. II, 4. Πρὸς τὴν ΑΝΩ πόλιν ἐλθών. *Cum ad vrbem superiorem venisset.* VI, I, 2. οἱ στασιασαὶ ἀκεχώρεν εἰς τὴν ΑΝΩ πόλιν· *seditiosi recipiebant se in vrbem superiorem.* Plura in hanc rem dabit OTTIVS *in spicileg. ex Iosepho ad N. T.* p. 400.

CAPVT V.

V. 7. Τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε) Non erat, quare GROTIVS et alii illud ἐνέκοψε, quod multi Codd. exhibent, huic lectioni praeferri mallent. Ἀνακόπτειν enim pro *impedire* est apud optimum quemque Auctorem. Apud Iosephum A. IV, 3, 2. ΑΝΑΚΕΚΟΜΜΕΝΗ θάλασσα est *mare, cuius cursus est inhibitus et impeditus*: qua notione ΑΝΑΚΟΠΗ τοῦ ῥεύματος est A. V, 1. 4. Apud eundem XVII, 9, 3. Ἀρχελάῳ δὲ ἄποξον ἐδόκει σώζεσθαι τὰ πάντα, μὴ οὐκ ΑΝΑΚΟΨΑΝΤΙ τὴν ἐπὶ τοῖσδε ὁρμὴν τῆς πληθύος. *Archelaus autem de rerum summa sibi periclitari visus est, nisi multitudinis impetum ex huiusmodi occasione reprimeret.* In sui ipsius Vita §. 71. Σεπφωρῖται πρὸς Κέστιον Γάλλον ἔπεμψαν, καὶ παρεκάλουν· πέμπειν δύναμιν τὴν ΑΝΑΚΟΨΟΥΣΑΝ τὰς ἐπ' αὐτοὺς τῶν πολεμίων ἐπιδρομάς. *Sepphoritae ad Cestium Gallum miserunt, rogantes - vt militum manum mitteret, quae hostium incursiones reprimeret.* B. I. I, 13, 7. αὐτὸς ἀσφαλῶς μετὰ τῶν θεραπόντων ΑΝΕΚΟΠΤΕ τοὺς Βαρβάρους. *Ipse cum famulis suis caute arcebat Barbaros:* Eodem Lib. 16, 2. τοῖς διώκουσιν ἐμπίπτων ΑΝΕΚΟΨΕ τὴν ὁρμήν· *in persequentes irruendo, impetum illorum repressit.* Et 23, 5. Οὐ γὰρ ἐγὼ, φθονῶν τοῖς ἐξ ἐμοῦ γεγεννημένοις, ΑΝΑΚΟΠΤΩ τὴν εἰς αὐτοὺς φιλοτιμίαν.

μίαν. Ego enim nequaquam, ac si inuiderem ex me genitis, impedio, quo minus alii eos honore prosequantur.

CAPVT VI.

V. 9. Μὴ ἐκλυόμενοι) Ἐκλύειν est *eneruare, debilitare.* Iosephus A. VIII, 11, 3. τῶν μὲν ἔθραυσε τὰ φρονήματα, καὶ τὰς ἀκμὰς ΕΞΕΛΥΣΕΝ ὁ Θεός. *Illorum animos Deus fregit, eorumque vim spirituum soluit.* Ἐκλύεσθαι, *deficere, debilitari, eneruari.* V, 2, 7. διὰ τὴν τρυφὴν ΕΚΛΕΛΥΜΕΝΟΙ, *ob luxuriam debilitati, eneruati* : vnde VII, 12, 2. ἔκλυτος *defatigatus* : et B. I. I, 19, 3. πρὸς δὲ τὴν ἐμβολὴν καταπλαγὲν τὸ ἔθνος, καὶ μεγέθει συμφορῶν ἐπαλλήλων ΕΚΛΥΤΟΝ συναγαγὼν Ἡρώδης. *Cum autem Herodes gentem, hac impressione perterritam, et calamitatum frequentium magnitudine fractam, congregasset.*

* *

EPISTOLA
AD EPHESIOS.

CAPVT I.

V. 8.

Ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει) Non audiendus est hic HOMBERGIVS, qui nullum inter σοφίαν et φρόνησιν discrimen intercedere contendit. Quoties enim vtraque vox iuncta inuenitur, non pro synonymis, sed ita ponuntur, vt quaeque earum suam vim obtineat. Sic apud Iosephum A. II, 5, 7. Θαυμάσαντος τοῦ βασιλέως τὴν ΦΡΟΝΗΣΙΝ καὶ τὴν ΣΟΦΙΑΝ τοῦ Ἰωσήπου, *Rege autem admirante Iosephi PRVDENTIAM et SAPIENTIAM.* Apud eundem VIII, 7, 5. de Regina Aethiopiae Salomonem inuisente : τῶν σῶν

σῶν ἀγαθῶν, ὧν αὐτὸς ἔχεις ἐν σαυτῷ, λέγω δὲ τὴν ΣΟΦΙΑΝ καὶ τὴν ΦΡΟΝΗΣΙΝ, καὶ ὧν ἡ βασιλεία σοι δίδωσιν, ὃ ψευδὴς ἄρα ἡ φήμη πρὸς ἡμᾶς διῆλθεν· *De tuis bonis, quae aut in te sita sunt, SAPIENTIA scilicet ac PRVDENTIA, aut quae regnum tuum tibi suppeditat, non vana vtique ad nos perlata est fama:* vbi accurate ἡ σοφία a τῇ φρονήσει discernitur. Scilicet ἡ σοφία f. *sapientia* cernitur *in cognitione contemplationeque rerum vtilium:* ἡ φρόνησις autem f. *prudentia* versatur *in rerum actione*, f. *in prudenti facultate iudicandi et agendi, quod cuique tempori et loco conueniat.* Esse autem harum vocum, cum Graecarum, tum Latinarum, discrimen, eius rei auctorem locupletissimum dabo ipsum Ciceronem, qui in Lib. I. de Offic. C. XLIII. ita: *Princeps omnium virtutum est illa sapientia, quam* σοφίαν *Graeci vocant. Prudentiam enim, quam Graeci* φρόνησιν *dicunt, aliam quandam intelligimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia:* et de vtraque paullo post ita disputat, vt dicat, σοφίαν versari *in perspicienda cognoscendaque rerum natura, et in tractandis contemplandisque rebus cognitione dignissimis:* φρόνησιν autem occupatam esse *in ipsa actione rerum, hominumque commodis tuendis:* vt σοφία sit scientia *theoretica*, φρόνησις autem *practica.* Neque minus accurate Paullus h. l. Voces has duas iunctas discreuisse putandus est, ita vt per σοφίαν intelligat, (vt recte obseruatum WOLFIO, τῷ πάνυ) *salutarem Christi et totius doctrinae Euangelicae cognitionem:* per φρόνησιν autem *facultatem de rebus recte iudicandi, easque suo quamque loco et tempore agendi*, quae adeo ostendat τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Hebr. V. 14.

v. 18. Πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν) Multi Codd. pro διανοίας exhibent καρδίας: quod MILLIVS in Prolegom. §. 748. genuinum putat, altero illo διανοίας valere iusso. Sed non erat, quare vir ille Doctissimus lectioni καρδίας tantum tribueret, cum altera illa magis huic rei conueniat, et optimi scriptores eodem

 mo-

modo loquantur. Sic φωτίζειν τὴν διάνοιαν est apud Iosephum, etsi sensu paullulum diuerso, A. VIII, 5, 3. Σοφίσματα καὶ λόγους αἰνιγματώδεις διεπέμψατο πρὸς τὸν Σολομῶνα ὁ τῶν Τυρίων βασιλεὺς, παρακαλῶν ὅπως αὐτῷ σαφηνίσῃ, καὶ τῆς ἀπορίας τῶν ἐν αὐτοῖς ζητουμένων ἀπαλλάξῃ - - μαθὼν αὐτῶν τὴν ΔΙΑΝΟΙΑΝ ΕΦΩΤΙΣΕ. *Argutias et griphos ad Salomonem misit Tyriorum Rex, rogans eum, vt illas sibi explicaret, atque omnem de quaestionibus in illis inuolutis dubitationem tolleret. - - Salomo autem, cum, quid sibi velint, intellexisset, eorum vim et sententiam explicuit.* Et quemadmodum ipse Paullus C. IV. 18. dixit ἐσκοτισμένους τῇ διανοίᾳ, et Iosephus A. VIII, 2, 2. τῇ διανοίᾳ τετυφλωμένων, ita vox διανοίας optime conuenit Verbo φωτίζειν. Cf. quae scribentur infra ad C. IV. v. 18.

CAPVT II.

V. 12. Ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ) Hoc verbo, non facile alias obuio, eodem fere, quo hic Paullus, sensu vtitur Iosephus A. XI. 5, 4. in Edicto Esdrae, quo omnes, qui, ex captiuitate Babylonica reuersi, intra biduum aut triduum non venissent, a populi Iudaici societate et communitate seiuncti excommunicarentur: Dignus est locus, qui huc transferatur: γενομένου κηρύγματος, ὥστε πάντας τοὺς ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας συνελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα, ὡς τῶν ἐν δυσὶν ἢ τρισὶν ἡμέραις οὐκ ἀπαντησάντων, ἈΠΑΛΛΟΤΡΙΩΘΗΣΟΜΕΝΩΝ τοῦ πλήθους, καὶ τῆς οὐσίας αὐτῶν κατὰ τὴν τῶν πρεσβυτέρων κρίσιν ἀφιερωθησομένης, συνῆλθον οἱ ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς καὶ Βενιαμίτιδος ἐν τρισὶν ἡμέραις· *Cum edictum esset, vt omnes ex captiuitate reduces Hierosolyma conuenirent, adeo, vt, quicunque intra duos aut tres dies non se stitisset, e populi coetu SEMOVERETVR, eiusque bona sacra forent ex senatorum decreto; Iudaicae et Beniamiticae tribus homines intra triduum conuenerunt.*

Tales

Tales igitur erant ἀπηλλοτριωμένοι, de quibus hic Paullus. Adde ad Coloss. I, 21.

v. 14. Καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ Φραγμοῦ λύσας) Mihi non dubium est, quin his verbis Apostolus respexerit ad duplex illud Templi Hierosolymitani septum, quorum *exteriori* alienigenae a populo Iudaico secernebantur, *interiori* autem populus Iudaicus a Templi ingressu, et atrio sacerdotum arcebatur. In quam rem egregius est Iosephi locus A. VIII, 3. 3. Διελὼν τὸν ναὸν εἰς δύο, τὸν μὲν ἔνδοθεν οἶκον, εἴκοσι πηχῶν, ἐποίησεν ἄδυτον εἶναι· τὸν δὲ, τεσσαράκοντα πηχῶν, ἅγιον ναὸν ἀπέδειξεν. ἐκτεμὼν δὲ τὸν ΜΕΣΟΝ ΤΟΙΧΟΝ, θύρας ἐπέστησε κεδρίνας, χρυσὸν αὐταῖς πολὺν ἐνεργασάμενος καὶ τορείαν ποικίλην· *Cum Templum in duas partes diuisisset, aedem quidem interiorem, viginti cubitorum, in sanctum sanctorum seposuit; exteriorem vero, quadraginta cubitorum, sanctuarium esse constituit. In scissura vero medii parietis fores posuit cedrinas, multo auro obductas, et variis caelaturis ornatas.*

CAPVT IV.

V. 14. Κλυδωνιζόμενοι) h. e. *animo fluctuantes*, vti Latini in eadem re hoc Verbo vtuntur, quod docet I. FR. GRONOVIVS Lib. II. Obseruatt. C. VIII. p. 273. sq. Viri praestantissimi, ELSNERVS et ALBERTIVS, multa ad h. l. ex Graecis Latinisque Scriptoribus attulerunt; neuter tamen locum laudauit, in quo hoc Verbum extaret. Est autem apud Iosephum eodem sensu, A. IX. 11. 3. vbi, postquam narrauerat, vatem Nahum vrbi Nino interitum, auctoritate Dei, minatum esse, pergit: ὁ δῆμος ἅπας ταρασσόμενος καὶ ΚΛΥΔΩΝΙΖΟΜΕΝΟΣ οἰχήσεται Φεύγων, *Populus omnis turbatus et FLVCTVANS in fugam se coniiciet.*

v. 18. Ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ) Eadem loquendi ratione translata tenebras et ignorantiam intellectus expri-

 mit

mit Iosephus A. VIII, 2, 2. πάντων τῇ ΔΙΑΝΟΙΑι ΤΕΤΥΦΛΩΜΕΝΩΝ, *cum omnes mentis ignorantia coecitateque capti laborarent.* IX, 4, 3. de iis, quos Syriae Rex ad comprehendendum vatem miserat, οἱ μὲν ἠγουμένῳ τῷ προφήτῃ, τὰς ὄψεις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν ΔΙΑΝΟΙΑΝ ΕΠΕΣΚΟΤΙΣΜΕΝΟΙ, σπουδάζοντες εἵποντο· *Illi, et oculis et mente a Deo excoecati, sine cunctatione vatem ducem sequebantur.* Nec dissimili sensu apud eundem, eodem Lib. 13, 1. διαφθαρέντες τὴν διάνοιαν, *mente corrupti et excoecati.*

Caput VI.

V. 11. πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου) Μεθοδείας hic esse *insidias, technas*, dudum Viris doctis obseruatum. Eodem sensu est ὁδὸς apud Iosephum A. XVII, 1, 1. ἅπερ δὴ πάντα μηχαναὶ τῆς ἐπὶ τὸν Ἡρώδην ΟΔΟΥ ἵσαντο Ἀντιπάτρῳ· *Quae scilicet omnia Antipatro occasionem suppeditabant insidias Herodi struendi.* Sic μέθοδος pro *insidiis, fraudulentis artibus* est apud Philonem Lib. II. Allegor. p. 63. B. vbi μέθοδοι et τέχναι vt synonyma iunguntur. Caeterum facile largior SALMASIO de Foenore Trapez. p. 171. contendenti, μέθοδον Graecis proprie dici sensu bono pro *arte*, in qua quis sese exercet. Et sic est μεθοδεύειν pro *artem aliquam tractare*, apud Diod. Sicul. Lib. I. p. 14. postea autem in malam partem ea vox accepta est.

EPISTO-

* *

EPISTOLA
AD PHILIPPENSES.

CAPVT II.

V. 7.

'Αλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε) Assentior L. BOSIO, qui hoc Verbum e re militari putat desumptum, cum milites *euacuare locum*, *vrbem*, *et thesauros* dicuntur, vt Apostolus, qui ante dixit, ὐχ' ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, in metaphora perstitisse dicatur. Iosephus A. VIII, 10, 3. de Susaco: ἐσύλησε τὸ ἱερὸν, καὶ τὺς θησαυρὺς, ΕΚΕΝΩΣΕ Θεοῦ τε καὶ τὺς βασιλικύς. *Templum diripuit*, *thesaurosque cum Deo sacros*, *tum regios exinaniuit*. B. I. VI, 7, 2. Ῥωμαῖοι - τὺ μὲν ἄςεος ἥδοντο δαπανωμένυ, τῶν δὲ ἁρπαγῶν διήμαρτον, ἐπειδὴ πάνθ' οἱ ςασιαςαὶ ΠΡΟΚΕΝΟΥΝΤΕΣ, ἀνεχώρυν εἰς τὴν ἄνω πόλιν· *Romani - vrbem quidem flammis absumi gaudebant*, *rapinis autem excidebant*, *quoniam seditiosi*, *exhaustis prius omnibus*, *recesserant in superiorem Vrbem*. Quod si admiseris, sensus accommodatissimus inde efficietur hic: *Christus se gessit ita*, *tanquam vacuus esset potestate diuina:* quod ex asse respondet superioribus, ὐχ' ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα τῷ Θεῷ, quorum sensus optimus hic est: *Christum suam cum patre aequalitatem non spoliorum instar in triumpho circumtulisse*.

v. 8. Καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος) σχῆμα Graecis, inter caetera, denotat *habitum*, *conditionem*. Iosephus A. 12, 1. "Αβραμος δὲ μετῴκησεν εἰς Γέραρα τῆς Παλαιςίνης, ἐν ἀδελφῆς ἐπαγόμενος ΣΧΗΜΑΤΙ τὴν Σάῤῥαν. *Abramus autem migrauit Gerara*, *Vrbem Palaestinae*, *Saram pro sorore secum ducens*. A. II. 4, 2. de vxore Potiphari, Iosephum ad detestandum facinus alliciente: ῥᾳδίως πείσειν αὐτὸν εἰς ὁμιλίαν ἐλθεῖν, εὐτύχημα

μα ἡγησάμενον τὸ τὴν δέσποιναν αὐτȣ̃ δεηθῆναι· καὶ πρὸς τὸ ΣΧΗΜΑ *τῆς τότε δȣλείας, ἀλλ᾽ ȣ̓ πρὸς τὸν τρόπον, ἀφορῶσης· putabat, fore, vt facile eum ad amplexus alliceret, in parte felicitatis positurum, quod hera illum peteret, nam ad HABITVM CONDITIONEMQVE seruilem, non mores ipsius, respiciebat.* Sic *σχῆμα ταπεινὸν* est *humilis, et misera conditio* apud eundem A. V, 1, 28. in commemoratione Iosuae beneficiorum, quae Deus populo Israëlitico largitus erat: *πολλαὶ δ᾽ ἦσαν τοῖς ἐκ ταπεινȣ̃* ΣΧΗΜΑΤΟΣ *εἰς τȣ̃το δόξης καὶ περιȣσίας προελθȣ̃σι· Multa enim beneficia obtigerant iis, ex HVMILI CONDITIONE ad tantam gloriam, et rerum abundantiam prouectis.* Sic *σχῆμα θητικὸν* est *conditio seruilis*, A. VIII, 6, 3. de liberrima conditione Iudaeorum regnante Salomone: *τῶν Ἑβραίων ȣ̓δεὶς ἐδȣ́λευεν· ȣ̓δ᾽ ἦν εὔλογον, ἔθνη πολλὰ τȣ̃ Θεȣ̃ δεδωκότος αὐτοῖς ὑποχείρια, δέον ἐκ τȣ́των ποιεῖσθαι τὸ θητικὸν, ἢ ἐκείνȣς κατάγειν εἰς τȣ̃το τὸ* ΣΧΗΜΑ. *Hebraeorum nemo tunc seruiebat; nec aequum erat, cum tam multas gentes Deus illis subdidisset, quando ex istis oportuerit seruitia potius habere, quam illos ad hanc SERVILEM CONDITIONEM adigere.* Apud eundem ibid. 11, 1. *σχῆμα* est *habitus, vestitus*, de Hieroboami vxore: *τὴν γυναῖκα αὐτȣ̃ προσέταξεν, τὴν στολὴν ἀποθεμένην καὶ* ΣΧΗΜΑ *λαβȣ̃σαν ἰδιωτικὸν, πρὸς Ἀχίαν τὸν προφήτην· vxori suae mandat, vt, veste sua deposita, habituque priuato assumpto, ad Achiam vatem se conferret;* et de eadem paullo post, ΜΕΤΑΣΧΗΜΑΤΙΣΑΜΕΝΗ, *cum vestitum mutasset.* Ex allatis exemplis optime haec Paulli verba exponi possunt ita, vt sensus sit: *Christum habitu et conditione se ita gessisse, vt nihil a caeteris hominibus differret, neque maius quid iis esse videretur.* Scilicet optime sibi et amicissime respondent *σχῆμα ἀνθρώπȣ* et *εἶναι ἴσα τῷ Θεῷ*: quemadmodum *μορφὴ τȣ̃ Θεȣ̃* et *μορφὴ δȣ́λȣ*.

v. 15.

v. 15. Ἵνα γένησθαι ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι) De hac voce accurate Eustathius ad Homer. Ἰλιάδ. β´ v. 855. p. 364. Edit. Rom. Ἴσως δὲ τοῦ ῥηθέντος (sc. κεραΐζειν pro *laedere*, *perdere*) ἀκέραιος, ὁ ἁπλοῦς, καὶ πραΰθυμος καὶ μή τινα κεραΐζων, h. e. ἀκέραιος *homo simplex*, *moribus lenis*, *neminemque laedens:* quae interpretatio inprimis loco Matth. X. 16. conuenit. Hic autem ἀκέραιοι, quoniam τοῖς ἀμέμπτοις iunguntur, sunt *homines vitae integerrimae et sanctissimae.* Quo sensu ea vox apud Iosephum A. I, 2, 2. de simplicitate vitae primorum hominum: ΑΚΕΡΑΙΟΝ αὐτοῖς ὄντα τὸν βίον. *Cum ipsis esset viuendi ratio simplex et integra.* Nec aliter XII, 2, 3. de Iudaeorum legislatione, φιλοσοφωτέραν καὶ ΑΚΕΡΑΙΟΝ τὴν νομοθεσίαν εἶναι συμβέβηκεν, ὡς ἂν οὖσαν Θεοῦ. *Legislatio est altioris sapientiae, et sincerissimae integritatis plena, vtpote a Deo profecta.*

v. 16. Οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον) Simili loquendi formula vtitur Iosephus A. XIX, 1, 4. de Chaerea, Cajum interfecturo: τὸν καιρὸν ἐπισκοπῶν, ὅπως μὴ ΕΙΣ ΚΕΝΟΝ, ἀλλ' ἐπὶ καταπράξει τῶν βεβουλευμένων, ταῖς χερσὶ χρῷτο· *Occasionem adeo commodam quaerebat, vt non IRRITO CONATV, sed ad perficienda, quae decreuerant, manibus vteretur.*

v. 19. Ἵνα κἀγὼ εὐψυχῶ) Non erat, quare GROTIVS ἐμψυχῶ, neque in MSS. neque in Edd. nisi in vna Plantiniana, per errorem haud dubie operarum, neque forte in vllo scriptorum Graecorum obuium, praeferre mallet τῷ εὐψυχῶ, quae lectio vno omnium et consentiente MSS. et Edd. suffragio stabilitur, et sensum commodissimum exhibet. Εὐψυχεῖν est *bono, forti et tranquillo animo esse.* Eo sensu est εὔψυχος apud Iosephum A. V. 1, 29. de Iosua: πρός τε ἔργα καὶ τοὺς κινδύνους ΕΥΨΥΧΟΣ καὶ μεγαλότολμος· *Cum in operibus, tum in periculis erat fortis et magnanimus.*

v. 25. Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην Ἐπαφρόδιτον) Humanitus errant Viri optimi IO. BAPT. OTTIVS, DAVBVZIVS,

zivs, cum hunc Epaphroditum eundem putant, cuius Iosephus in Prooemio Antiquitatt. et sub initium Lib. I. contra Apion. honorificam sane mentionem facit. Nam cum Iosephus anno XIII. Domitiani *Antiquitates* scripserit, iisque postea *Commentarium de Vita sua*, tanquam appendicem, adiunxerit, ac denique Libros II. *contra Apionem*, omnia illa scripta autem consecrarit Epaphrodito; temporum ratio non permittit, vt de hoc Paulli Epaphrodito accipiamus. Ne dicam, illum fuisse Iudaicae religioni addictum, hunc autem Christianae.

Capvt IV.

V. 22. Μάλιστα δὲ οἱ ἐκ Καίσαρος οἰκίας) Non facile ad diiudicandum est, vtrum per τὰς ἐκ Καίσαρος οἰκίας *Neronis Imperatoris cognati*, an *eius domestici et ministri* sint intelligendi, cum verba graeca vtramque interpretationem admittant. Sic οἱ ἐπὶ τῆς οἰκίας sunt *cognati*, *in vna domo, familiae et cognationis vinculo iuncti viuentes*, apud Iosephum A. I, 19, 5. vbi Rebecca Eleazarum in patris domum inuitat, addens, τὴν εὐκταιοτάτην καὶ μεγίστην ἡδονὴν αὐτὸν κομίσαι τῷ πατρὶ καὶ ΤΟΙΣ ΕΠΙ ΤΗΣ ΟΙΚΙΑΣ ἅπασιν· *Eum maximam voluptatem esse allaturum et patri, et toti familiae:* Contra ea οἱ κατὰ τὸν οἶκον sunt *domestici*, *famuli*, apud eundem A. II, 4, 1. vbi Petephres Iosephum omni domui suae praefecisse dicitur: Ἐγχειρίζει τε τὴν ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΟΙΚΟΝ αὐτῷ πρόνοιαν, *cum suae domui praefecit:* quod quomodo intelligendum sit, exponitur eodem Cap. §. 5. vbi Iosephum stupri accusans Petephrae vxor, inter caetera, et haec: ᾧ τὴν τῆς κτήσεως τῆς σῆς πίστιν καὶ τὴν οἰκονομίαν λαβεῖν ἐξεγένετο, καὶ τῶν πρεσβυτέρων οἰκετῶν προτιμηθῆναι, *cuius fidei et dispensationi omnia tua bona commissa esse contigit, seruisque natu maioribus praefici.* In hoc autem Paulli loco, animus mihi inclinat eo, vt per τὰς ἐκ

Καί-

Καίσαρος οἰκίας intelligendos putem Caesaris *domesticos*, libertos et seruos. Nam et apud Iosephum A. XVI, 5, 8. οἰκία Καίσαρος clare sic dicitur, cum ibi sermo sit de ancilla Liuiae: et in inscriptionibus antiquis non semel DOMVS CAESARIS hoc sensu occurrit.

* *

EPISTOLA AD COLOSSENSES.

CAPVT I.

v. 5.

Διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Simili fere sensu Iosephus A. VIII, 11, 2. ἐν μόνῳ τῷ πρὸς Θεὸν εὐσεβεῖ τὴν βεβαιοτάτην ΕΛΠΙΔΑ ΑΠΟΚΕΙΣΘΑΙ συμβέβηκεν· *In iustitia sola ac pietate in Deum, firmissima spes posita est.* Hic loci autem ἐλπὶς non tam *spes ipsa* est, quam *id, quod speratur,* τὸ ἀγαθὸν ἐλπιζόμενον, quod alias σέφανος τῆς ζωῆς, δικαιοσύνης, et σέφανος ἀμαράντινος τῆς δόξης dicitur. Igitur ἡ ἐλπὶς ἀποκειμένη h. l. est *vita aeterna, quae, tanquam praemium quoddam, reposita in coelis est iis, qui se in hoc mundo strenuos milites Iesu Christi praestiterunt.* Exquisite enim τὰ ἆθλα s. *praemia certaminis,* ἀποκεῖσθαι et προκεῖσθαι dicuntur, *quae certaminum victoribus reposita asseruataque sunt.* In quam rem egregie Iosephus A. VIII, 12, 3. οἱ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΩΝ αὐτοῖς ΑΘΛΩΝ, ἐπὰν περί τι σπουδάσωσιν, οὐ διαλείπουσι περὶ τούτου ἐνεργοῦντες· *Ii, qui, propositis sibi praemiis, postquam alicui rei studere coeperint, sine intermissione ei operam dant.* Pluribus de horum verborum vsu elegantissimo infra disputabimus.

v. 6. Τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς) *Quum peruenisset ad vos.* Sic optimus quisque auctorum. Iosephus A. I, 19, 4. Πρo-

Προϊὼν δὲ ἐπὶ τῆς Μεσοποταμίας, χρόνῳ ΠΑΡΗΝ εἰς τὴν Χαῤῥάν· *Illinc recta contendens ad Mesopotamiam, tandem peruenit Charran*: et ibid. 21, 1. εἰς Σίκιμον ΠΑΡΗΝ· *Sicimum peruenit.* Porro III, 5, 3. ΠΑΡΕΣΤΙ καὶ αὐτὸς ΕΙΣ τὸ στρατόπεδον, *Ipse in castra peruenit.*

v. 17. Καὶ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε) Vtitur hac voce Iosephus de Deo omnium Creatore, A. XII, 2, 2. τὸν ἅπαντα ΣΥΣΤΗΣΑΜΕΝΟΝ Θεὸν καὶ οὗτοι καὶ ἡμεῖς σεβόμεθα, *Conditorem vniuersitatis Deum et ipsi et nos colimus.* Frequens huius verbi vsus eadem notione est apud Philonem, v. c. Lib. II. Allegor. p. 62. πῶς οὐκ ἀδύνατον, Θεὸν ἀμείψασθαι ἢ ἐπαινέσαι κατὰ τὴν ἀξίαν τὸν τὰ ὅλα ΣΥΣΤΗΣΑΜΕΝΟΝ ἐκ μὴ ὄντων; *An non impossibile est, Deo vicem reponere mutuam, aut laudem illo dignam, qui omnia ex nihilo condidit?* Vnde σύνεστη pro *ortum est*, apud eundem de *Mundi Opific.* p. 11. ἐκ δὲ τῆς τούτων συζητήσεως, τὸ φιλοσοφίας ΣΥΝΕΣΤΗ γένος. *Ex huiusmodi vero disquisitionibus orta est philosophia:* et *de Plant. Noë* p. 215. ἐκ γῆς ἁπάσης καὶ παντὸς ὕδατος καὶ ἀέρος καὶ πυρὸς -- ΣΥΝΕΣΤΗ ὅδε ὁ κόσμος· *Ex tota terra et ex tota aqua, aëreque igneque - mundus hic exortus est.* Sed in hoc Paullino loco occurrit συνέστηκε, quod, *Tempus Praeteritum, Perfectum* vulgo Grammaticorum filiis dictum, accuratius *Tempus Praesens-Perfectum* dicendum, inprimis considerandum est. Igitur συνέστηκε h. l. non solum *creationis actum*, vt vulgo hoc verbum interpretantur, sed etiam *illius actus continuationem et perennitatem* indicat. Nolim igitur reddere, *in quo omnia creata sint* (praesertim cum hoc ipsum diserte iam v. 16. dictum sit) sed *per quem omnia creata sustentantur et conseruantur:* quam interpretationem luculenter confirmat egregius Philonis locus in libro, *Quis rerum diuin. sit haeres*, p. 489. ὁ ἔναιμος ὄγκος, ἐξ ἑαυτοῦ διαλυτὸς ὢν καὶ νεκρὸς, ΣΥΝΕΣΤΗΚΕ καὶ ζωπυρεῖται προνοίᾳ Θεοῦ τὴν χεῖρα ὑπέχοντος καὶ ὑπερασπίζοντος. μηδεμίαν ἡμέραν ἱδρυθῆναι παγίως δυνηθέντος ἐξ ἑαυτοῦ τοῦ γένους ἡμῶν· *Moles sangui-*

nea

nea, per se dissolubilis et mortua, CONSERVATVR et fouetur prouidentia Dei, sua manu sustentantis et protegentis: alioquin ne per unum quidem diem genus nostrum durare poterat.

v. 21. Καὶ ὑμᾶς ποτε ὄντας ἀπηλλοτριωμένους) Huius verbi exemplum supra ad Ephes. II. 12. ex Iosepho attulimus: addamus hic duo alia ex eodem Lib. IV. A. 1, 1. vbi Hebraei Chananaeos bello petituri sunt ita, vt Dei auxilio et ductu se non indigere dicant: εἶναί τε καὶ καθ' αὐτοὺς ἱκανοὶ κρατεῖν τῶν ἐθνῶν ἔφασκον, κἂν ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΟΥΝ αὐτῶν Μωϋσῆς ἐθελήσειε τὸν Θεόν· *ipsis per se satis virium esse ad eas gentes debellandas, etiamsi Moyses Deum ab ipsis alienare vellet:* et VII, 9, 2. τὸν Θεὸν ἐπεκαλεῖτο, δεόμενος ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ τὴν Ἀβεσσαλώμου διάνοιαν πρὸς τὸν Ἀχιτόφελον. *Dauides Deum precibus implorabat, vt Abesalomi animum ab Achitophelo alienaret.*

CAPVT II.

V. 4. Ἵνα μήτις ὑμᾶς παραλογίζηται) Παραλογίζεσθαι est *decipere, callide circumuenire.* Iosephus A. XI, 6, 12. Ἔνιοι δὲ τούτων προστασίαν πραγμάτων ἐπιτραπέντες παρὰ τῶν φίλων, καὶ μῖσος ἴδιον ἔχοντες πρός τινας, ΠΑΡΑΛΟΓΙΣΑΜΕΝΟΙ τοὺς κρατοῦντας, ψευδέσιν αἰτίαις καὶ διαβολαῖς ἔπεισαν κατὰ μηδὲν ἠδικηκότων ὀργὴν ἀναλαβεῖν· *Ex his vero quidam, ab amicis rebus administrandis admoti, et priuato in nonnullos odio flagrantes, DECEPTIS iis, penes quos summum erat imperium, falsis criminibus et calumniis effecerunt, vt in innoxios ira efferrentur.* A. XVII, 1, 1. οὐ μὴν ἠπάτα γε τὴν τιτθίδα, προκατανενοηκυῖαν ἐκ πλείονος αὐτὸν, καὶ μηκέτ' οἵαν οὖσαν ΠΑΡΑΛΟΓΙΣΘΗΝΑΙ· *Non tamen fallebat amitam, quae eum iam pridem explorauerat, nec iam poterat DECIPI:* vbi ἀπατᾶσθαι et παραλογίζεσθαι vt synonyma iunguntur. Vnde apud Philonem *de Confus. Linguar.* p. 338. παράλογοι δικασταὶ sunt *iudices, qui falli possunt.* Eleganter

ter quoque hac voce vtitur Chrysostomus, *de Sacerdotio* p. 36. Ed. BENGELII, de calliditate, qua Sauli filia maritum suum ex patris manibus subduxerat: Καὶ γὰρ τῶν τοῦ Σαοὺλ χειρῶν ἡ τοῦ Σαοὺλ θυγάτηρ οὐκ ἴσχυσεν ἂν ἑτέρως ἐξελέσθαι τὸν ἄνδρα τὸν αὐτῆς, ἀλλ' ἢ μετὰ τοῦ ΠΑΡΑΛΟΓΙΣΑΣΘΑΙ τὸν πατέρα. *Etenim e Sauli manibus Sauli filia non aliter potuit eripere maritum suum, nisi DECEPTO patre.* Viri docti metaphoram petitam putant a disputatoribus, *qui callida qadam ratiocinandi argumentandique arte, tanquam laqueis, alios capiunt et decipiunt:* nec improbo: nescio tamen, an commodius duci possit *a fallacibus ratiocinatoribus, qui mala fraude rationes subducunt, aliosque fallunt.* Hoc sensu proprio ea vox occurrit apud Lucian. T. I. p. 268. Edit. Graev. vbi Charon ad Mercurium: ἢν λοιμός τις ἢ πόλεμος καταπέμψῃ ἀθρόους τινὰς, ἐνέσται τότε ἀποκερδᾶναι ἐν τῷ πλήθει ΠΑΡΑΛΟΓΙΖΟΜΕΝΟΝ τὰ πορθμεῖα· *Si pestis aliqua aut bellum frequentes huc demiserit, licebit tunc lucrari, mala arte in multitudine portorii rationes subducendo.*

v. 8. Διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης) Viri docti haec verba ita capiunt, vt partim fraudes Philosophiae, inter Gentiles tunc temporis iactatae, partim perversae traditiones Iudaeorum sint intelligendae. Mihi autem commodius et sermoni Apostoli conuenientius videtur, omnia haec verba ad solos Iudaeos referri, propter sequentia, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, quae, vti de Gentilibus non satis commode dici possunt, ita Iudaeis optime conueniunt. Scilicet per τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων intelliguntur *traditiones humanae*, per στοιχεῖα τοῦ κόσμου autem *ritus et instituta legis cerimonialis*, quibus obseruandis Iudaei adhaerescebant. Hanc doctrinam Iudaeorum Iosephus ipse φιλοσοφίαν vocat, A. XVIII, 1, 1. Ἰούδας καὶ Σάδδουκος τετάρτην ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΝ ἐπεισήγαγον· *Iudas et Sadducus quartum philosophandi genus inuexerunt:* et paullo post, ῥίζας ἐφυτεύσαντο τῷ ἀσυνήθει πρότερον ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ τοιᾶσδε:

τοιᾶςδε: et B. I. II, 8, 2. τρία παρὰ Ἰυδαίοις εἴδη ΦΙΛΟΣΟΦΕΙΤΑΙ, *Tria genera philoſophorum ſunt apud Iudaeos.*

v. 14. Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον) Metaphora eſt longe elegantiſſima, petita a creditoribus, *qui debitorum nomina in expenſi tabulas, cera obductas, relata delent et expungunt, litura inducta, cum aes alienum diſſolutum eſt.* Quo ſenſu fere proprio Ioſephus XVII, 14, 2. Ἡρώδης ἐκείνην τε ἐξέβαλε, καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς ΕΞΗΛΕΙΨΕ τῶν διαθηκῶν· *Herodes Mariamnen uxorem dimittit, eiusque filium e teſtamento ſuo expunxit.* Plura exempla in hanc rem dabamus ſupra ad Act. Apoſt. III. 19.

v. 16. Ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς) Tam multa a multis de vocibus ἐν μέρει dicta ſunt, vt, quaedam dicta non eſſe, praeſtaret. Optimum ſane, et linguae rationi conuenientiſſimum erat, ἐν μέρει ἑορτῆς interpretari *ob feſtum*, quaſi ſcriptum eſſet ſimpliciter ἐν ἑορτῇ. Sciunt enim graece docti, τὸ μέρος, alteri Subſtantiuo iunctum, ſaepe apud vnumquemque cultiſſimae dictionis Scriptorem eleganter abundare. Ioſephus A. XVI, 1, 1. τόδε, ὥσπερ ὡρίσθη τότε χαλεπὴν καὶ παράνομον γενέσθαι τὴν κόλασιν, ὑπερηφανίας ἐδόκει ΜΕΡΟΣ: *Hoc ipſum, ſicuti tunc aeſtimatum erat in animaduerſione poenaque durum et iniquum, ita arrogantia videbatur:* vbi ὑπερηφανίας μέρος nihil aliud denotat, quam ὑπερηφανία. Frequens hic loquendi vſus apud Philonem, v. c. in Libro, *Quod deterior potiori inſidietur*, p. 156. ὅσοι δ' ΕΝ ΜΕΡΕΙ λόγυ τῦ προκόπτοντος κατὰ τὸν πατέρα κοσμῦνται· *Quotquot ratione, profectus faciente, ſicut ille Patriarcha, ornantur.* vbi diſerte ἐν μέρει λόγυ dictum eſt pro ἐν λόγῳ. *In Flaccum* p. 989. Ἀφῃρέθην διὰ τῦτο τὰ πατρῷα καὶ μητρῷα, καὶ ὅσα ΕΝ ΜΕΡΕΙ χάριτος καὶ δωρεᾶς ἔλαβον, *Ideo paterna maternaque haereditate priuatus ſum, et iis, quae ob gratiam et munificentiam conſecutus ſum. In Legat. ad Caium* p. 1015. Ἐν ταῖς μηνιαίοις τῆς πατρίδος διανομαῖς ἀργύριον ἢ σῖτον ΕΝ ΜΕΡΕΙ παντὸς τῦ δήμυ λαμ-

 βάνον-

βάνοντος, ὐδέποτε τὺς Ἰυδαίυς ἠλάττωσε τῆς χάριτος. *Quoties menstruas pecuniae frumentique distributiones populus acciperet, Iudaeorum rationem haberi voluit.*

v. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων) Καταβραβέυω est vox, e certaminum ratione petita. Βραβέυω est, *certaminis moderator et arbiter sum, et praemia certaminis distribuo:* Iosephus B. I. V, 12, 2. de Vespasiano, munera distribuente militibus pro cuiusque in labore suscipiendo contentione: τῶν χιλιάρχων ἐπὶ τὺς ἡγεμόνας ἔτεινεν ἡ φιλοτιμία, καὶ τῶν ἡγεμόνων τὴν ἅμιλλαν ΕΒΡΑΒΕΤΕ Καῖσαρ. *Tribunis cum ducibus intercedebat contentio, et ducum concertationibus Caesar praemia distribuebat.* Vnde de iudicibus in vniuersum, suum cuique tribuentibus, A. IX, 1, 1. de Iosaphato, δικαςὰς ἀποδείξας ἐν ἑκάςῃ πόλει τῶν βασιλευομένων ὑπ' αὐτῦ, παρεκελεύσατο μηδενὸς ὕτως ὡς τῦ δικαίυ προνοϋμένυς κρίνειν τοῖς ὄχλοις - - ΒΡΑΒΕΥΕΙΝ δὲ ἅπασι τὸ ἴσον. *Constitutos in quolibet regni sui oppido iudices hortatus est, vt populo ius dicerent - - omnibus autem, quod aequum esset, statuerent.* Inde καταβραβέυειν proprie est, *sententiam aduersus quempiam fero, qua eum brabeo, s. praemio certaminis indignum pronuncio, quum alioquin dignus sit*; vt omnium optime vim huius vocis exposuit STEPHANVS Thes. Gr. L. T. I. p. 785. Saepe in Compositis τῆς κατὰ ea significatio, v. c. in τῷ καταφρονεῖν, inuenitur, quod, praeter vsitatam significationem, denotat *contra aliquem sentire, s. insidiari, alicui imponere, decipere aliquem.* Vid. IO. PEARSONII Praefat. Paraenet. ad LXX. Interpretes. Inde καταβραβέυειν in vniuersum denotat, *aliquem insidiose et iniuste circumuenire et decipere*; quem significatum accommodatiorem Apostoli menti esse putem, quam eum, quem ELSNERVS tribuit, qui interpretatur *peruertere*, vt indicetur *peruersum iudicium arrogantis reuera hominis, sed modestiam praetendentis.* Sensus est: *Nemo vos insidiose et iniuste circumueniat et decipiat*, eius rei *cupidus*: ita enim θέλων interpretandum puto, vt indicet summum eorum

rum hominum ſtudium alios decipiendi: Habet enim θέλω, alii verbo iunctum, hanc vim, vt denotet, *cupidus ſum*; vide exquiſitiſſimae doctrinae Virum, IER. MARKLANDVM, in Coniectur. Lyſiacis c. XIX. p. 579.

Καὶ θρησκεία τῶν ἀγγέλων) Viri docti, inter quos ALDRICHIVS ad Ioſephum B. I. II, 8, 7. reſpici putant his verbis ad Eſſenos, de quibus Ioſephus l. c. inter caetera, haec: ὀμνῦσι - - ἀφέξεσθαι λῃστείας, καὶ συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα. *Iurant, ſe abſtenturos latrociniis, parique reuerentia ſeruaturos ſectae ſuae libros et angelorum nomina*: vbi ALDRICHIVS: *Difficile dictu eſt, cur Eſſeni Angelorum nomina cuſtodierint. An quod iis ad morborum remedia in carminibus ſuis vterentur? An quod Angelis cultum aliquem exhiberent, quem nempe damnat Apoſtolus in Col. II. 8.? Certe reliqua, quae ibidem damnantur, Eſſenorum ſunt, et Eſſenis conueniunt praeter caeteros.* Hic igitur, cum aliis Viris doctis, τὴν θρησκείαν τῶν ἀγγέλων interpretatur *cultum Angelis praeſtitum*. Sed hanc interpretationem linguae rationi aduerſari putat WOLFIVS, ὁ πάνυ. *Vocem θρησκεία*, inquit, *nunquam video adhiberi cum voce, v. c.* Θεοῦ *aut alia, quae* obiectum *inferat, in quod* cultus *tendat, ſed ſimpliciter de religioſo cultu, nunc quidem* vero, *nunc* ſuperſtitioſo, *ponitur*, idque probatum dediſſe addit SVICERVM et ELSNERVM. Sed humanitus errant Viri illi optimi, qui negant, voci θρησκείας addi Genitiuum, qui *Obiectum* inferat, in quod *cultus* tendat. Nam apud vnum Ioſephum, ne de aliis nunc dicam, ſexcenties fere θρησκεία τοῦ Θεοῦ, *cultus Dei* ſ. *Deo praeſtandus* occurrit. Ex innumerabilibus locis accipe haec: A. IV, 4, 1. περὶ τὴν τοῦ ΘΕΟΥ θρησκείαν ἐσπουδάκεισαν, *Dei cultui ſtuduerunt*. Eodem Lib. 8, 44. εὔχεσθαι τὰ κάλλιστα τοῖς περὶ τὴν τοῦ ΘΕΟΥ θρησκείαν καὶ τὴν τῶν νόμων φυλακὴν σπουδάζουσιν, *fauſtiſſima iis apprecari, qui cultui Dei et religioni ſtuderent.* V, 1, 25. οὗ (ΘΕΟΥ) τῆς θρησκείας ἐπιμελεῖσθαι καὶ πολιτείας δεῖ.

Cuius Dei cultui, et reipublicae formae conseruandae cura vobis adhibenda est. VIII, 8. 4. δελεασθὲν ὑπὸ τῦ ναῦ καὶ τῆς θρησκείας τῆς ἐν αὐτῷ τῦ ΘΕΟΥ, *populus, captus splendore templi, cultusque Dei in ipso.* Eodem Lib. 15, 2. σπυδάζειν περὶ τὴν θρησκείαν τῦ ΘΕΟΥ, *Dei cultui sedulam operam dare.* IX. 5, 1. οἱ πρῶτοι παρηνόμησαν εἰς τὰ πάτρια τῶν Ἑβραίων ἔθη, καὶ τὴν τῦ ΘΕΟΥ θρησκείαν· *Primi a patriis Hebraeorum moribus, Deique cultu discesserunt.* Alia loca consulto praetermitto, ne luxuriari videar. Nihil igitur ex linguae ratione, vt WOLFIVS putat, contra eos peti potest, qui θρησκείαν ἀγγέλων de *cultu Angelis exhibendo* exponunt. Nihilo tamen minus eorum interpretationem et ipse reiiciendam puto, cum ob alias rationes, a WOLFIO allatas, tum ob vocem additam, ταπεινοφροσύνην; quae vti *humilitatem affectatam, et ad alios, sanctitatis egregiae specie, decipiendos compositam* denotat, ita conueniens est, θρησκείαν τῶν ἀγγέλων interpretari *talem cultum et habitum, talem reuerentiam, quali Angeli ornati sunt.* Satis constat, saepe in literis sacris id cum Angelis conferri, quod vt praestans, praeclarum et excellens praedicatur. Quod ad locum Iosephi B. I.I, 8, 7. supra allatum, in quo ALDRICHIVS aliique sententiae suae praesidium inuenisse sibi visi sunt, attinet, is haud dubie corruptus, et cum HAVERCAMPO ita restituendus est, vt pro ἀγγέλων scribatur ἁγνειῶν, vt Esseni iure iurando obstrinxisse se dicantur, se profanis non prodituros esse ritus, et appellationes modorum, quibus lustrari et purificari solerent. Sic ipse eodem Cap. §. 5. τῆς ἁγνείας in eadem re mentionem fecerat Iosephus.

Ἐμβατεύων) Huius verbi, quod est τῶν πολυσήμων, omnium prima significatio, e qua, tanquam fonte, caeterae omnes deriuandae sunt, haud dubie haec est, qua denotat *ingredi.* Qua notione est apud Iosephum A. II, 12, 1. de pastoribus non audentibus montem Sinai accedere, ὐ τολμώντων ΕΜΒΑΤΕΥΕΙΝ εἰς αὐτὸ τῶν ποιμένων·

νων· *Cum pastores non auderent illum locum ingredi.* Sic LXX. Interpretes, Ios. 19,4. ἐπορεύθησαν ΕΜΒΑΤΕΥΣΑΙ τὴν γῆν, *profecti sunt, vt terram ingrederentur.* Neque vero hoc verbum, eam notionem obtinens, Praepositione εἰς solum, aut tertio C su gaudet (vt putat RAPHELIVS in Notis Xenophont. p. 271) Sed etiam Genitiuo, v. c. apud Sophoclem in Oed. Tyr. v. 845. ἐμβατεύειν πατρίδος, vbi recte Enarrator Graecus exponit ἐπιβαίνειν. Iam, cum non raro accidat, vt, qui aliquem locum ingressi sint, in eo sedes figant; factum est, vt ἐμβατεύειν denotet *inhabitare*: quo sensu est apud Euripidem in Heraclid. v. 875. aeque cum Genitiuo:

- - Κλήρους δ' ἐμβατεύσεσθε χθονός·

Et terram, quae vobis forte obuenit, inhabitabitis.

Inprimis autem dicitur de Diis, qui locum aliquem inhabitare dicuntur. Sophocles in Oed. Col. v. 671.

- - Ἵν' ὁ βακχειώτας αἰεὶ
Διόνυσος ΕΜΒΑΤΕΥΕΙ
Θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις.

Vbi Bacchus semper habitat inter diuinas nutrices.

De his verbi significationibus, praeter laudatos in hanc rem a WOLFIO, consulendi sunt ARNALDVS in Obseruatt. Criticis C. XXXIV. p. 209. DORVILLE in Vann. Critic. p. 52. P. WESSELINGIVS ad Hierocl. Synecdem. p. 641. et ABRESCH in Animaduers. ad Aeschylum, p. 205. sq. Per metaphoram autem ἐμβατεύειν τινὶ, *inhabitare alicui rei*, dicuntur, qui ei assiduam operam studiumque impendunt: quod faciunt ii, qui disciplinis percipiendis, accuratiusque perscrutandis operam dant. In quam rem egregius est Philonis locus, a nemine, quantum equidem sciam, in hanc rem laudatus, *de Plantat. Noë*, p. 225. Ὥσπερ ἔνιοι τῶν ἀνατεμνόντων τὰ φρέατα τὸ ζητούμενον ὕδωρ πολλάκις οὐχ εὗρον, οὕτως οἱ προσωτέρω χωροῦντες τῶν ἐπιστημῶν καὶ ἐπιπλέον ΕΜΒΑΤΕΥΟΝΤΕΣ αὐταῖς, ἀδυνατοῦσι τοῦ τέλους ἐπιψαῦσαι· *Quemadmodum quidam fossores puteorum quaesitam aquam non inueniunt: ita,* qui

qui vlterius progrediuntur in disciplinis, et diutius in iis percipiendis versantur, non possunt finem attingere : qui significatus huic Paullino loco apprime conueniens est, vbi ἐμβατεύων ἃ μὴ ἑώρακεν dicitur is, qui *perscrutari, et in ea penetrare, mentis acumine, audet, quae non vidit,* h. e. quorum cognoscendorum facultas humanae mentis imbecillitati a Deo non concessa est.

CAPVT III.

V. 9. *Ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον*) Hinc loquendi rationem SCHOETTGENIVS Hebraicam putat, et cum illa confert, חָלַשׁ דַּעֲתֵיה et חָלַשׁ לִבֵּיה, *exuit mentem suam, exuit cor suum :* quae nihil aliud indicat, quam plenam mentis, vitae, morumque mutationem. Neque tamen ita Hebraeis propria est, quin apud Graecos quoque inueniatur. Mihi quidem dubium non est, quin haec loquendi ratio ducta sit ab actoribus, qui, habitu mutato, vestibusque depositis, alias partes agunt, aliosque se esse produnt, quam qui in Scena esse videbantur. In quam rem egregius est Iosephi locus, A. VI, 12, 7. vbi eleganter differit de ingenii morumque mutatione illorum hominum, qui ex tenui sorte, conditioneque humili ad altioris fortunae fastigium euecti sunt. Μέχρις δ' ἂν μὲν εἰσιν ἰδιῶται τινες καὶ ταπεινοὶ, τῷ μὴ δύνασθαι χρῆσθαι τῇ φύσει μηδὲ τολμᾶν ὅσα θέλουσιν, ἐπιεικεῖς εἰσι καὶ μέτριοι, καὶ μόνον διώκουσι τὸ δίκαιον, καὶ πρὸς αὐτὸ τὴν πᾶσαν εὔνοιάν τε καὶ σπουδὴν ἔχουσι - - - ὅταν δὲ εἰς ἐξουσίαν παρέλθωσι καὶ δυναστείαν, τότε πάντ' ἐκεῖνα ΜΕΤΕΚΔΥΣΑΜΕΝΟΙ, καὶ ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆ προσωπεῖα, τὰ ἤθη καὶ τοὺς τρόπους ΑΠΟΘΕΜΕΝΟΙ, μεταλαμβάνουσι τόλμαν, ἀπόνοιαν, καταφρόνησιν ἀνθρωπίνων τε καὶ θείων. *Tantisper, dum homines priuatam vitam agunt, humilisque sunt fortunae, quia tum naturae obsequi nequeunt, nec, quod lubet, facere audent, boni sunt et moderati, ac, quod iustum est, unice persequuntur, et in id toto animo, omnique studio incum-*

cumbunt. - - Cum vero ad potentiam et imperium prouecti sunt, tunc, hisce omnibus EXVTIS, et institutis moribusque, tanquam in scena personis, DEPOSITIS, assumunt audaciam, insolentiam, et rerum humanarum, diuinarumque contemptum. Et dilucidius A. XIII, 7, 1. ostendit, hanc loquendi rationem ab Actoribus Scenicis esse petitam: Ἰδιώτης μὲν ὢν (ὁ Τρύφων) ἐθεράπευε τὸ πλῆθος, καὶ μετριότητα ΥΠΕΚΡΙΝΕΤΟ, δελεάζων αὐτὸ τούτοις εἰς ἅπερ ἐβούλετο· τὴν δὲ βασιλείαν λαβὼν, ΑΠΕΔΥΣΑΤΟ τὴν ΥΠΟΚΡΙΣΙΝ, καὶ ὁ ἀληθὴς Τρύφων ἦν· *Tryphon, dum priuatus erat, populo obsequebatur, et moderationem simulabat, his artibus eum pertrahens ad quaecunque volebat; quam primum vero regnum adeptus est, personam fictam exuit, et verum se gessit Tryphonem.* Igitur ἀπεκδύσασθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον est, *pristinae vitae rationem plane mutare et relinquere, graues cupiditates domare, omne vitiorum genus detestari, virtutem, vitaeque sanctitatem summo studio sectari; verbo, pessimam istam personam, quam ante gesseris, exuere et deponere.*

v. 15. Καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ βραβευέτω) Βραβεύειν proprie dicuntur, *qui certaminum arbitri et moderatores sunt:* in quam rem quaedam afferebamus supra ad Cap. II. 18. Inde vsurpatur de *quacunque gubernatione et directione.* Iuuat, huius notionis quaedam exempla ex Iosepho addere. A. IV, 3, 2. in precatione Mosis ad Deum: Παράστησον δὴ καὶ νῦν, ὅτι πάντα σῇ προνοίᾳ διοικεῖται, καὶ μηδὲν αὐτομάτως, ἀλλὰ κατὰ βούλησιν ΒΡΑΒΕΥΟΜΕΝΟΝ τὴν σὴν εἰς τέλος ἔρχεται. *Ostende, quaeso, et nunc, quod omnia tua prouidentia gubernes ac modereris, et nihil temere et sponte sua, sed tua voluntate gubernatum, ad finem perueniat:* vbi διοικεῖσθαι et βραβεύεσθαι vt synonyma iunguntur: et paullo post, ΒΡΑΒΕΥΩΝ ὁμόνοιαν καὶ εἰρήνην, σῶζε τὴν πλῆθυν ἑπομένην τοῖς σοῖς προστάγμασιν. *Concordiam pacemque dirige et firmam redde, et populum tuis praeceptis obsequentem serua.* A. VI, 3, 1. de Samuele, Αὐτὸς δὶς τοῦ ἔτους ἐπερχόμενος τὰς πόλεις, ἐδίκαζεν αὐ-

 τοῖς,

τοῖς, καὶ πολλὴν EBPABEYEN εὐνομίαν ἐπὶ χρόνον πολύν· *Ipse, bis anno obiens vrbes, ius illis dicebat, et multo tempore iudicia ex aequo dirigebat.* XIV, 9, 5. πολέμου ῥοπὰς BPABEYEI τὸ θεῖον, *Belli casus dirigit Deus*: B. I. I, 10, 9. λογιστέον εἴη καὶ πολέμου ῥοπὰς BPABEYEΣΘAI τῷ Θεῷ· *Reputandum sit, Deum dirigere belli casus.* Et sic multis locis aliis: Sensus igitur huius loci Paullini est: *Pax Dei imperet in cordibus vestris,* s. *dirigat et moderetur corda vestra.* Qui τὸ βραβεύειν h. l. per *reconciliare* exponi volunt, ii videant, vt eum significatum auctoritate scriptorum Graecorum confirment.

Καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε) Subscribo WOLFII, aliorumque sententiae, qui εὐχαρίστους hic non interpretantur *homines grati animi, gratiarumque agendarum studiosos*, sed *homines liberales, et de aliis, siue munificentia, siue alio quocunque modo, bene merendi cupidos.* Qua notione haec Vox est apud Iosephum, WOLFIO iam in hanc rem laudatum, A. XVI. 6, 2. in Decreto Augusti pro Iudaeis: Ἐπειδὴ τὸ ἔθνος τὸ τῶν Ἰουδαίων EYXAPIΣTON εὑρέθη, *Quoniam populus Iudaicus LIBERALIS inuentus est.*

* *

PRIOR

EPISTOLA

AD

THESSALONICENSES.

CAPVT II.

V. 7.

Ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα) Θάλπειν proprie est *calefacere*: qua notione prima occurrit apud Iosephum Lib. VII. Antiquitatt. C. XIV. §. 3. de Dauide, cui, prae senio frigescen-

centi et algenti, Medici consilii dederunt id, vt virginem forma praestantissima, in tota regione conquisitam, vna secum dormire iuberet: τῦτο γάρ αὐτῷ πρὸς τὸ ῥῖγος ἔσεσθαι βοήθημα, ΘΑΛΠΟΥΣΗΣ αὐτὸν τῆς κόρης· *Id enim auxilium contra frigus fore, calefaciente cum puella.* Vnde eleganter ad omnem nutriendi, fouendi, educandique curam transfertur, quam matres, aut nutrices infantibus adhibent; quo sensu hic capiendum est. Neque minus eleganter apud eundem Iosephum Lib. IV. de B. I. Cap. III. §. 14. ΘΑΛΠΟΜΕΝΟΙ ἐλπίδι dicuntur, *qui spe aluntur et sustentantur.*

CAPVT IV.

V. 6. Τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν) Variae sunt virorum doctorum interpretationes τῦ πλεονεκτεῖν, quae linguae rationi non satis conueniunt. Ego πλεονεκτεῖν h. l. interpretor *iniuste agere*, *iniuria alterum afficere*: qua notione ea Vox apud Iosephum est A. II, 11, 2. de Mose, qui virginibus, aquam hausturis, pastorum autem vi et iniuria repulsis, opem tulit: Ἐπιςάντων δὲ ποιμένων καὶ ἀπελαυνόντων τὰς παρθένυς, ὡς αὐτοὶ τῦ ὕδατος κρατεῖν, Μωϋσῆς, δεινὸν ἡγησάμενος εἶναι περιϊδεῖν ἀδικυμένας τὰς κόρας, καὶ τὴν ΒΙΑΝ τὴν τῶν ἀνδρῶν ἐᾶσαι κρείττονα γενέσθαι τῦ τῶν παρθένων δικαίυ, τὺς μὲν εἶρξεν ΠΛΕΟΝΕΚΤΕΙΝ ἐθέλοντας, ταῖς δὲ παρέσχε τὴν δέυσαν βοήθειαν. *Pastoribus autem aliquanto post superuenientibus et virgines depellentibus, vt aquam sibimet haberent: Moses, rem indignam ratus, virgines non respicere iniuriam passas, et pati, vim virorum plus valere, quam ius foeminarum, illis quidem obstitit inique agere volentibus, iis vero, vt par erat, auxilium tulit.* Hic πλεονεκτεῖν positum esse pro *iniuste agere*, *iniuria afficere*, clarum est; vnde πλεονεξία pro ipsa *iniuria et iniustitia*, A. III. 4, 1. de iis, qui causam suam, Mose iudice sedente, disceptarant: Κατὰ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΝ, ὑ κατὰ ΠΛΕΟΝΕΞΙΑΝ, αὐτὸ πάσχειν νομίζυσιν.

σιν. Se istud pati ex IVRE, non aliqua INIVSTITIA. Plura de hoc Verbo afferebamus supra ad 1. Corinth. v. 10.

CAPVT V.

V. 12. *Προϊϛαμένυς ὑμῶν ἐν κυρίῳ*) Nescio, quare CHISHVLL, Vir Doctiss. in Notis ad Psephisma Sigeorum p. 107. huius Verbi constructionem cum Genitiuo *raram* dicat; quae non solum in Epistolis Paulli, sed apud alios scriptores Graecos saepissime inueniatur. Apud Iosephum A. IV, 2. 4. ΠΡΟΕΣΤΑΝΑΙ *τῆς εὐσεβείας, rebus diuinis praeesse.* A. V, 1, 24. *τῶν τὴν ἡγεμονίαν παραλαβόντων ἀμελῶς* ΠΡΟΣΤΑΝΤΩΝ *τῷ κοινῇ συμφέροντος· Cum ii, qui imperium acceperant, paullo negligentius bono publico consulerent.* Add. VII, 14, 5. et VIII, 12, 3.

v. 23. *Καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα*) De voce *ὁλοκλήρυ* diximus supra ad Actor. III. 16. quae si consulueris, intelliges, *ὁλόκληρον* esse, *quod omnibus numeris absolutum perfectumque est*; vt adeo *Spiritus perfectus* dicatur, in quantum scilicet illa perfectio in hominem Christianum cadere potest. Caeterum a Viris doctis iam dudum demonstratum est, grauiter falli eos, qui hic tres essentiales hominis partes ab Apostolo indicari statuant. Nam *πνεῦμα* et *ψυχὴ* vnam tantum essentialem hominis partem constituunt: quomodo autem *πνεῦμα* et *ψυχὴ* a se discernenda sint, id vero Viros doctos in varias, easque discrepantes, sententias distraxit: quas WOLFIVS, *ὁ πάνυ*, more suo, diligentissime recensuit. Mihi quidem, si post tantos Viros sententiam meam proponere licet, *πνεῦμα* a *τῇ ψυχῇ* ita differre videtur, vt *πνεῦμα* sit ANIMVS (s. vt vulgo, ANIMA) *in quantum facultate intelligendi, cognoscendi, comprehendendi cogitandique ornatus est: ψυχὴ* autem ANIMVS, *in quantum motibus, affectibus, voluntate, desiderio, cupiditatibusque instructus est:* vt adeo his duobus Vocibus non duae hominis partes essentiales, sed tantum duae diuersae ANIMI facultates indicentur, quarum

rum illa propria est hominum, haec autem hominibus cum brutis animantibus communis. Scilicet graece doctis satis constat, ψυχὴν Graecis saepe id dici, quod homines cum brutis animantibus commune habeant, hisque adeo non raro ψυχὴν tribui. Facit huc locus insignis Iosephi, A.I, 1. 2. Ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς λαβών· καὶ ΠΝΕΥΜΑ ἐνῆκεν αὐτῷ, καὶ ΨΥΧΗΝ. *Finxit Deus hominem, accepto ex terra limo, immisitque in eum spiritum et animam:* vbi πνεῦμα diserte distinguitur a τῇ ψυχῇ, vbi per πνεῦμα non solum *animam quandam, qua homo, vt animal, viuit*, intelligendam esse putem, sed etiam, idque inprimis, *animum intelligendi, cognoscendi, cogitandique facultate praeditum*: per ψυχὴν autem *illas animi facultates, affectus, puta, cupiditatesque*, cum brutis animantibus communes hominibus. Quoniam autem cum brutis animantibus cupiditates etiam communes habemus, factum est, vt, quemadmodum Ebraicum נֶפֶשׁ, ita ψυχή, pro *cupiditate* saepe in sacris literis ponatur. Sic Iesaiae C. LVI. 11. הַכְּלָבִים עַזֵּי־נֶפֶשׁ *canes robusti anima*, h. e. cupiditate insatiabili; vbi LXX. Seniores τῇ ψυχῇ. Cap. LVIII. 10. נֶפֶשׁ נַעֲנָה תַּשְׂבִּיעַ *Animam debilitatam*, h. e. insatiabilem cupiditatem, *saties*. Quod LXX. Seniores ad verbum, ψυχὴν τεταπεινωμένην ἐμπλήσῃς. Vnde apud Ecclesiasticum Cap. V. v. 2. Μὴ ἐξακολούθει τῇ ψυχῇ, *Ne obsequare cupiditatibus:* quod ipse mox explicat per πορεύεσθαι ἐν ἐπιθυμίαις καρδίας σου: et apud eundem Cap. XVIII. v. 34. τῇ ψυχῇ cupiditates tribuuntur. Ἐγκράτεια ΨΥΧΗΣ: ὀπίσω τῶν ἐπιθυμιῶν σου μὴ πορεύου, καὶ ἀπὸ τῶν ὀρέξεών σου κωλύου. v. 35. Ἐὰν χορηγήσῃς τῇ ΨΥΧΗι σου εὐδοκίαν ἐπιθυμίας, ποιήσει σε ἐπίχαρμα τῶν ἐχθρῶν σου. Sensus igitur huius precationis Apostoli, mea quidem sententia, hic erit: *vt omnis intellectus noster et cogitatio, omnis nostra voluntas et cupiditas, omnis denique omnium membrorum nostrorum vsus, purus, nullaque peccatorum vitiorumque labe contaminatus seruetur vsque ad diem Domini.* Ceterum huius

ius sententiae magnum illum IOAN. COCCEIVM habeo ὁμόψηφον. Nam in Lexico Hebraico, praestantissimo illo literaturae Ebraicae Prytaneo, p. 522. de hac re ita: *Hoc precatur Apostolus, vt cogitatio omnis nostra, et voluntas et membrorum vsus sit absque labe et reprehensione in diem Domini, atque ita vera vita nobis constet.*

* *

POSTERIOR EPISTOLA AD THESSALONICENSES.

CAPVT II.

V. 7.

Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας) *Mysterium iniquitatis*, hoc est, *occulta quaedam iniquitas, alta, profunda, et omnibus numeris absoluta.* Nam haec est huius locutionis vis, vt dudum docuit magnus ille CASAVBONVS contra BARONIVM Exercitat. XVI §. 43. Simillima est loquendi ratio de Antipatro, Herodis filio, omnium bipedum nequissimo, de B. I. I, 24, I. τὸν Ἀντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν κακίας ΜΥΣΤΗΡΙΟΝ, *Non erret, si quis Antipatri vitam extremam malitiam appellauerit.* Aliud in hanc rem exemplum affert ex Dionysio Halicarn. CASAVBONVS l. c.

EPISTO-

* *

PRIOR EPISTOLA AD TIMOTHEVM.

CAPVT I.

V. 4.

Μηδὲ προσέχειν μύθοις) Προσέχειν hic non est *animum attendere*, sed *fidem adhibere*, *assensumque praebere*: quam huius Verbi notionem multis Iosephi locis confirmabamus supra ad Actor. VIII. 6.

v. 10. Πατραλώαις καὶ μητραλώαις) Siue πατραλώαις legeris, siue, vt in quibusdam Editt. est, πατραλοίαις, manum haud verterim. Interim πατραλοίαις origini vocis magis conuenit, cum ducatur a τῷ ἀλλοιᾶν, quod denotat *verberare*, *caedere*. Vid. ALBERTIVS in Obseruatt. Sacr. p. 393. Iosephus habet πατραλοίας Ant. XVI, 11, 1.

v. 15. Πιστὸς λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος) Errat BEZA, qui hunc τῆς ἀποδοχῆς significatum ab idiomate Ebraico לקח repetendum putat, cum eum obtineat apud optimum quemque graecum scriptorem. Iosephus A. VI, 14, 4. δίκαιοι μὲν εἰσι κἀκεῖνοι τυγχάνειν ΑΠΟΔΟΧΗΣ· *His quoque sua debetur LAVS et VENERATIO.* Pro eo est, sensu eodem, ὑποδοχὴ, quamquam ibi quidam Codd. ἀποδοχή. Hunc significatum accepit a Verbo ἀποδέχομαι, quod, praeter vulgarem significationem, denotat *laudare*, *magnifacere*, *venerari*: exempla huius notionis ex Iosepho bene multa afferebamus supra ad Actor. XXIV. 1. vnde interdum ἐπαινεῖν et ἀποδέχεσθαι, vt synonyma, iunguntur apud eundem, v. c. A. VII, 1, 2. ἔπεμψε πρὸς αὐτὰς, ΕΠΑΙΝΩΝ καὶ ΑΠΟ-

ΑΠΟΔΕΧΟΜΕΝΟΣ *αὐτῶν τὸ ἔργον. Misit ad eos, qui facinus eorum praeclarum laudarent, verbisque praedicarent.* Et sic τιμὴ et ἀποδοχὴ vt synonyma iunguntur apud Philon. *de Decalogo* p. 739. Est ergo λόγος πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, *sermo omni approbatione, laude, veneratione, praedicationeque dignus.*

CAPVT II.

V. 2. Πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων) *Omnibus, qui in excelso aliquo dignitatis, potestatisque fastigio constituti sunt.* Vnde apud Iosephum A. VI, 4, 3. αἱ ὑπεροχαὶ sunt *ipsi homines in tali dignitate collocati:* πρὸς τὰς ΥΠΕΡΟΧΑΣ κακοήθεις τυγχάνουσιν ἤδη καὶ βάσκανοι. *Eminentiores malivolentia et inuidia persequuntur.* Caeterum, Iudaeos, modestiores et religiosiores, pro externis Regibus preces olim suscepisse, testatur Iosephus variis locis: quae allaturi hic eramus, nisi IO. BAPT. OTTIVS *in spicilegio ex Fl. Iosepho ad N. T. p. 432. sqq.* ea iam fideliter laudasset.

v. 9. Ἐν καταστολῇ κοσμίῳ) Non hic audiendus est SALMASIVS, qui καταστολὴν κόσμιον interpretatur *animi demissionem et deiectionem, quae modestiam et humilitatem prae se ferat.* Est hic significatus toti Graeciae inauditus. Melius igitur, et loquendi vsui conuenientius interpreteris, *vestitus honestus et decens, a luxu et mollitie alienus.* Sic καταστολὴ saepissime apud Graecos de vestitu. Iosephus B. I. II, 8, 4. de Essenorum cultu: ΚΑΤΑΣΤΟΛΗ καὶ σχῆμα σώματος ὅμοιον τοῖς μετὰ φόβου παιδαγωγουμένοις παισίν· *Amictus, cultusque corporis est talis, qualis puerorum esse solet, in metu et sub cura magistrorum agentium.*

v. 13. Ἀδὰμ γὰρ πρῶτος ἐπλάσθη) Eodem Verbo vtitur Iosephus de primi hominis creatione, A. I, 1, 1. τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ τὸν ἄνθρωπον ΕΠΛΑΣΕ, *sexto die hominem formauit.*

CAPVT

CAPVT III.

V. 2. Ἀνεπίληπτον) Haec Vox elegantiſſima eſt, et denotat *hominem*, *cuius vita tam integra*, *tam ſancta eſt*, *vt calumniandi cupidis omnem criminandi occaſionem praeſcindat*, *in quo adeo vel infenſiſſimi non inueniant*, *quod aliqua veri ſpecie reprehendere et accuſare poſſint*. Neque dubium mihi eſt, quin haec vox ex palaeſtra ſit petita. Nam pugiles interdum alteram corporis partem nec caeſtibus, nec clipeo, nec aliis, quibus pugnabant, armis munitam aduerſario obiiciebant, eo conſilio, vt, cum aduerſarius inferret ictum, declinato corpore, eius ictum eluderent, maiorique impetu in aduerſarium irruerent: hoc Latinis *latus dare*, et *auocare arma* dicebatur: de qua re fuſe diſputat SALMASIVS ad Hiſtoriam Auguſtam T. I. p. 213. *Edit. Hakianae.* Illa autem eludendi aduerſarium ars Graecis dicitur σέφισμα, item φιλοσοφία, vt docet πολυμαθέςατος ille FABER in Agoniſtic. Lib. 15. Pugiles autem vna tantum corporis parte tecti, altera non ſatis muniti, θατέρᾳ (ſc. μερίδι) ληπτοὶ, *vna corporis parte captu faciles*, *et ictui excipiendo expoſiti* dicebantur. Quo eleganter alluſit Euſebius Demonſtr. a Lib. IV. C. 9. vbi loquitur de Diabolo: Δεινὰ δὲ κατὰ τῶν ἐθνῶν ἀπειλήσας, θατέρᾳ ληπτὺς τοῖς προβολίοις (ita recte emendat CVPERVS Obſ. II, 2. pro προβυλίοις) ἀνθρώπυς εὕρατο, πρόχειρον καὶ ἐξ οἰκείας γνώμης τὴν ἐπὶ τὸ κακὸν ἔμπτωσιν δι' αὐτεξύσιον προαίρεσιν κεκτημένυς· *Qui cum grauia omnibus gentibus minatus eſſet*, *altera parte captu faciles ſuis venabulis homines reperit*, *quippe qui facilem et ex ſua ipſorum ſententia lapſum ad malum propter libertatem arbitrii poſſiderent.* Inde ductus ſignificatus paullo rarior vocis εὐλαβὴς apud Lucian. in Timon. p. 114. Ed. GRAEVII, pro eo, *qui facile capi poteſt.* Contra οὐδετέρᾳ ληπτὸς dicitur *ab vtraque parte corporis ſatis munitus*, *neque adeo aduerſarii petitionibus expoſitus*, et tranſlate, *homo tam prudens*, *et in rebus agendis tam cautus*, *vt non facile circumveniri decipique*

po-

possit. Sic Samson apud Iosephum A. V, 8, 11. dicitur ἄληπτος τοῖς ἐχθροῖς, *qui non capi poterat ab hostibus.* Ex hac igitur locutione palaestrica harum vocum, ληπτὸς, ἄληπτος, εὔληπτος, ἀνεπίληπτος, significationes petendae sunt. Quemadmodum autem ἀνεπίληπτος est *homo integerrimae sanctissimaeque vitae, in qua nihil, quod criminentur, inuenire possunt inimici*: sic contra ea ἐπίληπτος est *scelestus*, apud Philonem Lib. II. *Allegoriar.* p. 73. vbi ἐπίληπτος et μιαρὸς vt synonyma iunguntur: Contra ea ἀνεπίληπτος, *laudabilis, praestans, eximius* saepe apud eundem. Sic *de Mundi* Opific. p. 33. de primorum hominum sancta viuendi ratione: Ἐν εὐπαθείαις δὲ ταῖς ἐν εἰρήνῃ ἀπολέμως ζῶν ΑΝΕΠΙΛΗΠΤΟΣ, *pacate viuebat in iucunditatibus innocens. De Confus. Linguar.* p. 350. Οὗτοι δὲ εἰσὶν ἀνδρῶν οἱ ΑΝΕΠΙΛΗΠΤΩΣ καὶ καλῶς βιώσαντες, *Hi sunt viri, qui sancte honesteque vixerunt.* Apud eundem de Mundi Opif. p. 14. ἀνεπίληπτος τέχνη, et p. 16. ἀνεπίληπτοι βουλαί. Sic apud Lucian. *in Reuiuiscent.* p. 394. καθαρὸς et ἀνεπίληπτος vt synonyma iunguntur pro *homine vitae sanctae, et ab omni criminum suspicione libero.* Haec pluribus disserere placuit, cum animaduerterim, viros doctos non satis accurate primam huius vocis significationem constituisse.

v. 3. Μὴ πάροινον) Arbitror, *ebrietatis* notionem hic retinendam esse, ita tamen, vt ad huius vitii effectus, quales *petulantia* inprimis et *iniuria* sunt, simul respiciatur. Scilicet παροινεῖν, vnde πάροινος, proprie est *nimis cibo potuique indulgere, luxuriosеque adeo et lasciue viuere.* Hac notione est apud Iosephum A. IV, 6, 10. vbi Moses Hebraeorum lasciuiam et petulantiam, inter caetera, ita reprehendit: Οὐκ εὔλογον ἔφασκε, σωφρονήσαντας αὐτοὺς ἐπὶ τῆς ἐρήμου, νῦν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ὄντας ΠΑΡΟΙΝΕΙΝ, *absurdum esse dicebat, quod, cum in deserto modeste vixissent, nunc in omnium bonorum affluentia petulantes sese lasciuosque gererent*: vbi παροινεῖν τῷ σωφρονεῖν opponitur. Inde παροινεῖν pro ὑβρίζειν, *insolenter se gerere, aliosque iniuria*

ria afficere, quod vitium ebrietatem ſequi ſolet. Vnde *παροινία* idem quod *ὕβρις*, *inſolentia*, *iniuria*. Sic apud Ioſephum A. XVII, 10, 2. ὀργῇ φέροντες τὴν ΠΑΡΟΙΝΙΑΝ τῆς Σαβίνου ὕβρεως, *indigne ferebant inſolentiam contumeliae Sabini*. Ibid. II, 2. παρθένων μέντοι φθορὰς, καὶ γυναικῶν αἰσχύνας, ὁπόσας ἐπὶ ΠΑΡΟΙΝΙΑι καὶ ἀπανθρωπίᾳ δρωμένας, σιγῶ· *Caeterum virginum matronarumque corruptelas et pudicitiam ſumma cum petulantia et immanitate attentatam ſilere neceſſe habemus.* Et A. XIX, 3, 3. παροινία τῆς πατρίδος, eſt *iniuria illata patriae*. Quae reſpexit Heſychius, παροινία, inquiens, ἡ ἐκ τοῦ οἴνου ὕβρις καὶ ὁιαδήποτε ἁμαρτία. Παροινία *eſt iniuria ex ebrietate orta, aut aliud quodcunque vitium*. Eadem ratio eſt τοῦ ἐμπαροινεῖν, quod proprie denotat *intemperanter indulgere cibo ac potui, atque inde laſciuire :* qua notione capiendum eſt apud Lucianum in Timone p. 88. vt recte docuit IENSIVS in Lect. Lucianeis Lib. I. c. V. p. 40. Deinde autem vſurpatum eſt pro *inſolentius ſe gerere :* quo ſenſu eſt apud Ioſephum A. VI, 12, 7. de mutatione morum in peius illorum, qui ex humili conditione ad potentiam imperiumque euecti ſunt: ΕΜΠΑΡΟΙΝΟΥΣΙ τοῖς πράγμασι, *In omnibus rebus inſolenter ſe gerunt*. Eleganter eodem verbo vtitur, XX, 8, 3. de Scriptoribus Romanis, qui de Imperatoris Neronis vita expoſuerunt, οἱ δὲ, διὰ μῖσος καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀπέχθειαν, οὕτως ἀναιδῶς ΕΝΕΠΑΡΟΙΝΗΣΑΝ τοῖς ψεύσμασιν, *alii vero, ex odio et inimicitiis cum eo ſuſceptis, adeo inuerecunde debacchati in eum ſunt mendaciis :* nec minus eleganter XVII, 5, 7. de Antipatro Deum teſtem innocentiae ſuae falſo et impie inuocante, ΕΝΕΠΑΡΟΙΝΕΙ τῇ ἀρετῇ τοῦ θείου, μαρτυρίαν ἐπισκήπτων αὐτῷ, *Dei maieſtate petulanter abuſus eſt, eum teſtem inuocans.* Sic μέθυσος et πάροινος interdum iunguntur, v. c. apud Lucian. in Timon. p. 161. ita vt illud *ebrium*, hoc *petulantem ex ebrietate* denotet. Cf. CASAVBONVS, ὁ πάνυ, ad Athenaeum Lib. X. c. XII. pag. 738.

Z v. 6.

v. 6. Ἵνα μὴ τυφωθεὶς) τυφοῦσθαι est *vano stolido que fastu laborare*. Iosephus c. Apion. I, 3. Πῶς οὖν οὐκ ἄλογον ΤΕΤΥΦΩΣΘΑΙ τοὺς Ἕλληνας ὡς μόνους ἐπισταμένους τὰ ἀρχαῖα, *Quis igitur non videat, Graecos vano stolidoque fastu laborare, quasi soli rerum antiquarum cognitionem teneant.* Recte igitur Theodoretus, qui τυφωθεὶς h. l. interpretatur τῆς ἀλαζονείας τὸ πάθος δεξάμενος, et Theophylactus, qui reddit φυσιούμενος.

v. 8. Μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας) Significatus vocis προσέχειν h. l. paullo inusitatior videtur, nec vidi, ab vllo exempla eiusdem significationis esse allata. Apud Iosephum autem obseruaui, προσανέχειν simili fere sensu occurrere, A. II, 7, 5. vbi Iosephus, a Rege Pharaone interrogatus, quanam viuendi ratione fratres ipsius vterentur, respondet, ποιμένας αὐτοὺς ἀγαθοὺς, καὶ μηδενὶ ἄλλων ἢ τούτῳ μόνῳ ΠΡΟΣΑΝΕΧΕΙΝ, *eos esse optimos pastores, et nullo alio, quam hoc, vitae instituto vti:* vbi προσανέχειν τινι est, *alicui rei deditum esse, atque ea delectari:* nam quod hic προσανέχειν dixit, id paullo ante expressit per οἴνῳ τέρπεσθαι. XIV, 9, 1. τοῖς κέρδεσι ΠΡΟΣΑΝΕΧΕΙΝ, *studio lucri faciendi duci.* Sic fere XVI, 3, 2. ταῖς ἐλπίσιν ΕΠΑΝΕΧΕΙΝ, *spe lactari et duci.* Sed, vt ingenue fatear, nec haec loca huic nostro satis conueniunt.

v. 16. Καὶ ὁμολογουμένως) Hanc vocem non quodammodo propriam esse Stoicorum, vt ALEX. MORO visum, sed optimo cuiqué auctori vsurpatam, iam monuit ad h. l. praestantissimus WOLFIVS. Exemplis, ab aliis in hanc rem allatis, addamus haec pauca ex Iosepho, A. I, 10, 2. Μελχισεδέκης σημαίνει βασιλεὺς δίκαιος· καὶ ἦν δὲ τοιοῦτος ΟΜΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΣ, *Melchisedec idem est ac rex iustus, et erat vtique omnium consensu et confessione talis.* II, 9, 6. de Mose: Ἦν ΟΜΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΣ κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόῤῥησιν - - Ἑβραίων ἄριστος. *Erat sine controuersia, prout Deus praedixerat - - inter Ebraeos praestantissimus.* Lib. V, 8, 2. Μανώχης τις, Δανιτῶν ἐν ὀλίγοις

ὀλίγοις ἄριςος καὶ τῆς πατρίδος ΟΜΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΣ πρῶτος. *Manoches quidam, Danitarum inter paucos optimus, et patriae suae sine controuersia princeps.* Sed haec ὅσα κόνις.

Caput IV.

V. 5. Ἁγιάζεται διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως) Huius sententiae fuerunt et Esseni, qui et ante et post cibum, Deum, vt largitorem victus, precibus adibant. Iosephus B. I. II, 8, 5. Προκατεύχεται ὁ ἱερεὺς τῆς τροφῆς, καὶ γεύσασθαι τινα πρὸ τῆς εὐχῆς ἀθέμιτον· ἀριςοποιησάμενος ἐπεύχεται πάλιν· ἀρχόμενοί τε καὶ παυόμενοι γεραίρουσι τὸν Θεὸν, ὡς χορηγὸν τῆς τροφῆς. *Sacerdos, antequam cibum capiant, preces adhibet, nec ulli ante precationem quicquam gustare fas est. Idem finito prandio iterum precatur, et cum edere incipiunt et desinunt, Deum venerantur, vt qui omnia ad victum largiatur.*

v. 6. Ταῦτα ὑποτιθέμενος) Qui reddunt, *in memoriam reuocans*, nimis dilute eam vocem interpretantur. Ὑποτίθεσθαι Graecis eleganter vsurpatur pro *instituere, docere*. Iosephus A. I, 1, 4. ὁ Θεὸς τὸν ὄφιν πολέμιον ἀποδείξας ἀνθρώποις, καὶ ΥΠΟΘΕΜΕΝΟΣ κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγάς. *Deus serpentem hostem hominum declarauit, eosque docuit, plagis ipsius caput impetere.* ibid. 3, 2. Νῶεος σώζεται μόνος, ΥΠΟΘΕΜΕΝΟΥ μηχανὴν αὐτῷ καὶ πόρον πρὸς σωτηρίαν τοῦ Θεοῦ τοιαύτην. *Noëus solus est seruatus, Deo ipsum huiusmodi fabricam et viam docente.* III, 5, 8. τὸν τρόπον, καθ᾽ ὃν εὐδαιμονήσουσι πολιτευόμενοι, λέγων αὐτῷ ΥΠΟΘΕΣΘΑΙ, *dicebat Moses, a Deo edoctum se esse, quomodo Hebraei bene beateque viuere possent.* VI, 6, 2. vbi Samuelus ad Saulum: εἰ δίκαιος ἦσθα, καὶ μὴ παρήκουσας ἐμοῦ, μήδ᾽ ὧν ΥΠΕΘΕΤΟ μοι περὶ τῶν παρόντων ὁ Θεὸς ὠλιγώρησας, *Si iustus fuisses, et mihi paruisses, neque ea, quae de praesentibus me docuit Deus, contempsisses.* Apud eundem XII, 2, 1.

ὑποτίθεσθαι est *consilium dare*: δόξας ὁ βασιλεὺς ἄριστα τὸν Δημήτριον φιλοτιμούμενον περὶ τὸ πλῆθος αὐτῷ τῶν βιβλίων ΥΠΟΤΙΘΕΣΘΑΙ. *Rex putabat, Demetrium, pro suo libros colligendi studio, optimum consilium sibi dare:* vnde ὑποθῆκαι *consilia*, apud eundem A. III, 4, 1. et in vita Iosephi §. 56. Denique ὑποτίθεσθαι est *praescribere, percipere*. Hoc sensu est B. I. II, 8, 7. de Essenis; τῷ ζηλοῦντι τὴν αἵρεσιν αὐτῶν -- τὴν αὐτὴν ΥΠΟΤΙΘΕΝΤΑΙ δίαιταν. *Qui huic sectae adscribi vult, - - ei eandem vitae rationem praescribunt:* vnde ὑποθῆκαι *praecepta*: v. c. A. V, 6, 3. VIII, 4, 6. Primus et vltimus huius verbi significatus huic Paullino loco conuenit.

CAPVT V.

V. 21. Καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων) Iudaeis haud inusitatum fuisse, obtestari Angelos, intelligitur ex illa obtestatione, qua vtitur Agrippa in allocutione ad Iudaeos, apud Iosephum B. I. II, 16, 4. Μαρτύρομαι δ' ἐγὼ μὲν ὑμῶν τὰ ἅγια, καὶ τοὺς ΙΕΡΟΥΣ ΑΓΓΕΛΟΥΣ τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρίδα τὴν κοινήν. *Ego quidem testor Sacra vestra, sanctosque Angelos Dei, patriamque communem.* IO. BAPTISTA OTTIVS, in Libro saepius laudato, suspicatur, hanc obtestationem Iosephum ab Apostolo hausisse; sed id minus verosimile mihi videtur.

v. 21. Μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν) Quidam Codd. Editt. vna cum Patribus quibusdam apud MILLIVM et BENGELIVM legunt πρόσκλησιν: quam lectionem, mirum sane, MILLIVM in Prolegom. §. 749. receptae praeferre, et *factionem* interpretari potuisse; qui significatus toti, credo, Graeciae est inauditus: MILLII certe fuisset, vel vnum exemplum boni Scriptoris afferre, cuius auctoritate significatum tam insolentem quodammodo probaret: quod non fecit; nec quemquam alium vnquam facturum esse, mihi persuaserim. Scilicet altera illa lectio πρόσκλησις nonnisi quaedam corruptela est vocis πρόσκλισις,

a

a librariorum siue ignorantia, siue oscitantia profecta. Ii, qui in his rebus paullo diligentius sunt versati, ignorare non possunt, saepe factum esse, vt lectio paullo exquisitior, et a cognitione semidoctorum remotior, loco suo detruderetur, et cum alia, quae magis erat publici saporis, permutaretur. Et hanc ipsam confusionem in vocibus πρόσκλισις et πρόσκλησις esse factam, et hanc in illius locum substitutam, dudum docuerunt Viri in hoc litterarum genere Principes, CASAVBONVS ad Diogenem Laert. Lib. I. 20. et HEMSTERHVSIVS ad Aristophanis Plut. v. 1027. Quod si cogitemus, non est, quod miremur, eandem confusionem et varietatem lectionis in hoc Apostoli loco inueniri. Est autem omnino genuina lectio, quippe quam ipsius orationis Paullinae ratio exigit, πρόσκλισις, quae denotat *voluntatem propensam et beneuolam*, et saepe etiam *partium studium*. Descendit ea vox a verbo προσκλίνειν s. προσκλίνεσθαι (vtrumque enim promiscue veteres adhibuisse, multis exemplis docet l. c. Eruditissimus HEMSTERHVSIVS) quod est *inclinata voluntate sese applicare*. Praeterea lectionem πρόσκλισιν confirmat egregie *Clemens Romanus*, qui, haud dubie ad hunc Apostoli locum respiciens, in priore ad Corinth. Epistola c. XLVII. p. 188. ita scribit: Ἀναλάβετε τὴν Ἐπισολὴν τȣ͂ μακαρίȣ Παύλȣ τȣ͂ Ἀποσόλȣ· τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῆ τȣ͂ ευαγγελίȣ ἔγραψεν; ἐπ᾽ ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέσειλεν ὑμῖν, περὶ αὐτȣ͂ τε, καὶ Κηφᾶ τε, καὶ Ἀπολλῶ, διὰ τὸ καὶ τότε ΠΡΟΣΚΛΙΣΕΙΣ ὑμᾶς πεποιῆσθαι· ἀλλ᾽ ἡ ΠΡΟΣΚΛΙΣΙΣ ἡ ἐκείνη ἧττον ἁμαρτίαν ὑμῖν προσήνεγκεν· ΠΡΟΣΕΚΛΙΘΗΤΕ γὰρ Ἀποσόλοις μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ᾽ αὐτοῖς· *Epistolam Paulli beati in manus sumite: quid primum vobis in initio Euangelii scripsit? certe diuinitus inspiratus de se ipso, de Cepha, et Apollo per Epistolam vos monuit, quia etiam tum inter vos FACTIONES et PARTIVM STVDIA fuerunt: verum in illa ANIMORVM INCLINATIONE minus a vobis peccatum est: in Apostolos*

postolos enim praeclaro testimonio celebres, et virum ab illis probatum, ANIMIS ET AFFECTV PROPENDEBATIS. Vid. ad h. l. IOHAN. BOISIVS. Apud eundem in eadem Epist. c. XXI. p. 110. τὴν ἀγάπην αὐτῶν μὴ ΚΑΤΑ ΠΡΟΣΚΛΙΣΕΙΣ, ἀλλὰ πᾶσι τοῖς φοβουμένοις τὸν Θεὸν ὁσίως ἴσην παρεχέτωσαν, *caritatem suam, sine VLLA ANIMI IN ALTERAM PARTEM PROPENSIONE, omnibus Deum sancte timentibus parem exhibeant.* Vid. ad h. l. I. B. COTELERIVS. Sed, quando Iosepho cum maxime vtimur ad N. T. illustrationem; age, vel vnum locum ex eo ad genuinam Apostoli lectionem vindicandam afferemus. A. XIX, 3, 3. igitur, de animi propensione et studio militum, Claudium ad Imperatoriam dignitatem evehendi: ταῦτα πρός τε ἀλλήλους, καὶ δι' ἑαυτοὺς διεξήεσαν, καὶ τοῖς ἀεὶ προσπίπτουσι διηρῶντο· οἱ δὲ πυνθανόμενοι προθύμως ἐδέχοντο τὴν ΠΡΟΣΚΛΙΣΙΝ· *Ita et inter se et soli differebant, eademque ad obuios quosque proferebant: qui, cum ista audiuissent, libenter eorum ANIMI PROPENSIONEM acceperunt.* Omnino enim in hoc loco legendum πρόσκλισιν, sensu efflagitante, non, vt in Editionibus, Havercampiana etiam, πρόκλησιν, quod non nisi sensum maxime ineptum parit. In his locis omnibus πρόσκλισις est *animi propensio, favor, partium studium.* Sensus igitur verborum Apostoli, Μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν, est, *nihil faciens in alteram partem inclinando*, f. *partium studio commotus.* Praeter laudatos a WOLFIO, digni sunt, qui de hac voce consulantur, IO. ALBERTI in Gloss. Gr. in S. N. F. L. p. 157. et inprimis HEMSTERHVSIVS ad Aristophanis Plutum, p. 372. sqq. Recte igitur BENGELIVS, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, in sua Editione πρόσκλισιν exprimendum curauit, alteram illam lectionem autem *πρόσκλησιν minus probandam*, etsi quibusdam probatam, pronunciauit. Caeterum κατὰ h. l. denotat *propter.* Sic apud Iosephum A. I, 18, 2. ΚΑΤΑ ξενίαν καὶ φιλίαν τὴν Ἀβράμου. *Propter hospitium et amicitiam Abrahami*: et ibid. 19, 1. Ἰάκωβος δὲ εἰς τὴν

Με-

Μεσοποταμίαν στελλόμενος ὑπὸ τῆς μητρὸς ΚΑΤΑ γάμον, *Iacobus autem missus in Mesopotamiam a matre propter matrimonium contrahendum.*

CAPVT VI.

V. 20. Τὴν παρακαταθήκην φύλαξον) Siue παραθήκην siue παρακαταθήκην legeris, nihil interest, cum vtraque vox eundem sensum habeat, vtraque probae sit notae. Est autem παρακαταθήκη proprie, *quod alicuius fidei curaeque custodiendum committitur, ea lege, vt, si lubuerit, ab eo tanquam tuum repetere possis.* Iosephus A. IV, 8, 38. ΠΑΡΑΚΑΤΑΘΗΚΗΝ δὲ, ὥσπερ ἱερόν τι καὶ θεῖον χρῆμα, ὁ παραλαβὼν φυλακῆς ἀξιούτω· *Depositum qui accepit, illud tanquam rem sacram et diuinam seruet et custodiat:* Sic XVIII, 9, 4. ΠΑΡΑΚΑΤΑΘΗΚΗΝ δὲ σοὶ δίδωμι τὴν Βαβυλωνίων γῆν, *Committo fidei tuae terram Babyloniam.* Sic παρακατίθεσθαι pro *fidei alicuius committere* est apud Iosephum X, 9, 3. Ἄμεινον ἔφασκεν ἀποθανεῖν αὐτὸν ὑπ' ἐκείνου μᾶλλον, ἢ καταφυγόντα πρὸς αὐτὸν ἄνθρωπον, καὶ πιστεύσαντα τὴν ἰδίαν σωτηρίαν καὶ ΠΑΡΑΚΑΤΑΘΕΜΕΝΟΝ αὐτῷ, διαφθεῖραι· *Satius esse dicebat, vt ipse ab illo perimeretur, quam vt hominem occideret, qui ad ipsum confugerat, suamque salutem eius fidei commiserat, et apud eum quasi sequestrem deposuerat.* Alia exempla dabimus ad 2. Timoth. I. 12.





POSTERIOR
EPISTOLA
AD TIMOTHEVM.

CAPVT I.

V. 6.

Ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ) Ἀναζωπυρεῖν proprie est *follis flatu ignem excitare:* vt apud Iosephum *de Maccabaeis* §. 8. τὰ ζώπυρα τοῦ πυρὸς sunt *reliquiae ignis sopiti, et folles, aliaque huiusmodi instrumenta, quibus flamma suscitatur, ac incendium augetur.* Sensu autem translato eleganter dicitur 1) *eum, qui exanimatus est, et deliquium animi passus, refocillare, vt ad se redeat.* Sic est apud Iosephum A. II, 7, 5. Ὁ δ' (Ἰάκωβος) ὑπὸ τῆς χαρᾶς ἀπροσδοκήτου τε καὶ μεγάλης γενομένης μικροῦ δεῖν ἐξέλιπεν· ἀλλ' ΑΝΕΖΩΠΥΡΗΣΕΝ αὐτὸν Ἰώσηπος· *Iacobus vero, prae inopinata, eaque magna laetitia, parum abfuit, quin exanimaretur: Sed Iosephus eum excitauit et recreauit.* Sic de Esthere, ob terribilem regis vultum, viribus repente destituta, et exanimata, XI, 6, 9. ἡ δ' ὑπὸ τούτων ΑΝΑΖΩΠΥΡΗΣΑΣΑ, *Haec cum sese istis rebus collegisset:* mox de se ipsa dicit: ὑπεχώρει μου τὸ πνεῦμα, καὶ κατελειπόμην τῆς ψυχῆς: *abscedebat Spiritus, animique deliquium patiebar:* cuius contrarium est ἀναζωπυρεῖν. 2) Ἀναζωπυρεῖν est *pristinas vires, et vitam ipsam reddere.* Sic est A. VIII, 8, 5. de Hieroboami manu, quae, diuina vltione, torpore obtorpuerat et mortua demittebatur, ad pristinam integritatem restituta: παρεκάλεσεν αὐτὸν δεηθῆναι τοῦ Θεοῦ ΑΝΑΖΩΠΥΡΗΣΑΙ τὴν δεξιὰν (ναρκηκυῖαν καὶ νεκρὰν) αὐτῷ, *Hieroboamus vatem rogauit, vt Deum precibus imploraret, vt ipsius manus* (quae torpore

re obriguerat et mortua erat) *pristinam integritatem restitueret.* Quid h. l. sit ἀναζωπυρεῖν, ipse Iosephus mox 9, 1. his verbis explicat, ὡς παρεθεῖσαν αὐτῷ τὴν δεξιὰν Ἱεροβόαμος - - ζῶσαν ἀπολάβοι· *vt Hieroboamus manum, torpore enectam et mortuam, sanam saluamque recepisset:* et paullo post de eadem re: πάλιν εἰς τὴν αὐτῆς ἐπανέλθοι φύσιν· *ad suam naturam rediit, s. pristinam integritatem recuperauit:* Et significatione Neutrali, pro *reuiuiscere, vitam recipere*, est apud eundem A. IX, 8, 6. Συνέβη δὲ καὶ τότε, λῃστῶν τινῶν ῥιψάντων εἰς τὸν Ἐλισσαίου τάφον, ὃν ἦσαν ἀνῃρηκότες, τὸν νεκρὸν, τῷ σώματι αὐτοῦ προσκολληθέντα, ΑΝΑΖΩΠΥΡΗΣΑΙ. *Eo tempore etiam accidit, cum latrones quidam hominem a se occisum in Elissaei sepulchrum coniecissent, vt mortuus, simul ac vatis corpus tetigisset, REVIVISCERET.* Néque minus eleganti metaphora hic τῷ ἀναζωπυρεῖν Apostolus vsus est pro *acceptum donum ministerii sacri precibus, aliisque exercitiis pietatis, magis magisque excitare, alere et fovere.*

v. 12. Ὅτι δυνατός ἐστι τὴν παραθήκην μου φυλάξαι.) Quidam Codd. et Editt. legunt hic παρακαταθήκην: Sed παραθήκη quoque vox proba est. Supra ad 1. Timoth. VI. 20. vidimus, Iosephum saepe vsurpasse παρακαταθήκην; ita apud eundem *de Maccabaeis* §. 4. est οἱ τὰς ΠΑΡΑΘΗΚΑΣ πιστεύσαντες τῷ ἱερῷ θησαυρῷ· *Qui deposita sacro sancto thesauro credidissent:* et quemadmodum, eundem τῷ παρακατατίθεσθαι pro *committere aliquid alicuius fidei* vsum esse, supra monebamus; ita et vox παρατίθεσθαι eodem sensu est A. IV, 8, 2. Sed hoc quidem non magni momenti est: illud autem maioris difficultatis est, quomodo παραθήκη h. l. sit interpretanda. Viri docti in sententias diuersas abeunt: cum alii intelligant *fideles Paullo commissos*, alii *gratiam*, alii *mercedem*, alii *bonorum operum merita*, alii *doctrinam Euangelii*, alii de *anima*, alii denique de *corona vitae aeternae:* quarum interpretationum quaedam, quippe linguae aduersae, plane reiiciendae sunt: quaedam autem, etsi linguae rationi conueniunt,

niunt, tamen orationis Paullinae feriei et confilio non consentaneae videntur. Scilicet in antecedentibus v. 8. meminerat Apoftolus vinculorum fuorum, in quae ob doctrinam Euangelicam erat coniectus: cohortatur Timotheum fuum, vt ne recufet eadem pericula, ob doctrinam Euangelicam praedicandam, fubire: poftea v. 12. dicit, fe ob caufam Dei omnes iftas calamitates perpeti, neque tamen fe pudere eius rei, neque adeo ullas hoftium minas, aut grauiffima pericula timere: quare? οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα, καὶ πέπεισμαι, ὅτι δυνατός ἐστι τὴν παραθήκην μου φυλάξαι· *Scio enim, cui perpetuo credam, certiffimeque mihi perfuafum eft, eum poffe ANIMAM f. VITAM meam fartam tectamque conferuare.* Hoc fenfu παρακαταθήκη eft apud Iofephum B. I. III, 8, 5. vbi grauiffime difputat contra deteftandum αὐτοχειρίας fcelus: Ἂν μὲν ἀφανίσῃ τὶς ἀνθρώπου παρακαταθήκην, ἢ διάθηται κακῶς, πονηρὸς εἶναι δοκεῖ καὶ ἄπιστος· εἰ δὲ τὶς τοῦ σφετέρου σώματος ἐκβάλῃ τὴν ΠΑΡΑΚΑΤΑΘΗΚΗΝ τοῦ Θεοῦ, λεληθέναι τὸν ἀδικούμενον· *Si quis hominis depofitum profuderit, aut male tractarit, improbus effe videtur et perfidiofus: Sin vero Dei DEPOSITVM e corpore eiecerit, num eum fe latuiffe putabit, quem iniuria affecit?* vbi ἡ παρακαταθήκη τοῦ Θεοῦ eft ψυχὴ, *anima, f. vita,* vt Iofephus ipfe paullo poft interpretatur. Eundem τῆς παρακαταθήκης fignificatum aliis quoque Iofephi locis legere me memini, quae memoria, interdum male fida, mihi nunc non fuggerit. Sic apud Philon. *Quis rerum diuin. haeres,* p. 499. τοῦτ' ἐπαινός ἐστι τοῦ σπουδαίου, τὴν ἱερὰν ΠΑΡΑΚΑΤΑΘΗΚΗΝ ψυχῆς -- μὴ ἑαυτῷ, μόνῳ δὲ τῷ πεπιστευκότι, φυλάξαντος· *Haec laus eft probi hominis, facrum animae depofitum -- non fibi feruantis, fed ei, qui depofuit.*

v. 14. Τὴν καλὴν παρακαταθήκην φύλαξον) Quisque ipfe intelligit, vocem παρακαταθήκης alio fenfu hic effe fumendam, atque v. 12. Mihi quidem ἡ παρακαταθήκη h. l. nihil aliud effe videtur, quam *munus doctrinae Euangelicae annunciandae.* Hoc fenfu Philo *in Flaccum*

p. 984.

p. 984. Voce *παρακαταθήκης* pro *munere iurisdictionis exercendae* vsus est: Ὁ *δε Φυλάττειν ἐπιτραπεὶς τὴν ἀναγκαιοτάτην* ΠΑΡΑΚΑΤΑΘΗΚΗΝ, *τὰ δίκαια*· *Cum ei commissum esset, vt tueretur munus iurisdictionis exercendae.*

Caput II.

V. 3. *Σὺ οὖν κακοπάθησον ὡς καλὸς στρατιώτης* Ἰησοῦ Χριστοῦ) Recte iam ad h. l. docuit BOSIVS, Verbum *κακοπαθεῖν* plerumque ab Historicis vsurpari ad exprimendos labores militares, quum sc. milites longis itineribus defatigantur, fame et inopia rerum necessariarum premuntur, aliisque malis vexantur. Quo sensu saepe apud Iosephum: cuius loca, etsi iam BOSIVS laudauit, tamen, quoniam, quicquid ex illo Historico ad N. T. illustrationem faciat, in hunc librum transferre constituimus, suscepti officii ratio postulat, vt huc afferamus. B. I. I, 7, 4. Ἔνθα *δὴ τῶν Ῥωμαίων πολλὰ* ΚΑΚΟΠΑΘΟΥΝΤΩΝ, *Cum multum defatigarentur Romani.* Ibid. 8, 1. *κἂν τούτῳ* ΚΑΚΟΠΑΘΩΝ· *ἐλίμωττε γὰρ ἡ στρατιά.* *Hoc tamen facto malis conflictabatur: Nam exercitus fame laborabat.* I. c. Apion. I, 19. *οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτι* ΚΑΚΟΠΑΘΕΙΝ· *Cum ipse, propter aetatem, laboribus perferendis impar esset.* Et plane sic A. X, 11, 1, *οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτι* ΚΑΚΟΠΑΘΕΙΝ. Exquisite igitur hoc Verbo vsus Apostolus, cum addit, *ὡς καλὸς στρατιώτης.*

V. 4. *Ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσκῃ*) Vox *στρατολογεῖν* pro *exercitum colligere, milites conscribere*, est paullo rarior. Apud RAPHELIVM, a WOLFIO in hanc rem laudatum, ne vnum quidem exemplum inuenies. HENR. STEPHANVS in Thes. L. Gr. T. III. p. 1064. interpretatur ille quidem, nullam autem eius significatus auctoritatem addit. Est autem apud Iosephum B. I. V, 9, 4. Ἀλλὰ Ῥωμαίους τὶς ΕΣΤΡΑΤΟΛΟΓΗΣΕ *κατὰ τοῦ ἔθνους*;

ἔθνους; *Quis vero Romanum exercitum contra Iudaicam gentem collegit?*

v. 16. Περιΐστασο) h. e, *vita*, quod mox v. 23. exprimit per παραιτοῦ. Nec tam insolens huius Vocis significatus est, quin apud alios inueniatur. Sic apud Iosephum A. IV, 6, 12. ΠΕΡΙΙΣΤΑΤΟ, μὴ πολλοὶ, τῆς καὶ τῶν λόγων ἀσελγείας αὐτοῦ μιμηταὶ γενόμενοι, ταράξωσι τὸ πλῆθος· *Vitabat, s. verebatur, ne multi, ad verborum eius intemperantiam sequendam adducti, populum motibus cierent.* Et X, 10, 4. εἰ δέ τις τῆς ἀληθείας γλιχόμενος οὐ ΠΕΡΙΙΣΤΑΤΑΙ πολυπραγμονεῖν· *Si quis autem, veritatis cognoscendae cupidus, non recusat inquirere.* B. I. II, 8, 6. de Essenis, τὸ ὀμνύειν αὐτοῖς ΠΕΡΙΙΣΤΑΤΑΙ, *iusiurandum vitant.* De hac voce consulatur GATAKERVS ad Antoninum p. 92.

Ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας) De voce προκόπτειν diximus supra ad Luc. II. 52. eiusque bonitatem contra Lucianum multis Iosephi locis vindicauimus. Hoc loco autem notandum, προκόπτειν pro *incremento rei malae* sumi: quo ipso quoque sensu est apud Iosephum B. I. VI, 2, 3. Καὶ ΠΡΟΥΚΟΨΑΝ εἰς τοσοῦτον παρανομίας· *Ad hanc processere legis iniuriam.*

v. 22. Τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε) Omnino mihi interpretatio ea, qua redditur, *iuueniles, atque adeo effrenes cupiditates*, praeferenda videtur illi, qua νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι sunt *cupiditates rerum nouarum.* Illi enim perpetuus vsus loquendi patrocinatur. Iosephus A. XVI, 11, 7. ὑπό τε αὐθαδείας ΝΕΩΤΕΡΙΚΗΣ καὶ βασιλικῆς οἰήσεως· *Tam ex iuuenili arrogantia, quam fastu regio.* Vid. inprimis I. A. BOSII Dissertatt. ad h. l.

CAPVT III.

V. 10. Τῇ ἀγωγῇ) Placent mihi viri docti, qui vocem ἀγωγῆς non de *institutione*, quam iam voce διδασκαλίας indicauit, sed de *viuendi ratione*, quam Timotheus in Paulo

lo perſpexerit, accipiunt. Et ſane ἀγωγὴ ſaepe apud Graecos eſt *viuendi ratio*, *mores*, *inſtitutum*. Apud Ioſephum A. XVI, 1, 1. ἡ πάτριος ΑΓΩΓΗ τῶν ἐθῶν denotat *conſuetudinem inſtitutorum patriorum;* de B. I. III, 5, 8. ἡ ΑΓΩΓΗ Ῥωμαίων ϛρατιᾶς, *Romanae militiae ratio et diſciplina:* Et A. XIV. 10, 2. ἡ Ἰυδαίων ΑΓΩΓΗ, *inſtituta Iudaica.*

v. 13. Προκόψυσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον) Vide ſis ſupra ad C. II. 16. Addamus hic alium Ioſephi locum, qui oſtendit, vti Verbum, ita προκοπὴν de *malae rei incremento* ſumi. A. IV, 4, 1. de ſeditione Hebraeorum in deſerto erumpente: Ἐλάμβανε δὲ τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον ΠΡΟΚΟΠΗΣ αἰτίαν, *ſubiiciebatur autem cauſa, cur in peius indies verteretur.*

v. 15. Καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφυς τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας) Ioſephus multis in locis eodem, quo hic Apoſtolus, ſenſu τὰ ἱερὰ γράμματα dixit. In Prooemio Antiquitatt. §. 3. μυρία δὲ ἐϛὶ τὰ δηλύμενα διὰ τῶν ΙΕΡΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΩΝ. *Innumera ſunt prodita in ſacris literis.* Et I. c. Apion. §. 8. Δῆλον δ' ἐϛὶν ἔργοις, πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις ΓΡΑΜΜΑΣΙ πεπιϛεύκαμεν. *Quanta porro veneratione ſacras noſtras literas proſequamur, re ipſa apparet.* Et eodem Lib. §. 26. Ὁ Μανεθὼν ὖτος, ὁ τὴν Αἰγυπτίων ἱϛορίαν ἐκ τῶν ΙΕΡΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΩΝ μεθερμηνεύειν ὑπεσχημένος· *Manetho, qui hiſtoriam Aegyptiacam e ſacris literis interpretari pollicitus eſt.* Caeterum ἀπὸ βρέφυς Philo *de Abrahamo* p. 366. eleganter exprimit his verbis, σχεδὸν ἐξέτι σπαργάνων, *paene ab incunabulis.* Idem alio loco, *de Legat. ad Caium* p. 1020. hanc Apoſtoli ſententiam, ἀπὸ βρέφυς τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας, aliis non minus elegantibus verbis effert: ἐνετράφης, ἐνησκήθης τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν· *A tenerrimae inde aetatis annis ſacris literis innutritus et inſtructus es.*

CAPVT

CAPUT IV.

V. 6. Καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε) Ἀνάλυσις proprie est *abitus, discessus*. Iosephus A. XIX, 4, 1. ταῦτα πρὸς τὸν Κλαύδιον εἰπὼν, προσεχώρει πρὸς αὐτὸν, καὶ μετακαλέσης αὐτὸν τῆς βουλῆς, χρισάμενος μύροις τὴν κεφαλὴν, ὡς ἀπὸ συνουσίας, γινομένης ΑΝΑΛΥΣΕΩΣ, αὐτῇ παρῆν. *Agrippa, cum ista Claudio dixerat, eodem, vnde digressus erat, reuertebatur: et accitus a senatu, delibuto capillo, quasi ex compotatione rediisset, ad eum accessit.* Sic apud Philon. *in Flaccum* p. 981. ὁ δὲ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀπάγεται, τελευταίαν ταύτην ΑΝΑΛΥΣΙΝ ἐκ συμποσίου ποιησάμενος. *Ille autem a militibus abductus est, vltimum discessum ex conuiuio faciens.* Vnde translate de *discessu ex vita*, apud eundem Philonem in *Flaccum* p. 991. ἡ ἐκ τοῦ βίου τελευταία ΑΝΑΛΥΣΙΣ, *vltimus ex vita discessus*. Sic κατάλυσις pro *morte* est apud Iosephum A. VII, 11, 3.

v. 8. Ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος) Vox est exquisitissima, petita ex Veterum certaminum ratione. Proprie enim ἀποκεῖσθαι dicuntur τὰ ἆθλα s. *praemia certaminis*, quae publice proponuntur, vt eorum adspectus, certaque consequendorum spes, certaturos alacriores redderet ad certamen ineundum, victoriamque reportandam. Inde usurpatur de omnibus rebus, *quarum consequendarum spes, tanquam praemium certissime reportandum, nos ad aliquid suscipiendum incitare potest.* Iosephus VI, 14, 7. τῆς δόξης αὐτοῖς ΑΠΟΚΕΙΜΕΝΗΣ, *Cum iis gloria, tanquam praemium certaminis, esset proposita.* Praeterea haec vox indicat *rei certitudinem*, apud eundem XII, 7, 1. ὡς ἐν τούτῳ τῆς σωτηρίας αὐτοῖς ΑΠΟΚΕΙΜΕΝΗΣ, *Quasi in eo certissima salutis spes esset posita.* Eandem vicem obtinet πρόκειμαι. Iosephus in Prooem. Antiquitatt. §. 3. τοῖς Θεοῦ γνώμῃ κατακολουθοῦσι - - γέρας εὐδαιμονίας ΠΡΟΚΕΙΤΑΙ παρὰ Θεοῦ. *Qui Dei voluntati obsequuntur, -- iis felicitas, vt praemium, proposita est*: quod ipsum quoque huius praemii consequendi certitudinem indicat:

itaque

itaque Iosephus eandem rem paullo post §. 4. his verbis exprimit: πάντων πατήρ τε καὶ δεσπότης ὁ Θεὸς ὢν, καὶ πάντα ἐπιβλέπων, τοῖς ἑπομένοις δίδωσιν εὐδαίμονα βίον. *Deus, qui est pareus omnium ac dominus, et vniuersa tuetur, obedientibus sibi largitur vitam beatam.*

Καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος) Familiare inprimis Iudaeis erat, tyrannice dominantes appellare *Leones*. Esther. C. XIV, 13. Ahasverus appellatur *Leo*. Cf. Ezech. C. XIX. Apud Iosephum A. XVIII, 6, 10. Marsyas, Tiberii mortem Agrippae annunciaturus, dicit: τέθνηκεν ὁ ΛΕΩΝ, *Mortuus est Leo.* Eandem ob causam hic Apostolus ea appellatione vtitur, siue, vt plerique volunt, *Tiberium*, siue, vt IOAN. PEARSONIVS, *Helium Caesarianum* intellexerit. Cf. ad h. l. L. CAPELLVS *in spicilegio.*

* *

EPISTOLA
AD TITVM.
CAPVT I.
V. II.

Οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν) *Quibus oportet os obturare, s. quos oportet coërcere*: Apud Iosephum A. XVII, 10, 1. τὴν Ἰουδαίων νεωτεροποιίαν ΕΠΙΣΤΟΜΙΟΥΝΤΑΣ, *qui Iudaeos coërcerent, ne quid molirentur*: vnde XIX, 3, 3. ἐπιστόμισμα *frenum*, *coërcitio.* Eleganter quoque Philo Lib. II. Allegor. p. 89. ΕΠΙΣΤΟΜΙΕΙ ὁ λόγος καὶ ἐγχαλινώσει τὴν ῥύμην καὶ φορὰν τοῦ πάθους. *Ratio compescet refrenabitque procliuiorem talis affectus impetum.*

EPISTO-

* *

EPISTOLA
AD HEBRAEOS.

CAPVT I.

V. 4.

Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην.) Haec loquendi ratio, εἰσάγειν εἰς τὴν οἰκουμένην, videtur Ebraica. Hebraeis enim בא בעולם, *venit in mundum*, idem eſt, quod *natus eſt*: vnde in Hiphil הביא בעולם eſt *facere, vt quis naſcatur*. Eadem tamen loquendi ratio eſt apud Ioſephum A. V, I, 25. Θεὸς τε εἰς τὰς τε ἡμετέρους προγόνους καὶ τὰς ὑμῶν ΠΑΡΗΓΑΓΕΝ εἰς βίον. *Vnus Deus tam noſtros quam veſtros maiores in vitam eduxit*. Celeberr. ERNESTI in Epiſtola quadam ad GESNERVM, ſeculi noſtri Varronem, ſuſpicatur, quoniam εἰσάγεσθαι dicantur, quae producantur, oſtendantur, commendentur ſpectatoribus ludorum publicorum, non abſurde hunc Paulli locum inde explicari poſſe.

CAPVT II.

V. I. Προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι) H. e. *non ſolum attendere, ſed etiam obſequi*. Videſis, quae de hoc τοῦ προσέχειν ſignificatu diximus ad Actor. VIII. 6.

v. 2. Εἰ γὰρ ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος) De hac re copioſe diſputabamus ſupra ad Actor. VII, 53.

v. 7. Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους) Simile quid legimus apud Ioſephum A. IV, 3, 2. vbi Moſes in precatione ad Deum: μικροτέραν ἐμοῦ τὴν Φαραώθου πει-

ποιήσας ἡγεμονίαν. Pharaonis dominatum meo inferiorem reddidisti. Quem locum BERNARDVS et HAVERCAMPVS *cum hoc Paullino conferunt.* Vocem autem ἐλαττοῦσθαι eodem, quo hic Apostolus, sensu adhibuit Philo *de* Legat. ad Caium p. 1015. τοῦ δήμου λαμβάνοντος σῖτον, οὐδέποτε τοὺς Ἰουδαίους ΗΛΑΤΤΩΣΕ τῆς χάριτος. *Cum populus frumentum acciperet, non deterioris conditionis Iudaeos, ratione beneficii, esse voluit Augustus.*

v. 10. Τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν) Apud Iosephum simili sensu ἡγεμὼν τῆς σωτηρίας, in magnifico illo elogio Anani, Pontificis M. B. I. IV, 5, 2. οὐκ ἂν ἁμάρτοιμι δὲ εἰπὼν ἁλώσεως ἄρξαι τῇ πόλει τὸν Ἀνάνου θάνατον, καὶ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀνατραπῆναι τὸ τεῖχος, καὶ διαφθαρῆναι τὰ πράγματα Ἰουδαίοις ἐν ᾗ τὸν ἀρχιερέα καὶ ΗΓΕΜΟΝΑ τῆς ἰδίας σωτηρίας αὐτῶν ἐπὶ μέσης τῆς πόλεως εἶδον ἀπεσφαγμένον· *Non errauerim autem, si initium vrbis excidii a morte Anani factum esse dixero, et mox ex illo die muros euerti, remque publicam Iudaeorum pessundari coepisse, quo pontificem, cui salutem suam acceptam referebant, in media ciuitate trucidatum viderunt.*

CAPVT III.

v. 5. Καὶ Μωσῆς μὲν πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ) De hac fidelitate Mosis, praeter caetera, legendus Iosephi locus Lib. II. contra Apionem §. 16. egregius ille quidem, longior autem, quam qui huc transferri possit.

CAPVT IV.

V. 13. Καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ) De hoc Verbo multi multa dixerunt: iis, quos WOLFIVS in hanc rem laudauit, praeter caeteros dignus est, qui adiungatur, GISBERT. CVPERVS Lib. I. Obseruatt. c. 12. Nemo non vidit, hic esse metaphoram, eamque exquisitam, sensumque Vocis facile perspexit: Sed vnde me-

taphora sit petita, id vero diuortiis sententiarum occasionem dedit. Mihi quidem dubium non est, quin Vox τραχηλίζειν sit a Palaestra ducta. Nam τραχηλίζειν dicitur luctator, *cum aduersarii collum torquens, eum resupinat,* atque adeo oculis et adspectui exponit: exempla in hanc rem, quando CVPERVS l. c. diligenter attulit, non esse puto, quare huc congeram; vnde apud Philonem *de Profugis* p. 468. ἐκτραχηλίζειν est *circumacta retrorsum ceruice respicere.* Iam, quoniam illud τραχηλίζειν in palaestra cum maximo aduersarii dolore et malo coniunctum erat, factum est, vt τραχηλίζειν sit *magnis molestiis et calamitatibus premere et vexare:* quo sensu est apud Iosepum B. I. IV, 6, 2. ἐμφυλίῳ πολέμῳ καὶ διχονοίᾳ ΤΡΑΧΗΛΙΖΟΜΕΝΟΥΣ, *bello ciuili et dissidiis vexatos.* Sic apud Philonem *de Abrahamo* p. 363. ὑφ' ὧν βασάνων γυμναζόμενος μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ ΕΞΕΤΡΑΧΗΛΙΖΕΤΟ, *quibus tormentis die nocteque angebatur et vexabatur;* et *in Flaccum* p. 988. de huius bipedum nequissimi malae conscientiae stimulis et tormentis: τοιούτοις ἀεὶ κατεπαλαίετο λογισμοῖς καὶ τρόπον τινὰ ΕΞΕΤΡΑΧΗΛΙΖΕΤΟ. *Cum talibus semper colluctabatur cogitationibus, iisque angebatur.* Sed hic significatus nihil facit ad hunc Paullinum locum, vbi, vti supra ostendimus, τετραχηλισμένα sunt *oculis adspectuique exposita, atque adeo clara, manifesta.* Caeterum facere non possum, quin duo loca Philonis adiungam, in quibus haec Apostoli verba, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, elegantissime exprimit, atque illustrat. Alter est in Libro *de Gigantibus,* vbi vetat sceleribus inquinatum, Deum accedere: λήσεται γὰρ οὐδέποτε τὸν τὰ ἐν μυχοῖς τοῖς διανοίας ὁρῶντα, καὶ τοῖς ἀδύτοις αὐτοῖς ἐμπεριπατοῦντα, *Non enim poterit fallere Deum, perspicientem mentis sinus intimos, et quasi inambulantem in eius penetralibus:* alter est eodem Lib. p. 297. Τῷ Θεῷ, ὡς ἐν αὐγῇ καθαρᾷ, πάντα ἀρίδηλα· καὶ γὰρ ἄχρι τῶν ψυχῆς μυχῶν φθάσας, ἃ τοῖς ἄλλοις ἀόρατα, τηλαυγῶς πέφυκε καθορᾶν. *Deo, vt in luce purissima, omnia sunt con*

spi-

spicua: penetrans enim sinus intimos animi, videt, quae non cernuntur aliis.

CAPVT V.

V. 2. Μετριοπαθεῖν δυνάμενος) Nullo modo probare possum SCHMIDII et BEZAE interpretationem, *Qui possit, quantum satis est, misereri vicem:* Est enim contra omnem loquendi vsum: nec mihi placet, quod, quamquam, vt solet, modeste, affert Eruditissimus WOLFIVS: *Fortasse per vocem μέτριος in verbo hoc Composito respicitur eo, vt inferatur, τὸ συμπαθεῖν decere sacerdotem:* nam nec hunc significatum habet μέτριος, vt consulenti Graeuii Lect. Hesiodeas, a Viro doctiss. in eam rem laudatas, apparebit. Mihi quidem μετριοπαθεῖν nihil aliud esse videtur, quam *misericordia alicuius tangi, eique benignum se praebere.* Hoc sensu est apud Iosephum A. XII, 3, 2. vbi mirificam Vespasianorum benignitatem clementiamque erga Iudaeos praedicat, qui, post tantam iniuriam a Iudaeis acceptam, tamen, bello illo finito, misericordia huius miserae gentis tacti, omnem benignitatem clementiamque ei exhibuerunt. Οὐεσπασιανοῦ ἄν τις καὶ Τίτου τὴν μεγαλοφροσύνην εἰκότως ἐκπλαγείη, μετὰ πολέμους καὶ τηλικούτους ἀγῶνας, οὓς ἔσχον πρὸς ἡμᾶς, ΜΕΤΡΙΟΠΑΘΗΣΑΝΤΩΝ· *Vespasiani et Titi magnanimitatem merito quis obstupescat, qui, post tot bella et certamina nobiscum, misericordia commoti, benignos se et clementes nobis praestiterunt.* Sic Deus μετριάζειν dicitur, *qui, misericordia motus, benignum se praebet,* apud eundem A. V, 7, 7. παρακαλοῦντες αὐτὸν (Θεὸν) ΜΕΤΡΙΑΣΑΝΤΑ, καὶ πρὸς δέησιν αὐτῶν ὑπαχθέντα, παύσασθαι τῆς ὀργῆς. *Deum implorabant, vt, misericordia tactus, precibusque eorum supplicibus flexus, ab ira desisteret.* Apud eundem XII, 2, 2. μετριότης est illa *virtus, quae, misericordia aliorum commota, iis benefacere studet:* et eodem fere sensu οἱ μέτριοι dicuntur XI, 5, 3.

v. 4. Καὶ οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλὰ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών.) Dignus eſt, qui huc transferatur, locus Ioſephi A. III, 6, 1. vbi Moſes ad concionem: Ἔγωγε, ταύτης ἐμοὶ τῆς σκέψεως ἐπιτραπείσης, ἐμαυτὸν ἂν τῆς τιμῆς ἄξιον ἔκρινα· διά τε τὸ φύσει πάντας εἶναι φιλαύτους, καὶ ὅτι πολλὰ ἐμαυτῷ κάμνοντι περὶ σωτηρίας τῆς ὑμετέρας σύνοιδα· νῦν δ' αὐτὸς ὁ Θεὸς ΑΑΡΩΝΑ τῆς ΤΙΜΗΣ ταύτης ἄξιον ἔκρινε, καὶ τοῦτον ᾕρηται ἱερέα, τὸν δικαιότερον μᾶλλον ὑμῶν εἰδώς. ὡς οὗτος ἐνδύσεται στολὴν τῷ Θεῷ καθωσιωμένην, καὶ βωμῶν ἐπιμέλειαν ἕξει καὶ πρόνοιαν ἱερείων, καὶ τὰς ὑπὲρ ὑμῶν εὐχὰς ποιήσεται πρὸς τὸν Θεὸν, ἡδέως ἀκουσόμενον, ὅτι τε κήδεται γένους τοῦ ὑμετέρου, καὶ παρὰ ἀνδρὸς, ὃν αὐτὸς ἐπελέξατο, γινομένας προσδέχεται ταύτας. *Ego, ſi res mei arbitrii eſſet, me ipſum forſan hoc honore non indignum iudicarem, tum quod omnes natura ſui amantes ſint, tum quod mihi conſcius ſim, quantum pro veſtra ſalute laborauerim. Nunc autem Deus ipſe Aaronem dignum hoc bonore iudicauit, atque hunc Pontificem conſtituit, quo neminem e vobis iuſtiorem nouit. Scilicet hic ſtolam Deo conſecratam induet, altarium curam ſuſcipiet, de ſacrificiis prouidebit, preces pro vobis Deo fundet, prompte et libenter audituro, tum quod generis veſtri curam gerit, tum quod illas, per virum, quem ipſe elegit, oblatas, recipere non grauabitur.*

v. 6. Κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ) De hoc Melchiſedeco adeundus Ioſephus A. I, 10, 2. et B. I. VI, 10, 1.

v. 7. Καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας) Non erat ſane, quare WOLFBVRGIVS, obſeruante WOLFIO, ſcriberet, *vnicum hunc N. T. locum eſſe, cuius certam interpretationem adeo neſciat, ac ſi nunquam Graecas literas didicerit.* Videtur Vir doctus multa N. T. loca non ſatis curioſe conſideraſſe, quae multo maioribus difficultatibus, quam hic, laborant. Nam hic neque difficultatis quid habet, neque magna literarum Graecarum facultas, ad eius ſenſum indagandum, requiritur. Nam ſiue, *ex metu*, ſiue, *ob reuerentiam et pietatem patri praeſtitam*, verba, ἀπὸ τῆς εὐλαβεί-

βείας, reddideris; et rei ipsi, de qua agitur, et linguae rationi conuenienter interpretaberis. Malim tamen prius, quod et WOLFIO, τῷ πάνυ, placuisse video, vt ἀπὸ τῆς εὐλαβείας sit *ex metu*: qui significatus non solum LXX. Senioribus, sed etiam τοῖς ἔξω, est frequens. Apud Iosephum A. VI, 9, 2. Dauides, cum Goliatho singulare certamen initurus, regem Saulum, inter caetera, ita alloquitur: μὴ ταπεινὸν ἔσω φρόνημα, μηδ' ΕΥΛΑΒΕΣ, ὦ βασιλεῦ. *Ne despondeas animum, o Rex, neu quid extimescas*: et accommodatius ad hunc Paullinum locum, A. XI, 6, 9. vbi dicitur rex Artaxerxes Estherem, quae, illius adspectu perculsa, prae metu fere exanimis iacebat, recreasse, metuque omni liberasse: τὴν ῥάβδον ἐξέτεινε ἐπὶ τὸν αὐχένα αὐτῆς, διὰ τὸν νόμον, ΕΥΛΑΒΕΙΑΣ αὐτὴν ἀπολύων· *Virgam eius ceruici admouit, legis ergo, vt eam omni METV liberaret.* Sensus igitur huius loci est, *exauditus*, atque adeo LIBERATVS *est a metu*: loquendi ratione simillima ei, Psalm. XXII. 22. Et a cornibus vnicornium עֲנִיתָנִי, *exaudies me*, h. e. exaudiens liberabis me. Multa exempla Verborum praegnantium suppeditat GLASSIVS in aureo illo Philolog. sacrae Opere, Lib. III. Tr. III. can. 2.

V. 9. Αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου) Iosephus A. VII, 1, 2. Περὶ μὲν οὖν Δαυίδου καὶ τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ, καὶ ὅσων ἀγαθῶν ΑΙΤΙΟΣ γενόμενος τοῖς ὁμοφύλοις -- δεδηλώκαμεν: *De Dauide, eiusque virtute, quantorumque bonorum popularibus suis auctor exstiterit, --- enarrauimus.*

CAPVT VI.

V. 1. Μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι) Elegans metaphora, ducta ab aedificandi ratione. Proprie enim καταβάλλεσθαι dicuntur *fundamenta, quae aedificio exstruendo ponuntur*. Iosephus A. XV. 11, 3. in Templi ab Herode instaurati et exstructi descriptione: Ἀνελὼν δὲ τοὺς ἀρχαίους θεμελίους, ΚΑΤΑΒΑΛΛΟΜΕΝΟΣ ἑτέρους ἐπ' αὐτῶν τὸν ναὸν ἤγειρε· *Sublatis autem veteribus fundamentis,*

et iactis aliis, templum super eis erexit. Et sic Verbum simplex apud eundem A. V, 1, 8. θεμελίες τειχῶν ΒΑΛΛΟΜΕΝΟΣ, *fundamenta moenium ponens.* Eodem sensu βάλλειν et βάλλεσθαι στρατόπεδον, Lib. et Cap. eodem, §. 4. et 11. Vnde saepe in N. T. καταβολὴ κόσμε de *creatione mundi*; et pro *initio cuiuscunque rei*. Vide, quae supra in hanc rem ad Matth. XIII. 35. diximus.

v. 4. γευσαμένες τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπεραvίε) Subscribo Doctissimo WOLFIO, qui disputat contra WITTICHIVM, HOEKIVM et ALBERTIVM, contendentes, γεύσασθαι hic esse *leviter, et extremis tantum labris gustasse*. Nam, vti non nego, eum huius Verbi vsum interdum apud scriptores Graecos obtinere; ita vereor, vt hic locum habere possit. Mihi quidem dubium non est, quin γεύσασθαι h. l. denotet, *ipso sensu aliquid cognoscere, plene et perfecte percipere*. Qui significatus non solum scriptoribus sacris, sed τοῖς ἔξω etiam, satis frequens est. Iosephus A. IV. 6, 9. ΑΠΑΞ τὸ νέον ΓΕΥΣΑΜΕΝΟΝ ξενικῶν ἐθισμῶν, ἀπλήςως αὐτῶν ἐνεφορεῖτο. *Iuuentus, quae semel sensum ceperat morum peregrinorum, inexplebili desiderio in eos deferebatur*. Philo in Libro *de Abrahamo*, p. 362. de iis, qui in virtutis studio iam multum profecerunt: ταῦτα τε θεοφιλες τὰ προτέλεια, οἷς ἕπονται πράξεις ἐκ εὐκαταφρόνητοι. τὸ δὲ μέγεθος αὐτῶν ἐ πᾶσι δῆλον, ἀλλὰ μόνον τοῖς ΓΕΥΣΑΜΕΝΟΙΣ ἀρετῆς, οἷς τὰ θαυμαζόμενα τοῖς πολλοῖς εἰώθασι χλευάζειν, ἕνεκα μεγέθες τῶν τῆς ψυχῆς ἀγαθῶν· *Haec sunt rudimenta hominis Deo cari, sequuntur mox facta non contemnenda; sed eorum magnitudo non cuiuis apparet, solis his conspicua, qui IN VIRTVTIS STVDIO IAM MVLTVM PROFECERVNT, et res, vulgo mirabiles, fastidiunt libenter, prae animi bonis praestantioribus.* Addam unum Iosephi locum A. IV, 8, 2. Vbi Moses, iam iamque moriturus, in paraenesi ad populum: Εἰ βέλεσθε τέτες ὑμῖν μένειν, τῶν πολεμίων μηδένας ὑπολείπεσθε κρατήσαντες αὐτῶν· ἀλλὰ πάντας ἀπολλῦναι κρίνατε συμφέρειν, ἵνα μὴ ζῶν-

ζώντων, ΠΑΡΑΓΕΥΣΑΜΕΝΟΙ τῆς ἐκείνων ἐπιτηδεύσεως, διαφθείρητε τὴν πατρῴαν πολιτείαν· *Si vultis has leges vobis manere, nullos ex hostibus superatis relinquite: sed et, omnes delere, expedire vobis existimetis, ne, iis viuentibus, moribus illorum cognitis et receptis, patrios corrumpatis mores.*

v. 6. Καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν) Ἀνακαινίζειν proprie est *renouare*, *instaurare*: quo sensu est apud Iosephum A. IX, 8, 2. de Ioaso Iudaeae rege: Τὸν δὲ τῶν Ἱεροσολύμων βασιλέα Ἰώασον ὁρμή τις ἔλαβε τὸν ναὸν ΑΝΑΚΑΙΝΙΣΑΙ τοῦ Θεοῦ. *Ioasum autem Hierosolymorum regem incessit cupido templum Dei instaurandi:* mox explicat per ἀνανέωσιν τοῦ ναοῦ, *instaurationem templi.* Caeterum assentior SCHOETTGENIO, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, in huius loci interpretatione, qui repetit ex v. 4. ἀδύνατον, hoc sensu: ἀδύνατόν (ἐστι) τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας -- πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν: *impossibile est, semel illuminatos -- renouare ad poenitentiam.* Facile constat, subiectum omissum esse, eum sc. qui tales homines renouare possit. Intelligo autem verbi diuini ministros, quibus 1. Timoth. 4. 16. τὸ σώζειν tribuitur, ergo et hic τὸ ἀνακαινίζειν· Haec ille Vir doctissimus.

Ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ) Iam dudum Viris doctis obseruatum est, male vulgo ἀνασταυροῦν hic reddi *rursum crucifigere*, cum simpliciter reddendum sit, *crucifigere.* Nam ἀνὰ in hoc Verbo non *rursum*, sed *sursum*, et *in altum* denotat. Exemplis, ab aliis iam in hanc rem allatis, addamus haec Iosephi. Sic A. XI, 6, 10. τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Ζαράζας εἰπούσης, κελεῦσαι ξύλον κοπῆναι πηχῶν πεντήκοντα, καὶ πρωῒ παρὰ τοῦ βασιλέως αἰτησάμενον ΑΝΑΣΤΑΥΡΩΣΑΙ τὸν Μαρδοχαῖον. *Vbi Zaraza vxor Amani suggesserat, vt iuberet lignum excidi quinquaginta cubitorum, et mane regem rogaret, vt in crucem tollatur Mardochaeus:* vbi ἀνασταυροῦν simpliciter est *crucifigere:* quod mox ipse Iosephus §. 11. explicat per ἐξ ἐκείνου τοῦ σταυροῦ ἀνακρεμασθέντα ἀποθανεῖν; *in ista cruce suspensum mori.*

mori. B. I. II. 14, 9. πολλοὺς τῶν μετρίων συλλαμβάνοντες, ἐπὶ τὸν Φλῶρον ἦγον, οὓς μάστιξι προαικισάμενος ΑΝΕΣΤΑΥΡΩΣΕΝ· *Multos e nobilibus comprehensos ad Florum ducebant, quos cum ille iam antea verberibus dehonestasset, in crucem sustulit*: illud ἀνασταυροῦν mox ipse explicat per σταυρῷ προσηλῶσαι· Et Lib. V. eiusdem Operis C. XI. μαστιγούμενοι δὴ καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ΑΝΕΣΤΑΥΡΟΥΝΤΟ τοῦ τείχους ἀντικρύ. *Itaque verberati, et ante mortem omnibus modis excruciati, pro moenibus suffigebantur crucibus.* Interdum etiam σταυροῦν et ἀνασταυροῦν dicitur non tam de hominis viui supplicio, sed de cadauere hominis quocunque modo interfecti, quod, ignominiae, contumeliaeque caussa, palo suffixum, in propatulo ponitur: de quo Verbi vsu, non omnibus satis cognito, longa, eaque docta est disputatio CASAVBONI, τοῦ χαριεστάτου, in Exercitatt. contra BARONIVM Exercitat. XVI. §. 77. vbi multos multorum Virorum doctorum lapsus in hac voce castigat. Vnde σταυροῦν, ἀνασταυροῦν saepe ponitur pro *ignominia, contumeliaque afficere:* qui significatus si hic addmittatur, verborum Paulli sensus haud incommodus erit hic: *Qui a doctrina veritatis Euangelicae semel cognita et percepta deficiunt, ii, quantum in ipsis est, Christum, eiusque sacrosanctum meritum, summa ignominia et contumelia afficiunt.*

v. 17. ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ) Laudauit hic WOLFIVS locum Iosephi A. XVI. 4, 3. Διόπερ ἐπὶ τῷ πάντων δεσπότῃ Καίσαρι, ΜΕΣΙΤΕΥΟΝΤΙ τὸν παρόντα καιρὸν, συντιθέμεθα ταύτην τὴν συνθήκην· *Quapropter coram Caesare, omnium domino, nostroque in praesentia sequestro, hanc tecum pactionem facimus.* Sed is locus huc non facit, cum ibi μεσιτεύειν sit *arbitrum inter duas partes disceptantes esse*, qui significatus ab hoc Paulli loco quam maxime abhorret. Apud eundem Iosephum μεσιτεύειν est *deprecatorem agere pro altero.* Locus est A. VII. 8, 5. ὁ Ἰώαβος, τὴν ἀνάγκην αὐτοῦ (Ἀβεσαλώμου) κατοικτείρας, ΕΜΕΣΙΤΕΥΣΕ πρὸς τὸν βασιλέα. *Ioabus, Abesalomi calamitatem*

tem, qua premebatur, misertus, pro eo apud regem intercessit. Sed, vt ingenue fatear, ne is quidem locus huic nostro conuenit, cum hic ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ sit *fideiussit iureiurando*, *s. interposuit se cum iureiurando*: vt recte exposuit BEZA, quod amplectitur quoque H. STEPHANVS in Thes. Gr. L. T. II p. 892. qui significatus, dubito, an apud vllum τῶν ἔξω inueniatur.

v. 18. Κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος) *Ad obtinendam spem propositam*, s. vitam aeternam. Elegantissima metaphora est vocis προκειμένης, e Veterum certaminum ratione ducta. Proprie enim προκεῖσθαι dicuntur τὰ ἆθλα, s. *praemia certaminis, quae publice proponuntur in propatulo, vt eorum adspectus, certaque eorum adipiscendorum spes, certaturos alacriores redderet ad certamen ineundum, victoriamque reportandam:* vt interpretabamur supra ad II. Timoth. IV. 8. τὸ ἀποκεῖσθαι, quod eandem significationem obtinet. Iosephus A. VIII, 12, 3. οἱ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΩΝ αὐτοῖς ΑΘΛΩΝ, ἐπὰν περὶ τὶ σπουδάσωσιν, οὐ διαλείπουσι περὶ τοῦτο ἐνεργοῦντες· *Iis, qui, propositis praemiis, postquam alicui rei studere coeperint, sine intermissione ei operam dant.* XIX, 1, 16. διὰ τὸ ἆθλα αὐτοῖς ΠΡΟΚΕΙΣΘΑΙ τὰς ὀγδόας τῶν οὐσιῶν· *Quoniam octaua bonorum pars, praemium illis proposita erat.* Sed inprimis in hanc rem illustris locus est XV, 8, 1. vbi exponit de magnifico illo apparatu ludorum, ab Herode M. in honorem Caesaris celebrandorum: οἱ ἀθληταὶ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀγωνισμάτων ἀπὸ πάσης γῆς ἐκαλοῦντο κατ᾽ ἐλπίδα τῶν ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΩΝ, καὶ τῆς νίκης εὐδοξίαν. *Ex cunctis finibus athletae et omnis generis ludiones arcessiti erant, spe praemiorum PROPOSITORVM, gloriaeque ex victoria reportandae.* Vnde προκεῖσθαι de omnibus rebus dicitur, *quarum consequendarum certissima nos tenet spes, quaeque nos, vt amplum aliquod praemium expectandum, alacriores in re aliqua suscipienda et perficienda reddere potest:* quo sensu est apud Iosephum in Prooem. Ant. 3. τοῖς Θεοῦ γνώμῃ κατακολουθοῦσι· γέρας εὐδαιμονίας ΠΡΟΚΕΙΤΑΙ

παρὰ Θεῦ. *Qui Dei voluntati obsequuntur -- iis felicitas, vt praemium, est proposita.*

CAPVT VII.

V. 4. ᾧ καὶ δεκάτην Ἀβραὰμ ἐκ τῶν ἀκροθινίων) Ἀκροθίνια hic esse *praedam* (ita enim malumus interpretari, quam *spolia*, quae, si accurate loqui velis, aliud quid denotant) vel Iosephus docet: qui A. I, 10, 2. in eadem re tradenda, ita: Ἀβράμε δὲ διδόντος καὶ τὴν ΔΕΚΑΤΗΝ τῆς ΛΕΙΑΣ αὐτῷ, προσδέχεται τὴν δόσιν. *Abramo decimam partem ei donante, munus accepit.*

v. 12. Μετατιθεμένης γὰρ τῆς ἱερωσύνης) *Mutato enim Sacerdotio.* Metaphora elegantissima, petita ex ludo XII. Scriptorum. Proprie enim μετατιθέναι dicitur, *qui calculum, quem minus commode se dedisse intellexit, reducit, et in alium locum ponit:* vnde metaphorice *mutare.* Iosephus A. XII, 9, 7. ὑπὸ Λυσίε πεισθεὶς, ΜΕΤΑΘΗΝΑΙ τὴν τιμὴν (ἀρχιερωσύνην) ἀπὸ ταύτης τῆς οἰκίας εἰς ἕτερον οἶκον· *Cum sibi a Lysia persuaderi passus esset, vt pontificatum ab hac familia in aliam transferret.* In vita §. 33. ΜΕΤΑΤΙΘΕΝΤΑΙ τὰς γνώμας, *mutant sententias.* Et sic §. 39. B. I. I, 28, 4. ΜΕΤΑΘΕΙΝΑΙ τὰς γάμες, *mutare matrimonium.* Et sic paullo post. C. Apion. I. c. 28. ΜΕΤΑΘΕΜΕΝΟΣ (ὄνομα) Μωϋσῆν αὐτὸν προσηγόρευσεν· *Cum nomen sibi mutasset, Mosen se appellauit.* Videsis, quae supra ad Galat. I. 6. in hanc rem afferebamus.

v. 13. Ἀφ' ἧς ὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ) *Ex qua nemo altari operam dedit.* Vide, quae de hoc τῦ προσέχειν significatu diximus supra ad 1. Timoth. III. 8. quamquam is significatus non tam a profanis scriptoribus, quam a LXX. Senioribus repetendus videtur, qui, vti Ebraei קָרַב, ita προσέχειν, pro *ministrare* vsurparunt.

v. 19. Ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος) Vox ἐπεισαγωγὴ paullo rarior, itaque a H. STEPHANO in Thes. Gr. L. T. I. p. 74. eo significatu, quo *superinductionem,*

nem, *aduenticium quid* notat, nulla auctoritate confirmata, extat apud Iosephum A. XI, 6, 3. vbi intimi amici regis Artaxerxis, ob vxorem dimissam valde contristati, id consilii ei dant, vt ex toto regno virginum conquisitarum vnam sibi in matrimonium eligat; Σβέννυσθαι γὰρ τὸ πρὸς τὴν προτέραν φιλόστοργον ἑτέρας ΕΠΕΙΣΑΓΩΓΗι, καὶ τὸ πρὸς ἐκείνην εὔνουν, ἀποσπώμενον, κατὰ μικρὸν γίνεσθαι τῆς συνούσης. *Nouae enim SVPERINDVCTIONE, s. noua introducta, fore, vt prioris vxoris sensim extinguatur cupiditas, et beneuolentia, illi paullulum subtracta, in ipsam transeat, quae cum eo versabitur.*

v. 23. Διὰ τὸ θανάτῳ κωλύεσθαι παραμένειν) Praestantissimus WOLFIVS παραμένειν interpretatur *permanere*, scilicet in vita: sed hanc interpretationem nullo modo approbare possum. Quis enim hic sensus foret: *Quoniam propter mortem impediti sunt, quominus MANERENT IN VITA?* haec esset sane ταὐτολογία quam maxime ingrata, cum illa verba, διὰ τὸ θανάτῳ κωλύεσθαι, iam satis dilucide ostendant, *eos non potuisse permanere in vita.* Mihi igitur dubium non est, quin παραμένειν reddendum sit, *permanere in Sacerdotio*, vt Paullus dicat, *Pontifices V. T. morti quippe obnoxios, non potuisse perpetuo isto amplissimo munere fungi.* Ex hac interpretatione oppositio magis constabit inter Christum et inter V. T. Pontifices. Addam huic interpretationi stabiliendae vnum Iosephi locum, huic Paullino simillimum, vbi παραμένειν eodem, quo hic sumendum diximus, significatu occurrit. Is igitur A. XI, 8, 2, παραγένομενος ὁ Μανασσῆς πρὸς τὸν πενθερὸν Σαναβαλλέτην, στέργειν μὲν ἔλεγεν αὐτοῦ τὴν θυγατέρα Νικασῶ, τῆς μέντοι ΙΕΡΑΤΙΚΗΣ ΤΙΜΗΣ, μεγίστης οὔσης ἐν τῷ γένει καὶ ΠΑΡΑΜΕΝΟΥΣΗΣ, οὐ βούλεσθαι δι᾽ αὐτὴν στέρεσθαι. *Adiit Manasses socerum Sanaballetem, et se quidem amare dicebat filiam eius Nicaso, sic tamen, vt sacerdotali honore (qui in gente sit maximus, et in eadem familia MANEAT) priuari propter eam haud velit.*

v. 26.

v. 26. ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν) Varia sunt loca Iosephi, in quibus simillima his Paullinis tradit. A. III, 12, 2. Μὴ μόνον δὲ περὶ τὰς ἱερουργίας ΚΑΘΑΡΟΥΣ εἶναι, σπουδάζειν δὲ καὶ περὶ τὴν αὐτῶν δίαιταν, ὡς αὐτὴν ΑΜΕΜΠΤΟΝ εἶναι καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, οἱ τὴν ἱερατικὴν στολὴν φοροῦντες ΑΜΩΜΟΙ τέ εἰσι καὶ περὶ πάντα καθαροὶ καὶ νηφάλεοι· *Nec solum in Sacris obeundis puros esse voluit, sed et operam dare, vt in quotidiana vitae consuetudine sese irreprehensibiles praestent; ideoque, qui sacram vestem induunt, et ab omni culpa vacui sunt, et praeterea casti et abstemii.* XIX, 6, 4. vbi Ionathas Pontificatus honorem, ab Agrippa oblatum, fratri suo deferri cupit: πάσης καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ἁμαρτίας καὶ πρὸς σὲ, βασιλεῦ, ΚΑΘΑΡΟΣ ἀδελφός ἐστί μοι πρέποντα τῇ τιμῇ τοῦτον συνίστημι. *Est mihi frater, ab omni et in Deum, et aduersum te, Rex, peccato immunis: hunc tibi commendo, vt qui isto honore dignus sit.*

CAPVT IX.

V. 1. Quae in hoc cap. v. 1. 2. 4. 5. 6. 7. ex Iosepho illustrationis aliquid accipere potuissent, ea, quoniam iam diligentia IO. BAPTIST. OTTII *in Spicileg. ex Iosepho ad N. T.* p. 466. sqq. afferre occupauit, non esse puto, quare hic iterum afferam.

v. 12. Αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος) Non erat sollicitanda recepta lectio, et eius loco altera illa εὑρόμενος substituenda; cum illa forma vocis apud cultissimae dictionis Scriptorem occurrat. Sic apud Iosephum A. I, 19, 1. de Iacobo, πάππου δόξαν ἀρετῆς μεγάλης ΕΥΡΑΜΕΝΟΥ· *Cum acquisieris tibi gloriam virtutis avi tui.*

v. 25. ὁ ἀρχιερεὺς εἰσέρχεται εἰς τὰ ἅγια) h. e. *in adytum.* Neque hoc mirum cuiquam videri debet, cum totum Templum vocatum fuerit Ἅγιον, teste Iosepho, A. III, 6, 4. ὁ μὲν πᾶς νεὼς ΑΓΙΟΝ ἐκαλεῖτο: vbi

vbi quae commentatur RELANDVS, Vir in hoc literarum genere verſatiſſimus, digna ſunt, quae huc transferam: "Si et Sanctum, et Sanctum Sanctorum, inquit, „ἅγιον appellatum fuit, non debuit ab aliis reprehendi „Paullus, ſcribens Hebr. 9. 25. Pontificem ſemel in anno „in τὰ ἅγια ingreſſum non ſine ſanguine, quod, etiam„ſi de ſolo Sancto intelligatur, veriſſimum eſt: ſed de„mus, Sanctum Sanctorum hoc nomine innui, Ἁγίων no„men vtrumque ſpatium comprehendit. Et, non igno„raſſe Paullum, Pontificem ingredi ſolere in Sanctum San„ctorum, liquet ex commate ſeptimo. Ergo τὰ ἅγια, „מקדש, vti Leuitic. 19. 30. Graeci habent, id eſt San„ctuarium ſiue Sanctum, et Sanctum Sanctorum." Et mox, vbi Ioſephus dicit, τὸ δὲ ἄβατον, τὸ ἐντὸς τῶν τεσσάρων κιόνων, τοῦ ἁγίου τὸ ἅγιον, *adytum vero, quod intra quatuor columnas, Sanctum Sanctorum vocatur*, ita pergit ille Vir doctiſſimus: "Id confirmat modo notata, ſic vt „conclaue interius pars fuerit τοῦ ἁγίου (quo nomine ta„bernaculum vniuerſum, ex duobus conclauibus compoſi„tum, dicitur) ſed pars ſanctior, τὸ ἅγιον ipſius ἁγίου· τὰ „ἐσώτατα τῶν ἁγίων appellat Philo, et Ezechiel 41, 23. „קדש τὸ ἅγιον hoc vocat, et partem priorem היכל. „Caeterum, quum hoc Conclaue Sanctum dicitur Sancto„rum, non eſt, quod hoc alio reſpectu ita nuncupatum „credamus, quam quod ſit Sanctiſſimum. Ita et ſacrifi„cia quaedam appellantur קדש קדשים *Sancta San„ctorum*, id eſt, Sanctiſſima." Haec ille Vir eruditiſſimus.

v. 27. Ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν) Eadem loquendi ratio eſt apud Ioſephum de Maccabaeis §. 8. μετὰ στρεβλῶν ἀποθανεῖν ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ, *Conſtitutum, decretum eſt, vos tormentorum cruciatibus mori.*

CAPVT X.

V. 29. Καὶ τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐνυβρίσας;) Eadem conſtructione hoc verbum eſt apud Ioſephum A. V. 8, 12.

8, 12. ἄγεται μεταπεμψαμένων ὁ Σαμψὼν εἰς τὸ συμπόσιον, ὅπως ΕΝΤΥΒΡΙΣΩΣΙΝ αὐτὸν παρὰ τὸν πότον· *Samson, ab illis accitus, in conuiuium adducitur, vt ei inter compotandum illuderent.* Apud eundem cum praepositione εἰς construitur, A.I, 1, 4. vbi Deus ad Adamum, Νῦν δ' ΕΙΣ ταύτην μου τὴν γνώμην ΕΝΤΥΒΡΙΣΑΣ, παρακούσας τῶν ἐμῶν ἐντολῶν. *Nunc autem tu praecepta m a sprevisti, et hanc voluntatem meam illusisti.*

v. 38. Καὶ ἐὰν ὑποστείληται) De huius Verbi significatu multis disputabamus supra ad Actor. XX. 20. Hic illud addendum, Viros quosdam doctos partim nimis temerarie agere, qui Textum Ebraicum Habac. II. 4. sollicitandum, partim nimis dilute, qui LXX. Seniores et Apostolum excusandos putent, cum Ebraicum עפל per ὑποστέλλεσθαι reddiderint. Nam עפל non solum *elatum esse*, sed etiam *subducere se*, et *occultare*, denotat: vnde, cum hoc Verbum in Nominis naturam transit, non tantum *locum excelsum* et *munitum*, sed *absconditum* etiam et *occultum*, significat: v. c. 2. Reg. V. 24. ויבוא אל־העפל quod LXX. Seniores, καὶ ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινόν. Recte igitur Ebraica, הנה עפלה, *Ecce, subducitur s. siquis se subduxerit.* Sed pluribus de toto hoc Paullino et Habacuci loco, et eorum conciliandorum ratione, docte accurateque disputat PEARSONUS, Vir exquisite doctus, in *Praefatione Paraenetica ad LXX. Viralem.*

v. 39. Ἡμεῖς δὲ οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς) Vox ὑποστολὴ apud Iosephum pro *metu*, B. I. II, 14, 2. Γέσσιος Φλῶρος - - λάθρα τὰ πολλὰ, καὶ μεθ' ΥΠΟΣΤΟΛΗΣ ἐκακούργησε· *Gessius Florus - - clam et dissimulanter patrauit.* Sed is significatus huc non facit. Melius huc pertinet alius locus XVI. 4. 3. τὴν ἀρχὴν, ἣν σὺ φῂς ἔπαθλον εὐσεβείας, συμβαίνει πολλάκις αἰτίαν γενέσθαι τοῖς πονηροτάτοις ἐλπίδων, δι' ἃς οὐδὲ μίαν ΥΠΟΣΤΟΛΗΝ ποιοῦνται κακοηθείας· *saepe fit, vt principatus, quem tu dicis esse pietatis praemium, homines flagitiosissimos ad spem excitet, quae facit, vt NIHIL MALI intentatum relinquant.* Sensus

sus Paullini dicti est: *Nos non sumus ii, qui nos Deo, nostraeque saluti subtrahamus:* in voce ὑποςολῆς subintellecto τῷ υἱοί.

CAPVT XI.

V. 4. Πίςει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ Θεῷ) Causam huius sacrificii et accepti et reiecti longe aliam affert Iosephus A. I, 2, 1. hanc scil. quod Deus magis laetetur rebus sponte natis, quam in quibus solertia humana ac vis aliqua cernatur. Sed grauiter hic erravit Iosephus, Rabbinorum lubrica auctoritate haud dubie deceptus. Bene ad h. l. HAVERCAMPVS: *Iosephum, Rabbinos secutum, in causa probati et improbati sacrificii peccare, ostendunt* Cunaeus *de Republ. Hebr.* Heideggerus *in Histor. sacr.* Boeclerus *in Dissertat. Academ. cum aliis quam plurimis.*

v. 10. Ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεός) Mirum sane, inter Patres, notante ELSNERO, fuisse, qui negarent, vocem δημιουργῦ Deo conuenire. Nam non solum a scriptoribus sacris, sed profanis etiam, ea Vox Deo saepissime tribuitur. Iosephus A. VII, 14, 11. τὸν Θεὸν εὐλογεῖν ἤρξατο μεγάλῃ βοῇ, πατέρα τε καὶ γενέτορα τῶν ὅλων ἀποκαλῶν, καὶ ΔΗΜΙΟΥΡΓΟΝ ἀνθρωπίνων καὶ θείων· *Dauides Deum elata voce laudare coepit, patrem atque genitorem mundi vniuersi appellans et CREATOREM rerum humanarum et coelestium.* Et A. I, 18, 6. vbi Isaacus Deum, inter caetera, ita inuocat: Δέσποτα παντὸς αἰῶνος, καὶ ΔΗΜΙΟΥΡΓΕ τῆς ὅλης ὐσίας· *Domine omnium seculorum, et rerum vniuersitatis CONDITOR!* Neque aliter apud Philonem sexcentis fere locis.

v. 19. Αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο) Satis notum, quantopere doctissimi Interpretes in huius loci interpretatione dissentiant et fluctuentur. LAMB. BOS et IO. ALBERTIVS voces ἐν παραβολῇ reddunt, *in similitudine*, vel,

vel, *per similitudinem*, sensumque putant hunc: *reputasse Abrahamum, Deum vel ex mortuis posse resuscitare et reddere filium, si eum obtulisset, quemadmodum etiam eum primo, cum ipsi nasceretur, quasi ex mortuis acceperat.* Sed haec interpretatio ne minima quidem veri specie commendabilis est, iure adeo a WOLFIO reiecta. Ipse WOLFIVS aliam amplectitur, non magis commendabilem. Nam voces ἐν παραβολῇ de *similitudine typica*, cum aliis multis, accipit, vt *Isacus, a certissimo mortis periculo liberatus, typum et figuram praestiterit Christi, aliquando Dei offerendi, et ex mortuis resuscitandi.* Quae interpretatio, etsi multos nostratium Theologorum habet ὁμοψήφους, tamen, vereor vt admitti possit. Nam in toto hoc capite ne vestigium quidem deprehenditur, quod nos eo ducat, vt suspicemur, Isacum tanquam typum aliquem Christi induci. Quid? quod ne ratio quidem graecae linguae eum sensum concedit. Scio, Ebraicum במשל Graecis ἐν παραβολῇ respondere: sed id vsurpatur ratione loquendi ab hac nostra longe diuersissima. Nunquam enim mihi persuaderi patiar, vt credam, τὸν Ἰσαὰκ καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, significare, *Isacum recepit, VT ESSET TYPVS CHRISTI:* exemplum similis locutionis desidero. Nam quod WOLFIVS huic interpretationi stabiliendae vrget illud καὶ, *etiam in similitudine*, id eam plane nihil iuuat. Omnium primus, quantum equidem sciam, vnice veram huius loci nterpretationem protulit RAPHELIVS, (quam, miror, WOLFIO displicere potuisse) qui ἐν παραβολῇ sumit pro παραβόλως, loquendi ratione Graecis vsitatissima, et interpretatur, *praeter spem et exspectationem;* vt sensus sit: *Abrahamo praeter spem, praeterque opinionem hoc venisse, vt filium suum viuum reciperet, cum iam in eo esset, vt ipsum immolaret.* Quae interpretatio, quemadmodum graecae linguae conueniens est, ita ab ipsa re, Genes. XXII. v. 10. sqq. narrata, luculentissime confirmatur. Sed huic interpretationi magnam auctoritatem, graue pondus addit Iosephus, qui in eadem re tradenda, quod hic Apostolus

ſtolus ἐν παραβολῇ dixit, id per παρ' ἐλπίδας exprimit. Locus eſt A. I, 13, 4. vbi, cum narrauerat, Deum Abrahamo, iamiamque Iſacum immolaturo, arietem ex improuiſo ad ſacrificium oſtendiſſe, ita pergit: οἱ δὲ ΠΑΡ' ΕΛΠΙΔΑΣ ἑαυτοὺς ΚΕΚΟΜΙΣΜΕΝΟΙ, καὶ τοιούτων ἀγαθῶν ἐπαγγελίας τετυχηκότες, ἠσπάζοντο ἀλλήλους· *At illi, PRAETER SPEM ſibi redditi, nactique tantae felicitatis promiſſionem, mutuo ſe complectebantur.* Idem igitur Apoſtolo ἐν παραβολῇ eſt, quod alias παραδόξως, ſ. ἐκ παραδόξου, quo Ioſephus in ſimili re vtitur, vbi aliquis ex certiſſimo mortis periculo, praeter omnem ſpem expectationemque, liberatus et ſeruatus eſt. Sic v. c. de Moſe, expoſito, certiſſimae morti deſtinato, ſed praeter omnem ſpem ſeruato, et educato, A. II. 9, 3. dicit, τραφεὶς δὲ ΠΑΡΑΔΟΞΩΣ, *praeter omnium ſpem educatus:* et paullo poſt §. 4. de tota hac re egregie: ἔνθα καὶ διέδειξεν ὁ Θεὸς - - - σωζομένους ΕΚ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ καὶ σχεδὸν ἐκ μέσου τῶν κακῶν εὑρισκομένους τὴν εὐπραγίαν, τοὺς κινδυνεύοντας τῇ τοῦ Θεοῦ γνώμῃ· *Et tunc* (exemplo Moſis) *demonſtrauit Deus, - - illos, qui ex arcano Dei conſilio in periculum coniici videantur, praeter opinionem ſeruari, et ex mediis fere calamitatibus ad felicitatem emergere.* Eſt igitur ἐν παραβολῇ h. l. idem quod παρ' ἐλπίδα, παραδόξως· Et ſic παράβολον idem quod *mirum:* vnde παράβολον et ἄπιστον iunguntur apud Ioſephum A. VI. 10, 2. Senſus Paullinorum verborum igitur hic eſt: *Vnde etiam illum ex imminente mortis periculo praeter omnem ſpem et expectationem recepit:* Ita enim ἐκομίσατο reddendum, vt apud Ioſephum A. XIII, 4, 1. Alexander dicitur τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ΚΟΜΙΣΑΜΕΝΟΣ, *patrium imperium RECEPISSE.*

V. 26. Ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν) *Reſpiciens ad remunerationem, ſ. rationem habens remunerationis.* Ita enim eleganter ἀποβλέπω apud optimum auctorem: exemplis, ab aliis iam in hanc rem adductis, addamus haec Ioſephi: A. XX. 3, 2. Artabanus, Parthorum

 rex,

rex, in ſummo et dignitatis, et vitae periculo verſatus, ad Izaten confugit, ab eoque ſupplex auxilium petiit his verbis: *βασιλεῦ, μὴ περιίδῃς με τὸν σὸν οἰκέτην, μηδὲ ὑπερηφανίσῃς δεομένου· ταπεινὸς γὰρ ἐκ μεταβολῆς γενόμενος, καὶ ἐκ βασιλέως ἰδιώτης, τῆς σῆς ἐπικουρίας χρῄζω.* ΒΛΕΨΟΝ *οὖν εἰς τὸ τῆς τύχης ἄστατον· O Rex, ne deſpicias me famulum tuum, neque contemnas ſupplicem. Nam ex mutata fortuna depreſſus, et ex rege in priuati conditionem redactus, tua ope indigeo. RESPICE igitur fortunae inconſtantiam.* Et mox Artabanus ei auxilium tuliſſe narratur, *οὐκ εἰς τὸ παρὸν αὐτοῦ τῆς τύχης* ΑΠΟΒΛΕΠΩΝ, *ἀλλ᾽ εἰς τὸ πρότερον ἀξίωμα: non ad praeſentem ipſius conditionem RESPICIENS, ſed ad priſtinam dignitatem.* B. I. II, 15. 1. de Geſſio Floro: *ὁ μὲν, οὔτε εἰς τὸ πλῆθος τῶν ἀναιρουμένων, οὔτε εἰς τὴν εὐγένειαν τῆς παρακαλούσης, ἀλλ᾽ εἰς μόνον τὸ λυσιτελὲς τὸ ἐκ τῶν ἁρπαγῶν* ΑΠΟΒΛΕΠΩΝ, *παρήκουσεν. Ille quidem non ad multitudinem interfectorum, neque ad nobilitatem eius, quae obſecrabat, ſed tantum ad ſuum ex rapinis quaeſtum RESPICIENS, audire recuſauit.* Eodem ſenſu *ἀπιδεῖν* et *ἀφορᾶν* apud eundem, A. II, 6, 1. *ὁ βασιλεὺς προσηγόρευσεν αὐτὸν Ψοθομφάνηχον,* ΑΠΙΔΩΝ *αὐτοῦ πρὸς τὸ παράδοξον τῆς συνέσεως· Rex Ioſephum Pſothomphanechum cognominauit, RESPICIENS ad incredibilem ipſius prudentiam.* V, 1, 26. *πρὸς τὸ μέγεθος τῆς παρανομίας* ΑΠΙΔΟΝΤΑΣ, *ad culpae magnitudinem RESPICIENTES.* VII, 5, 4. de Dauide: *ἦν δὲ καὶ δίκαιος τὴν φύσιν, καὶ τὰς κρίσεις πρὸς τὴν ἀλήθειαν* ΑΦΟΡΩΝ *ἐποιεῖτο. Erat autem et natura iuſtus, et iudicia, ad veritatem RESPICIENS, exercebat.*

v. 28. Πίστει *πεποίηκε τὸ πάσχα - - τὰ πρωτότοκα θίγῃ αὐτῶν*) De hac re, praeter ſacras literas Exod. C. XI, XII. 1. Ioſephus A. II, 14, 6. quem locum adeant ſtudioſi.

v. 29. Πίστει *διέβησαν τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ὡς διὰ ξηρᾶς*) Extat de hac re Moſis oratio et precatio ad Deum,

Deum, pietatis fideique plenissima, apud Iosephum A. II. 16, 1. digna, quae legatur. Hic vero praetereundum silentio non est, Viros doctos plerosque Iosepho graue quoddam impingere crimen; quod in describendo miraculoso illo transitu Hebraeorum per mare rubrum ita versatus sit, vt illud tantum miraculum diuinum extenuasse videretur. Nam l. c. §. 5. hunc Hebraeorum transitum per mare comparat cum Pamphylico, Alexandri M. tempore, transitu obliquo: quod Viris doctis suspicandi occasionem dedit, Iosephum ipsum de stupendo illo miraculo diuino dubitasse. Sed iniuriam sane faciunt Iosepho, qui ita sentiunt. Iosephum enim de huius miraculi veritate non dubitasse, vel illud indicat; quod l. c. disertis verbis testetur; quicquid de hoc miraculoso transitu tradiderit, id se ex sacris literis edoctum narrasse. Iam; cum ex omnibus Iosephi scriptis appareat, eam summam fidem summamque auctoritatem literis sacris tribuisse; facile quiuis Lector, antecaptae opinionis quasi vinculis non impeditus, ipse intelligit, Iosephi animo ne minimum quidem dubitationis de hoc miraculo insidere potuisse. Quod autem affert similis miraculi exemplum; in transitu exercitus Alexandri M. per mare Pamphylium editum; id in gratiam Gentilium, quibus fere scripti sunt hi Antiquitatum libri; fecit, vt totam eam rem, miraculosam, simili exemplo ex historia profana petito, iis probabiliorem redderet. Neque vero illud leuissimam suspicandi causam praebet; quod Iosephus in fine huius narrationis hanc quasi solennem loquendi formulam addat: περὶ μὲν ἒν τέτων, ὡς ἑκάςῳ δοκεῖ, διαλαμβανέτω· *At enim de his quisque, vt libuerit; sentiat*: quae cum multis Viris doctis sinistre de Iosepho iudicandi occasionem praebuerit; rem facturum me esse spero multis Lectoribus meis (quibus Iosephi Editio HAVERCAMPI ad manus non est) non minus vtilem; quam gratam; si adnotationem RELANDI, ad hunc Iosephi locum scriptam; hic apposuero. Ita autem ille Vir longe doctissimus: „Hoc loquendi modo non „indicat Iosephus, se dubitare; verumne sit; quod dici-

 „tur

„tur de transitu Israëlitarum per Mare Rubrum; sed tan-
„tum, quia Gentibus scribit, his verbis vtitur, vt, si haec
„iis fidem superare videantur, suo fruantur arbitrio, nec
„propterea a legendis reliquis, quae traditurus est, abster-
„reantur. Nam ipsum non dubitasse hac de re, satis osten-
„ditur ex modo, quo narrat, et quod ex sacris Volumini-
„bus se haec edoctum testetur. Infra Lib. III, c. 10. vtitur
„eodem loquendi modo, postquam dixerat, falso credi,
„Mosen et Israëlitas ob lepram Aegypto pulsos, *περὶ τούτων*
„*ἕκαστος, ὡς αὐτῷ δοκεῖ, σκοπείτω.* Num et hoc incertum
„esse, ibi dicere voluit? Sic Lib. III. 4. vbi de adscensu Mosis
„in montem Sinai: *de illis*, inquit, *quisque sentiat, vt vo-*
„*let.* Ita eadem clausula librum hunc terminat, agens de
„diuinitate legum Mosaicarum. Antea Lib. I. cap. 4.
„ubi de Noacho, quod tantus natu diem obierit, eadem
„verba vsurpat, et, vti hic, exempla ex historiis Gentium
„profert, vt probabilior ipsis res fiat. Ita et Lib. IV. 6. de
„Bileamo. Infra quoque cap. 4. libri octaui, postquam di-
„xit, solos esse Iudaeos inter Syros in Palaestina, qui circum-
„cidantur quod *δῆλον* est, quod liquido constat: addit ta-
„men, *de his quisque, vt volet, arbitretur.* Sic Librum de-
„cimum octauum iisdem verbis terminat. Confer. et Lib. XII.
„cap. 13. in fine, et Lib. XIX. cap. I. Quum his verbis tam
„frequenter vti soleat in libris Antiquitatum, non memini,
„in libris de Bello vel semel illa legisse. Quod si me fugerit,
„id tamen puto in causa esse, quamobrem toties in libris An-
„tiquitatum legatur, quod hos in vsum gentium scripserit.
„Possemus ex aliis scriptoribus, qui iis verbis vsi sunt in re-
„bus certissimis, vti sane ipsis persuasum erat, hoc, quicquid
„est, confirmare, nisi rem ad liquidum esse perductam pu-
„taremus.“ Haec verissime RELANDVS.

v. 35. *Ἔλαβον γυναῖκες ἐξ ἀναστάσεως τοὺς νεκροὺς αὐτῶν*) *Λαμβάνειν* h. l. omnino reddendum, *receperunt:* nec dubium est, quin respiciatur ad historiam viduae Sareptanae, cuius filium Elias e mortuis suscitauit, et Sunamitidis, cuius filium Elizaeus matri reddidit. *Λαμβάνειν* autem

tem pro *recipere* est apud Iosephum A. II, 6, 7. ὡς δὲ τὸ τῦ Βενιαμὶν φορτίον ἐρευνῶντες ΛΑΜΒΑΝΟΥΣΙ τὸν σκύφον· *Vt vero Beniaminis sarcinam scrutati sunt, receperunt scyphum.*

ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν) De huius Verbi vsu multi multa: mihi quidem non displicet interpretatio, quam ante aliquot annos attuli in *Libello de Vsu et Praestantia Rom.* Historiae in Interpret. N. T. p. 92. cum τυμπανισθέντες esse dicebam, *qui cuidam instrumento*, τύμπανον *dicto, illigati atque adstricti, virgis caesi, sunt extenti.* Hic addamus ex Iosepho, quae ei interpretationi stabiliendae aliquid auctoritatis addere possunt. Lib. I. contra Apion. §. 20. ὑπὸ τῶν φίλων ΑΠΕΤΥΜΠΑΝΙΣΘΗ, *a necessariis suis cum cruciatu interfectus est:* et in Libro *de Maccabaeis* §. 9. illud τυμπανίζεσθαι dilucide interpretatur per τροχὸν προσεπικατατείνειν: vbi bene COMBEFISIVS: quod instrumentum *rotam* Iosephus vocat, τροχὸν, auctor 2. Maccab. libri τύμπανον, quo etiam alludit Paullus Hebr. V. (scr. XI.) v. 35. ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν· vbi bene interpr. *alii distenti sunt:* Sic nimirum, tympani in morem, in eius generis cruciatorio instrumento ad omne genus suppliciorum aptati, et ad ipsum ignem, vt Iosephus significat: sic forte illa machina rotabatur, vt in illa distentum corpus ad prunas, illis urendum, deprimi posset, et ad verbera, seu alias excarnificandum, vnguibus ferreis, aliisque leuari: ea distensione ex tortorum arbitrio tormentis omnibus coaptatum. Haec COMBEFISIVS. Caeterum huius generis poenarum, quas pios subiisse Apostolus commemorat, aliquot exempla prodit Iosephus A. XII, 5, 4. Nam cum Antiochus, vrbe vastata, in Iudaeos crudeliter saeuire coepisset, eosque, patriis ritibus relictis, Graecorum mores imitari cogere vellet, multi vltima supplicia perpeti, quam a patris ritibus desciscere maluerunt.

CAPVT XII.

V. I. *Τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα*) Loquendi ratio est agonistica, et petita a cursoribus, qui stadium absoluunt. De voce *πρόκειμαι* satis multa afferebamus supra ad C. VI. v. 18. Addamus hic quaedam alia loca ad hunc Paullinum pertinentia. A. IV, 6, 3. *καταδείσας δ' ὁ Βάλαμος, οἷός τε ἦν ἀναστρέφειν. ἀλλὰ Θεὸς αὐτὸν χωρεῖν τὴν* ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗΝ (*ὁδὸν παρώρμησεν. Balamus autem perterritus redire voluit: sed eum ad propositum s. destinatum iter finiendum incitauit.* XI. 6, 13. *Οἱ μὲν οὖν ἱππεῖς · εὐθὺς ἐξορμήσαντες τὴν* ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗΝ *ὁδὸν ἤνυον Equites autem, e vestigio profecti, iter suscipiendum conficiebant.* Sensus autem Apostoli est: *Curramus in stadio, nobis proposito ad decurrendum*: Voce *ἀγὼν* pro *loco s. stadio* sumpta.

v. 2. *Τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς*) Vide supra ad C. VI. v. 18. Adiunge hunc vnicum locum, A. IV. 6, 4. *vbi* Balamus, inscius, et praeter voluntatem suam, Hebraeis futuram fecilitatem praedicit, *ἀλλὰ τῶν νῦν ὑμῶν ὀλίγων ἡ Χαναναία χωρήσει γῆ, τὴν δ' οἰκουμένην οἰκητήριον δι' αἰῶνος ἴστε* ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗΝ *ὑμῖν· Quin vos iam non adeo multos terra excipiet Chananaea: orbem vero terarum scitote vobis propositum s. destinatum esse habitaculum.*

v. 3. *Ἵνα μὴ κάμητε, ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν ἐκλυόμενοι*) Siue receptam distinctionem sequare, siue *στιγμὴν* post *κάμητε* cum HOMBERGIO tollas, sensus erit idem. Haec duo Verba autem e palaestra et ab athletis desumpta sunt, qui proprie dicuntur *κάμνειν*, et *ψυχαῖς ἐκλύεσθαι*, *cum corporis viribus debilitati et fracti, omnique spe vincendi abiecta, victas manus dant aduersario*: quod alias Graeci vocibus *ἀπαυδᾶν*, *ἀπαγορεύειν* et *ἀπογινώσκειν* exprimunt: de quibus *πολυμαθέστατος* P. FABER in Agonist. Lib. I. C. VIII. neque dubium est, quin Apostolus eo respexerit. Iosephus A. II. 10, 2. *τῆς διὰ Μωϋσῆν εὐπραγίας γευσάμενον τὸ τῶν Αἰγυπτίων στράτευμα πονεῖν οὐκ*

EKAM-

NEN· *Aegyptiorum exercitus, post res Mosis auspiciis feliciter gestas, nulla labore fatigabatur.* Eodem Lib. 13, 4. de Mose, ὁ δὲ ὔτε πρὸς τὰς τῦ βασιλέως ἀπειλὰς ΕΚΑΜΝΕΝ, ὔτε πρὸς τὰς τῶν Ἑβραίων μέμψεις ἐνεδίδυ· *Ille vero neque propter Regis minas studium intermisit, neque Hebraeorum querelis et increpationibus cessit:* Et 15, 5. Μωϋσῆς δὲ, καίπερ ἀγριαίνοντος πρὸς αὐτὸν τῦ πλήθυς, ὔτ' αὐτὸς ΕΝΕΚΑΜΝΕ τῇ περὶ αὐτῦς προνοίᾳ, *Moses autem, vtut in eum efferata esset multitudo, neque ipse quicquam de cura illorum remisit:* vnde A. V, 1, 1. ἡ πρόνοια μὴ καμῦσα, *cura indefessa.* VI, 13. μὴ ΚΑΜΝΕΙΝ τοῖς παρῦσι, *ob praesentia mala animum non despondere.* Ἐκλύεσθαι autem est *animo defici, frangi.* Sic apud Iosephum XIII, 8, 1. narratur Hyrcanus Pontifex M. magnanimus et fortis primo fuisse in cruciatibus matris suae adspiciendis, et obsidione, qua Ptolemaeum premebat, vrgenda: ἡνίκα δὲ αὐτὴν (μητέρα) τυπτομένην ἴδοι καὶ σπαραττομένην, ΕΞΕΛΥΕΤΟ, καὶ τῆς ἐπὶ τοῖς εἰς τὴν μητέρα πραττομένοις συμπαθείας ἥττων ἐγίνετο, *Cum primum autem matrem verberari lacerarique videret, animo frangebatur, et a misericordia, ex malis matri illatis orta, vincebatur:* pro ἐκλύεσθαι paullo ante est μαλακίζεσθαι. B. I. I, 11, 8. Ὑρκανὸς δὲ παραχρῆμα μὲν ΕΚΛΥΘΕΙΣ ὑπ' ἐκπλήξεως, ἔπεσε· *Hyrcanus autem, animo defectus, prae stupore concidit;* vnde ἔκλυτος de eo, *qui animo defecit et fractus est*, idem quod ἐκλελυμένος, apud eundem VII, 12, 1. γενόμενος ΕΚΛΥΤΟΣ, *Cum animo esset fractus.* Et B. I. I, 19, 3. πρὸς δὲ τὴν ἐμβολὴν καταπλαγὲν τὸ ἔθνος, καὶ μεγέθει συμφορῶν ἐπαλλήλων ΕΚΛΥΤΟΝ συναγαγὼν Ἡρώδης, *Cum autem Herodes gentem, hac impressione perterritam, et calamitatum frequentium magnitudine fractam, congregasset.* Sic ἐκλύειν pro *vires alicuius debilitare, frangere* est apud eundem A. VIII, 11, 3. τὰς ἀκμὰς αὐτῶν ΕΞΕΛΥΣΕΝ ὁ Θεός· *Animos eorum viresque Deus fregit:* Et XIII, 8, 1. ΕΞΕΛΥΕ τὸ πρόθυμον, *animum despondere coepit.*

v. 12. Διὸ τὰς παρειμένας χεῖρας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε) Quemadmodum Paullus saepissime delectatur loquendi formulis ex re palaestrica petitis; ita dubium non est, quin hic quoque respexisse eo videatur. Athletis enim et luctatoribus tribuuntur παρειμέναι χεῖρες et παραλελυμένα γόνατα, *cum luctando ita defatigati, viribusque fracti sunt, vt neque manus neque pedes officio suo fungi possint, ipsique adeo victos se esse fateri cogantur.* Cf. in hanc rem P. FABER in Agonistico Lib. I. C. VIII. Quamquam multis seculis ante ita locutus est Iesaias C. XXXV. 3. חזקו ידים רפות וברכים כשלות אמצו quod LXX. Seniores reddiderunt ἰσχύσατε χεῖρες ἀνειμέναι, καὶ γόνατα παραλελυμένα παρακαλέσατε. Eodem sensu παρίημι est apud Iosephum A. VI. 14, 6. de Dauide, ἐπὶ τοσοῦτον ΠΑΡΕΙΘΗ τοῖς κακοῖς, ὥστε αὐτὸν ἐπιλείπειν ἤδη καὶ τὰ δάκρυα. *Tantum malis cum amicis indulsit, vt etiam lacrimae ipsum deficerent.* Et mox: ὑπ' ἐνδείας καὶ λιμοῦ ΠΑΡΕΙΜΕΝΩι, *Cum inopia et fame languesceret.* Et B. I. V, 2, 4. τὼ χεῖρε καὶ τὰς πανοπλίας ΠΑΡΕΝΤΕΣ, *manibus armisque remissis:* Et Lib. VI. Ant. C. III, §. 3. ΠΑΡΕΙΜΕΝΟΣ ὑπὸ τοῦ γήρως, *Senectute debilitatus.*

* *

EPISTOLA S. IACOBI.

CAPVT I.

V. 7.

Ἵνα ἦτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι) Mihi quidem dubitatio nulla est, quin his vocibus Apostolus respexerit ad integritatem cum sacrificiorum, tum sacerdotum in V. T. quos oportebat perfectos, integros, et ab omnibus macu-

lis

liset vitiis remotos esse. Nec video, qua ratione WOLFIVS, ὁ πάνυ, commotus, scripserit, *haec longius petita videri:* nihil mihi hic videtur longius petitum. Sed, age, afferamus quaedam ex Iosepho vocis ὁλοκλήρε exempla, et primo quidem de sacrificiis. A. III, 9, 2. τὰς χαριστηρίες θυσίας ἐπιτελῦντες, τὰ αὐτὰ μὲν ζῶα θύεσιν· ΟΛΟΚΛΗΡΑ δὲ ταῦτα· *Cum pro gratiarum actione sacrificant, animalia quidem mactant eiusdem generis: ista vero INTEGRA;* mox §. 3. οἱ δ' ἀδύνατοι πορίζειν τὰ τέλεια θύματα· *quibus vero non erat facultas adipiscendi victimas maiores.* Eodem Lib. 12, 2. τὰ ἱερεῖα θύεσιν ΟΛΟΚΛΗΡΑ, καὶ κατὰ μηδὲν ΛΕΛΩΒΗΜΕΝΑ, *victimas mactant integras, omnique vitio carentes.* De Sacerdotibus autem est A. III. 12, 2. Ἀφελεῖς εἶναι πᾶσαν ἀφέλειαν, τὸν δὲ μὴ ΟΛΟΚΛΗΡΟΝ τῶν ἱερέων νέμεσθαι πρὸς τὰς ἱερεῖς ἐκέλευσε τὰ γέρα· ἀναβαίνειν δὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν καὶ εἰσιέναι εἰς τὸν ναὸν ἐκώλυσε· μὴ μόνον δὲ περὶ τὰς ἱερεργίας καθαρὰς εἶναι, σπεδάζειν δὲ καὶ περὶ τὴν αὐτῶν δίαιταν, ὡς αὐτὴν ἄμεμπτον εἶναι· καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, οἱ τὴν ἱερατικὴν στολὴν φορῦντες ἄμωμοί τέ εἰσι καὶ περὶ πάντα καθαροὶ καὶ νηφάλεοι· *Iussit lex Sacerdotes omni ratione puros et innocentes esse: item corpora integra habere, et ab omni vitio pura. Si cui tamen sacerdotum defectu aliquo laborare contigerit, iussit eum suam cum Sacerdotibus partem accipere: verum ad altare adscendere, et fanum intrare prohibuit. Nec solum in sacris obeundis puros esse voluit, sed et operam dare, vt in quotidiana vitae consuetudine se irreprehensibiles praestent. Ideoque, qui sacram sibi vestem induunt, et ab omni culpa vacui sunt, et praeter caetera casti et abstemii.* Est igitur ὁλόκληρος proprie *aptas et integras omnes corporis partes habens, nulloque corporis vitio deformis:* quod quomodo ad spirituales illos sacerdotes, de quibus hic Apostolus, transferendum sit, non difficile est ad intelligendum. Cf. ad hunc Iosephi locum RELANDVS, et quae nos supra ad Act. Apostol. III. 16.

v. 9.

Ἐν μηδενὶ λειπόμενοι) *In nulla re defectu aliquo laborantes.* Locutio est metaphorica, ducta e Veterum certaminibus. Proprie enim λείπεσθαι et ἀπολείπεσθαι dicuntur *cursores, qui in stadio certaturi, celeritate pedum, corporisque viribus destituti, ab aduersariis relinquuntur, atque adeo superantur.* In quam rem exempla suppeditabit P. FABER in Agonist. III. 16. Inde λείπεσθαι in vniuersum *destitui, deficí, alicuius rei defectu laborare.* Sic apud Iosephum in Prooemio Antiquitatt. §. 4. ὅτε αὐτῷ ποτ' ἂν γενέσθαι νοῦν ἀγαθὸν τῷ νομοθέτῃ ταύτης ΑΠΟΛΕΙΠΟΜΕΝΩι τῆς θέας· *Neque legislator ipse erit vnquam bona mente praeditus, si hac destitutus fuerit speculatione.* IX, 11, 2. de Iothamo, Iudaeae rege: ὥστε ὁ βασιλεὺς οὐδὲ μιᾶς ἀρετῆς ΑΠΕΛΕΙΠΕΤΟ· *Huic regi nulla virtus deerat.* Nec dissimili sensu λείπεσθαι dicuntur, *qui in iudiciis causa cadunt*, vt est apud Iosephum A. III. 4, 1.

v. 12. Ὅτι δόκιμος γενόμενος λήψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς) Et hic longe absum, vt dubitem, quin Apostolus respexerit ad Veterum Graecorum morem, in re athletica receptum. Antequam enim athletae ad decertandum pro *corona sacri agonis* admittebantur, indolem, virtutemque ac peritiam suam, cum coaeuis exercendo se, et in gymnasio ephebaeo, et in stadio, tam ipsi populo, quam Gymnasiarcho atque athleticis hellanodicis, approbare eos oportebat. Haec *probatio* et *quasi spectatio* Graecis dicitur δοκιμασία, ipsis autem Gymnasiarchis τὸ δοκιμάζειν tribuitur. Qui igitur in illa morum, virtutis, fortitudinis spectatione Gymnasiarchis et Hellanodicis probati erant, hi δόκιμοι dicebantur. Vid. in hanc rem P. FABER in Agonistic. Lib. III. C. XI. Exinde tot in N. T. allusiones et metaphorae longe iucundissimae. Ipse etiam Deus dicitur homines δοκιμάζειν, cum virtutis, fidei, constantiaeque eorum periculum facit. Ita eleganter, et ad hunc Iacobi locum conuenienter Iosephus A. III, 1, 1. in Oratione Mosis ad populum acriter

ter in ipſum concitatum: Προσδοκᾶν καὶ τῆς παρȣ́σης ἀπαλλαγῆναι ἀμηχανίας ἐκ τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ κηδεμονίας, ὃν εἰκὸς, ΔΟΚΙΜΑΖΟΝΤΑ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν, πῶς τε καρτερίας ἔχȣσι καὶ μνήμης τῶν προϋπηργμένων, εἰ μὴ πρὸς ἐκεῖνα γίγνοιντο διὰ τὰ ἐν ποσὶν κακὰ, γυμνάζειν αὐτȣ̀ς τοῖς ἄρτι χαλεποῖς· ἐλέγχεσθαι δὲ αὐτȣ̀ς ȣ̓κ ἀγαθȣ̀ς, ȣ̋τε περὶ τὴν ὑπομονὴν ȣ̋τε περὶ τὴν μνήμην τῶν εὖ, γεγονότων· - - - ἡγȣμένȣς δὲ ȣ̓ κατ᾽ ὀλιγωρίαν μέλλειν τὸν Θεὸν, ἀλλ᾽ ἐπὶ πεῖρα τῆς ἀνδρείας αὐτων· *Sperarent, etiam de praeſenti anxietate ſe Dei prouidentia liberandos, quem veroſimile ſit, (ad PROBANDAM eorum virtutem, et quantum tolerantiae haberent, vtque memoria tenerent miracula prius edita, et annon reſpicerent ad illa, in anguſtias nunc redacti) rebus hiſce aduerſis illos exercere; eos vero redargui, quod in malis perferendis non recte ſe geſſerint, nec promeritorum bene meminerint. - - - Secum vero reputarent, Deum non ex negligentia cunctari, ſed ad fortitudinem eorum explorandam.*

v. 14. ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος) Ioſephus XVI, 3, 1. οἱ δ᾽ ἐχρῶντο ταῖς διαβολαῖς, ΠΡΟΣΕΛΚΟΝΤΕΣ ἀεὶ τὰ μειράκια· *Illi vero improbe confictis vtebantur, iuuenesque alliciebant, ſ. pronocabant.* Philo de *Mundi Opific.* p. 38. ὁ δὲ (λογισμὸς) αὐτίκα ΔΕΛΕΑΣΘΕΙΣ, ὑπήκοος ἀνθ᾽ ἡγεμόνος, καὶ δȣ̃λος ἀντὶ δεσπότȣ -- γίνεται. *Ratio ineſcata, ex regina fit ſubiecta, et ex domina ſerua.* Et *de Agricultura* p. 202. Ἐν ȣ̓δέν ἐστι, ὃ μὴ πρὸς ἡδονῆς ΔΕΛΕΑΣΘΕΝ ΕΙΛΚΥΣΤΑΙ, καὶ ἐμφέρεται τοῖς πολυπλοκωτάτοις δικτύοις αὐτῆς, ἃ πολὺς διεκδῦναι πόνος. *Ne vnum quidem eſt, quod non ineſcatum a voluptate trahatur, et implicetur multiplicibus eius caſſibus, quos ſine noxa pertranſire ingens labor eſt.* Ex his autem exemplis apparet, non eſſe τῆς ἐκ in τῷ ἐξελκόμενος Iacobi vim et emphaſin, quam multi ſibi inueniſſe viſi ſunt.

v. 22. Παραλογιζόμενοι ἑαυτȣ̀ς) Vide, quae de hoc Verbo diximus ad Coloſſ. II, 4.

CAPVT III.

V. 13. Δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς) Saepe solent scriptores N. T. voce ἀναστροφῆς de ratione cum hominibus conuersandi, et vitae instituendae vti; qui vocis vsus cum caeteris Graecis sit paullo rarior, Viris quibusdam doctis suspicandi occasionem dedit, eum a Iudaeis, Graece minus culte locutis, esse deriuandum. Sed bonitatem huius vocis, huiusque significatus, vindicauit praestantissimus P. WESSELINGIVS in Diatr. de Iudaeorum Archontt. p. 14. Ipsum Verbum ἀναστρέφεσθαι pro *conuersari* est apud Iosephum A. I, 2, 1. τὸν ἄλλον χρόνον ἅπαντα μετ' αὐτῦ βλέπων αὐτὸν ΑΝΑΣΤΡΕΦΟΜΕΝΟΝ: *quem reliquo tempore cum ipso conuersari vidisset.* Ipsa vox ἀναστροφῆς apud eundem est, XVIII, 9, 6. XIX, 1, 16. sed longe alio, ac in N. T. sensu: nam in iis locis *refugium* denotat.

CAPVT IV.

V. 3. Ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε) Δαπανᾶν, quod alias fere sensu bono vsurpatur, hic sumendum pro *male absumere, perdere.* Sic apud Iosephum A. IV, 8, 2. βωμὺς καὶ ἄλση καὶ νεὼς, ὁπόσυς ἂν ἔχοιεν, καταῤῥίπτειν παραινῶ, καὶ ΔΑΠΑΝΑΙΝ πυρὶ τὸ γένος αὐτῶν καὶ τὴν μνήμην· *Aras et lucos et templa, quotquot habebunt, deiiciatis, et genus et memoriam eorum igni aboleatis.* A. VIII, 11, 4. Συνέβη, κατὰ τὴν τῦ Θεῦ προφητείαν, τὺς μὲν ἐν τῇ πόλει τῶν Ἱεροβοάμυ συγγενῶν ἀποθνήσκοντας ὑπὸ κυνῶν σπαραχθῆναι καὶ ΔΑΠΑΝΗΘΗΝΑΙ· *Accidit, prout Deus fore praedixerat, vt alii quidem ex Hieroboami cognatis, in vrbe interempti, a canibus laniati absumerentur.* XI, 6, 12. Εἰδέναι μέντοιγε βέλομαι καὶ πόλιν καὶ πᾶν ἔθνος, κἂν τῶν γεγραμμένων τινὸς παρακύσῃ, ὅτι καὶ πυρὶ καὶ σιδήρῳ ΔΑΠΑΝΗΘΗΣΕΤΑΙ. *Volumus autem ciuitati et genti omni notum esse, quod, quaecunque istis singulis,*

quae scripta sunt, non fuerit obsecuta, ferro et igne absumetur.

v. 9, Ἡ χαρὰ εἰς κατήφειαν) κατήφεια hic est *vehemens tristitia, ex conscientia scelerum commissorum orta*; quo sensu ea vox apud Iosephum est A. II, 6, 15. de fratribus Iosephi: ΚΑΤΗΦΕΙΑ δὲ πάντας εἶχε πρὸς τοὺς Ῥουβίλου λόγους· *Omnes vero incessit moeror ex Rubeli sermone.*

CAPVT V.

V. 12. Μὴ ὀμνύετε μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν) Eadem constructio Verbi ὀμνύω est apud Iosephum A. V, 1, 1. τόν τε Θεὸν ΟΝ ΟΜΩΜΟΚΑΜΕΝ, παραιτούμεθα· *Deum, per quem iurauimus, deprecamur:* et XIII, 3, 4. C. III. Ὤμοσαν δὲ τὸν Θεὸν καὶ τὸν βασιλέα, ἦ μὴν ποιήσασθαι τὰς ἀποδείξεις κατὰ τὸν νόμον· *Per Deum autem et Regem iurarunt, sese probationes allaturos esse ex Lege.*

* *

PRIOR

EPISTOLA PETRI.

CAPVT II.

V. 4.

Εἴπερ ἐγεύσασθε) Γεύεσθαι hic est *ipsa experientia teste aliquid cognoscere.* Sic apud Iosephum A. II, 10, 3. τῆς διὰ Μωϋσῆν εὐπραγίας ΓΕΥΣΑΜΕΝΟΝ τὸ τῶν Αἰγυπτίων στράτευμα, πονεῖν οὐκ ἐκάμνεν. *Aegyptiorum exercitus, postquam prosperrimum rerum successum, auspiciis Mosis, ipsa experientia cognouerant, nullo labore fatigabatur.*

Plu-

Plura exempla in hanc rem afferebamus supra ad Hebr. VI. 4.

v. 6. Διὸ καὶ περιέχει ἐν τῇ γραφῇ) In quibusdam Codd. est, περιέχει ἡ γραφὴ· Sed haec emendatio, seu potius corruptio, omnino tribuenda est ignorantiae librariorum, qui receptam lectionem, quia non publici saporis est, concoquere non poterant. Omnino retinenda recepta lectio. Neque vero ad eam defendendam aduocandus erat Herodoti locus, RAPHELIO laudatus, cum sit maxime ἀπροσδιόνυσος; neque cum ERASMO SCHMIDIO vox Θεὸς supplenda, cum περιέχει saepe ita nude ponatur. Locus, huic nostro simillimus, est apud Iosephum A. XI, 4, 7. vbi Darius dicitur literas ad praefectos suos misisse, his additis: βούλομαι γίνεσθαι πάντα, καθὼς ἐν αὐτῇ ΠΕΡΙΕΧΕΙ, *Volo omnia fieri, quae in ea epistola CONTINENTVR:* altera autem loquendi ratio est eodem Cap. §. 9. καὶ ἡ μὲν ἐπιστολὴ ταῦτα περιεῖχεν. De Verbi περιέχειν vsu plura dicebamus ad Act. Apost. C. XXIII, 25.

v. 9. Ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε) Scio, quomodo τὰς ἀρετάς, Deo tributas, interpretentur Viri docti; sed mihi non probatur eorum interpretatio. Ἀρετὴ optimo cuique scriptorum saepe est *benignitas*, *beneficentia*, *beneficia:* redde igitur: *vt praedicetis benignitatem* f. *beneficia Dei, qui nos vocauit.* Sic infra II. Epist. 6. I. 3. τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, quod BEZA reddidit: *qui vocauit nos ad gloriam et virtutem:* Sed ibi Vir bonus dormitabat, cum τῷ διὰ affingebat significatum, toti Graeciae, opinor, inauditum. Aliter HEINSIVS in Prolegom. ad Aristarch. sacr. explicat, plerosque fere omnes ὁμοψήφους nactus. Sed nec is mihi hic quidem audiendus videtur. Mihi videtur ille locus sic reddendus: *qui nos vocauit per gloriosam benignitatem;* vocibus δόξης καὶ ἀρετῆς per ἓν διὰ δυοῖν sumptis. Sic ἀρετὴ pro *beneficentia, benignitate* est apud Iosephum A. I. 3, 8. vbi Deus: ἀλλ' οἳ ἐφύβριζον εἰς τὴν ἐμὴν εὐσέβειαν καὶ ΑΡΕΤΗΝ, τούτοις ἐξεβιάσαντό με ταύτην αὐτοῖς ἐπιθεῖναι τὴν δίκην. *Sed tantis*

tis contumeliis, quibus sanctitatem meam et benignitatem in ipsos *violarunt, me compulerunt ad has poenas ab illis repetendas.* XVII, 5, 5. in oratione Damasceni pro Herode: μάλιστα δὲ τὴν ΑΡΕΤΗΝ ἐπιπολὺ ἐξηγεῖτο τοῦ βασιλέως, ἥπερ εἴς τε τροφὰς καὶ παιδεύματα χρησάμενος τῶν υἱέων. *Inprimis vero regis benignitatem praedicabat, et merita in bene educandis instituendisque liberis:* vtroque loco Interpres Latinus, qui ἀρετὴν *virtutem* reddidit, partes suas non bene egit. Apud eundem Iosephum, XVII, 5, 6. ἀρετὴ τοῦ Θεοῦ est *auxilium diuinum,* vbi quoque male Interpres Latinus. Huius significatus τῆς ἀρετῆς pro *benignitate, beneficentia,* plura exempla adduximus in Commentario nostro ad *Decretum Flauianum* p. 73.

v. 13. Εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι) *Siue regi, vt viribus et potentia valenti:* ita ὑπερέχοντες apud Iosephum, quibus opponuntur ἀσθενεῖς. A. VIII, 12, 1. vbi de Asani pietate, et fiducia in Deum, inter caetera, ita: οὐδὲ ἄλλῳ τινὶ θαρσήσας, ἔλεγεν, ἢ τῇ παρ' αὐτοῦ βοηθείᾳ, δυναμένῃ καὶ τοὺς ὀλίγους ἀπεργάσασθαι κρείττους τῶν πλειόνων, καὶ τοὺς ἀσθενεῖς τῶν ΥΠΕΡΕΧΟΝΤΩΝ, ἀπαντῆσαι πρὸς μάχην τῷ Ζαραίῳ. *Non alia re aliqua nixum, aiebat, quam illius auxilio, cuius est, paucos pluribus, et imbecilles viribus praestantioribus superiores facere, ausum esse cum Zaraeo acie dimicare.*

v. 24. Ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι) Hoc quid denotet, dilucidius exprimit Paulus Rom. VI, 2. ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ. Ἀπογενέσθαι enim est *mori,* vt docuit RAPHELIVS, a WOLFIO ad h. l. laudatus. Est autem locutio elliptica, supplenda vocibus ἐξ ἀνθρώπων, vt diserte est apud Iosephum, A. V. I, 1. Μωϋσέως δὲ τὸν προειρημένον τρόπον ΕΞ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ἀπογεγονότος, *Cum autem Moses, quemadmodum dixi, ex hominibus sublatus esset.* Est tamen saepe, vbi ἀπογενέσθαι *mori* denotet, nec tamen illa ellipsis locum habeat, vt in hac ipsa Apostoli loquendi ratione.

CAPVT

CAPVT III.

v. 5. Ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν) Vtitur hic Apostolus τῷ ὑποτάσσεσθαι, vt indicet, vxores debere illas quidem mariti imperio liberali subiectas esse, illique in honestis rebus obsequium praestare, sed non seruili conditione tractandas esse, duriterque habendas. Aliae enim sunt δοῦλαι, aliae ὑποτασσόμεναι. Sic Iosephus A. I, 19, 8. Ἦσαν δ' ἑκατέραις θεραπαινίδες, τοῦ πατρὸς διδόντος· Ζελφὰ μὲν Λείας, Ῥαχήλας δὲ Βάλλα· ΔΟΥΛΑΙ μὲν οὐδαμῶς, ΥΠΟΤΕΤΑΓΜΕΝΑΙ δέ· *Erant autem ambabus* (Iacobi vxoribus) *ancillae, quas eis attribuerat pater: Liae quidem Zelpha, Rachelae vero Balla: nequaquam quidem seruae, earum imperio tamen subiectae.*

v. 6. Καὶ μὴ φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν) Melius, et huic loco conuenientius, H. STEPHANVS in Thesaur. Gr. L. T. I I. p. 589. πτόησιν interpreatur *pauorem*, quam in Schediasmatt. Lib. II. C. XII. in Lampade Critica GRVTERI T. V. *libidinem veneream*, quae vocis notio ab Apostoli mente quam maxime aliena est. Sensus Apostoli est: *Vxores praestent officium suum ita, vt nullo metu coactae id faciant, atque adeo sponte et liberaliter*: quod ipsum aliis locis, et seruis, et omnino omnibus hominibus iniungitur. Πτοίαν autem, et πτόησιν *pauorem, vehementiorem metum* notare, vel haec Iosephi loca docent: XIX, 1, 17. Ἐπεὶ δὲ καὶ πλῆθος τῶν Γερμανῶν περιέχε τὸ θέατρον ἐσπασμένων τὰ ξίφη, πᾶσι τοῖς θεωροῖς ἐλπὶς ἦν ἀπολεῖσθαι· καὶ πρὸς πᾶσαν οὗτινος εἴσοδον ΠΤΟΙΑ εἶχεν αὐτοὺς ὡς αὐτίκα μάλα συγκοπήσοιντο. *Sed postquam turba Germanorum strictis gladiis circumdederat theatrum, spectatores de vita quisque sua metuere coeperunt, et ad cuiusuis ingressum PAVOR eos incessit, quasi iamiam ferro concidendi essent.* Eodem Lib. 3, 1. ΠΤΟΙΑΣ κατειληφυίας τὸν ὄχλον, *Cum pauor populum occupasset.* B. I. IV, 1. διαδρομή τε ἦν, καὶ ΠΤΟΙΑ πολλή. *Magna erat hominum concursatio et trepidatio.* Et sic ipsum Verbum apud eundem B. I. I, 30, 4.

ΕΠΤΟ-

ΕΠΤΟΗΤΟ δὲ τῷ φόβῳ, καὶ πρὸς πᾶσαν ὑπόνοιαν ἐξεῤῥιπίζετο· *Metu autem consternatus erat, et ad omnem suspicionis auram commouebatur.*

v. 18. Ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ) Vertunt: *vt nos adduceret ad Deum*, facta scilicet expiatione: quam interpretationem, tantum abest, vt reiiciam, vt potius vehementer probem. Προσάγειν enim eleganter Graecis dicuntur *amici intimi Regis et sequestri*, προσαγωγεῖς *inde dicti, qui alios ad Reges introducunt*: quod Christo apprime conuenit, quippe per quem, vt sequestrum et conciliatorem, credentes ad Deum aditum, et cum eo colloquendi facultatem, accipiunt: quo haud dubie respexit Paullus, cum Rom. V. 2. scribebat, δι' οὗ (Χριστοῦ) καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν. Nescio tamen, an hic loci orationis seriei conuenientius sit interpretari, *vt nos* CONCILIET *Deo*: nam haec quoque τοῦ προσάγειν notio est. Sic apud Iosephum A. XIV. 11. 2. Κάσσιος - ἀμφοτέρους ΠΡΟΣΑΓΕΤΑΙ, τόν τε Βάσσον, καὶ τὸν Μάρκον· *Cassius vtrumque* SIBI CONCILIAT, *Bassum et Marcum.*

v. 20. Εἰς ἣν ὀλίγαι (τουτέστιν ὀκτὼ) ψυχαὶ διεσώθησαν --- δι' ὕδατος· Cum *paucissimos* homines in vniuersali illo diluuio seruatos esse, scriptor diuinus dicat: Iosephus sublestae fidei postulandus videatur, qui *plurimos* in ista inundatione periisse, multosque adeo id euasisse dicit. De hac enim re ita A. I, 9, 5. τοῦτο ἦν τὸ αἴτιον τοῦ μὴ διασωθῆναι ΠΛΕΙΟΝΑΣ· *Id causae erat, cur* PLVRIMIS *salus omnis adimeretur.* Sed recte et grauiter, ex linguae ratione, defendit Iosephum HAHERCAMPVS, cuius adnotatio digna est, quae huc transferatur. Ne fraudi sit, inquit, versio *Hudsoni*, qui, πλείονας *plurimis* vertens ad verbum, ambiguam facit sententiam. Graeca enim significant, vniuersam multitudinem periisse, paucissimis exceptis: ita enim apud Polyb. Lib. I. Cap. 3. οἱ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων omnes fere Graecos significat, et apud Xenoph. Cyrop. lib. 3. in initio, Armeniorum, veniente Cyro, οἱ μὲν πολλοὶ κατέμενον, quo vniuersa multitudo, regio co-

mitatu excepto, significatur. Sed et apud Arrianum Lib. I, Cap. 3. τῆς Ἀραβίας τὰ πολλὰ, totam fere gentis partem, et longe maximum numerum denotant, vt et alibi. Neque suum πλείονας aliter accipi voluisse Iosephum, patet ex pag. 13. pr. vbi clarissime, omnes, *Noacho* cum suis excepto, periisse dicit.

Caput IV.

V. 1. Καὶ ὑμεῖς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε) Simillima loquendi ratio est apud Iosephum A. VI, 9, 4. vbi Dauides, cum Goliatho in singulare certamen progressurus, dicit: τὸν Θεὸν ΩΠΛΙΣΜΑΙ, *Dei auxilio armatus sum.*

v. 4. Ἐν ᾧ ξενίζονται) ξενίζεσθαι eleganter Graecis dicitur *rei nouitate in admirationem adduci.* Sic Iosephus A. I, 1, 2. βλέπων δὲ τὸν Ἀδαμον οὐκ ἔχοντα κοινωνίαν πρὸς τὸ θῆλυ καὶ συνδιαίτησιν, οὐδὲ γὰρ ἦν, ΞΕΝΙΖΟΜΕΝΟΝ δ' ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις οὕτως ἔχουσι· *Videns autem Adamum carentem societate, et conuictu feeminae, nondum eni erat, aliorumque animantium, quod ita se haberent, ADMIRATIONE PERCVSSVM:* paullo post, τὸν δὲ Θεὸν ΕΞΕΝΙΣΕΝ τὸ πραττόμενον, *Deo autem admirationem commouit id factum.*

v. 19. Ὡς πιστῷ κτίστῃ παρατιθέσθωσαν τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν) *Commendent se ipsos Deo vt creatori.* Sic παρατίθημι apud Iosephum A. VII, 15, 11. ΠΑΡΑΤΙΘΗΜΙ δέ σοι καὶ τοὺς Βερζελαίου τοῦ Γαλαδίτου παῖδας· *Commendo autem tibi etiam Barzelaei Galaditae liberos.*

* *

POSTERIOR EPISTOLA PETRI,

Caput I.

v. 3.

Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς) Mirum est, quantopere Interpretes hic fluctuentur in vera τῆς ἀρετῆς notione definien-

nienda. Omni isto labore supersedere poterant: reddendum enim erat, *pergloriosam benignitatem.* Vide, quae de hoc ἀρετῆς significatu supra diximus ad priorem hanc Epist. C. II. 9. Caeterum nescio, an dicam, Viros doctos in huius versus structura plus difficultatis quaesiuisse, quam inuenisse: sensus est enim hic: *Cum vobis potentia diuina omnia ad vitam et pietatem concesserit*, v. 5. *ob id ipsum* (καὶ pro consecutiuo, vt saepissime alias in sacris literis, sumpto) *omnem operam adhibeatis* etc. vbi monendum, τὸ ὡς non reddendum esse, vt WOLFIO et aliis placet, *quandoquidem, quoniam;* (cum ea notio iam inclusa contineatur in participio δεδωρημένης) sed eleganter illud; Participiis additum, παρέλκειν. Sic apud Iosephum A. XI, 7, 13. ὁ δὲ Μαρδοχαῖος, ΩΣ ἀναλαβὼν τὴν βασιλικὴν στολὴν -- προῆλθεν *Mardochaeus autem, cum regiam vestem induisset -- in publicum processit.* Sed huius vocis πλεονάζούσης exempla vel VIGERVS de Idiotism. Gr. L. passim dabit: porro illud δεδωρημένης actiue sumendum est: quo cum nihil fere tritius apud Graecos sit, mirum sane, Viros doctos saepe in ea re esse hallucinatos. Sic illa Iosephi A. XI, 7, 1. πῶς οὐκ ἐγὼ καθαρώτερός εἰμι τοῦ ΑΝΗΙΡΗΜΕΝΟΥ ἐν τῷ ναῷ, *Hudsonus* reddidit: *Quis dubitet, quin ego sim purior, quam qui in templo OCCISVS sit?* male! reddendum erat: *quam qui in templo interfecerit.* Intelligitur enim Ioannes Pontifex M. qui fratrem Iesum in templo interfecit. Lege locum ipsum, et mecum consenties. Sed multa exempla Passiuorum, quae Actiue sumuntur, attulit IENSIVS in Lect. Lucianeis Lib. II. C. XV. p. 247.

V. 9. λήθην λαβὼν τοῦ καθαρισμοῦ τῶν πάλαι αὐτοῦ ἁμαρτιῶν) Mirum sane, diligentissimum WOLFIVM hunc locum intactum reliquisse, nihilque interpretationis ad eum illustrandum attulisse. Nam, quam similem loquendi rationem, λήθην ποιεῖσθαι, ex Herodoto adduxit, ea nihil ad rem praesentem facit. Omnino explicandum erat, quid sit λήθην λαβεῖν. Plerique omnes interpretantur, *obliuisci liberationem a peccatis per baptismum.* Sed num quis vnum

aliquem hominem fingere animo sibi potest, qui obliuiscatur, se aliquando baptismo esse lauatum? adeone quemquam obliuiosum esse, vt eius rei memoriam animo suo effluere patiatur? Alia igitur mens, alius verborum ipsius sensus sit, necesse est. Mihi quidem hic totus locus, ᾧ μὴ πάρεστι ταῦτα, τυφλός ἐστι, μυωπάζων, λήθην λαβὼν τοῦ καθαρισμοῦ τῶν πάλαι αὐτοῦ ἁμαρτιῶν, ita videtur reddendus: *Cui desunt hae virtutes*, quae ex fide proficisci debent, *is coecus est, et oculos claudens, et QVI VIM BAPTISMI AMISIT*, h. e. nihil ei prodest, baptismo lauatum esse. Hanc interpretationem orationis συνάφεια non tam postulat, quam efflagitat. Sic apud Iosephum A. II, 6, 9. τῆς ἐξουσίας ἐπιλανθάνεσθαι, *vim imperii amittere, non exercere*. A. II, 9, 1. de Aegyptiis: ὥστε ἦσαν ἐν ὑπὸ Ἰωσήπου τετυχότες, διὰ χρόνου μῆκος ΛΗΘΗΝ ΛΑΒΟΝΤΕΣ, *Gratum animum beneficiorum, a Iosepho in ipsos profectorum, longinquitate temporis amiserunt*: Eodem Lib. 15, 4. de Hebraeis in Mosen rebellibus: τὸν Μωϋσῆν ᾐτιῶντο, πάντων ΕΠΙΛΕΛΗΣΜΕΝΟΙ τῶν ἐκ Θεοῦ πρὸς τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς σημείων γεγονότων· *Mosen incusarunt, omnia illa miracula, quae pro eorum libertate Deus ediderat, negligentes et parui aestimantes*. Et de B. I. VI, 6, 2. ΕΚΛΑΘΕΣΘΑΙ τῶν τοῦ πολέμου νόμων est, *vim legum bellicarum negligere, non exercere*. Sic de iisdem A. III, 1, 4. ΛΗΘΗΝ ΕΧΕΙΝ τῶν ἔμπροσθεν εὐεργεσιῶν· quod quid sit, statim dilucidius explicatur per τῆς διανοίας ἐκβάλλειν τὰς τοῦ Θεοῦ χάριτας καὶ δωρεάς. Eodem modo igitur τοῦ καθαρισμοῦ λήθην λαβεῖν licet interpretari, τῆς διανοίας ἐκβάλλειν τὸν καθαρισμὸν, atque adeo *illius vim amittere*. Neque Latinis haec loquendi ratio incognita est. Virgilius Lib. II. Georgic. v. 59. *Pomaque degenerant, succos OBLITA priores*; h. e. quia amiserunt.

v. 15. Κατὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον) Ἔξοδος pro *morte* quoque apud Iosephum est A. IV. 8, 2. Οὐ γὰρ ἐπ' ΕΞΟΔΟΥ τοῦ ζῆν διοχλεραίνοντας καταλιπεῖν. *Nolim vos in exitu vitae*

tae contristari. Pro eo apud eundem est A. II, 6, 9. §. 9. ἡ ἐκ τοῦ ζῆν ἀπαλλαγή.

v. 16. Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες) Ita Iosephus in Prooemio Antiquitatt. §. 4. vbi Mosis sapientiam cum Legislatorum gentilium stultitia confert: Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι νομοθέται τοῖς μύθοις ΕΞΑΚΟΛΟΥΘΗΣΑΝΤΕΣ, τῶν ἀνθρωπίνων ἁμαρτημάτων εἰς τοὺς Θεοὺς τῷ λόγῳ τὴν αἰσχύνην μετέθηκαν, καὶ πολλὴν ὑποτίμησιν τοῖς πονηροῖς ἔδωκαν· ὁ δ' ἡμέτερος νομοθέτης, ἀκραιφνῆ τὴν ἀρετὴν ἔχοντα τὸν Θεὸν ἀποφήνας, ᾠήθη δεῖν τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνης πειρᾶσθαι μεταλαμβάνειν· καὶ τοὺς μὴ ταῦτα φρονοῦντας μηδὲ πιστεύοντας ἐκόλασε. *Namque alii Legislatores, fabulas secuti, pudenda hominum peccata ad Deos verbis transtulerunt, multamque improbis femet excusandi occasionem dederunt. At noster Legislator, ostenso, Deum habere maiestatem puram ac defaecatam, homines summa ope niti oportere censuit, vt de ea participent; in eosque, qui neque sapiunt, neque hoc credunt, severe admodum animaduertit.* Caeterum μύθους σεσοφισμένους interpretor *fabulas argute callideque excogitatas, ad imperitam multitudinem decipiendam aptas.* Constat sane, σοφίζεσθαι interdum malo sensu pro *callide decipere* sumi. Sic apud Iosephum B. I. 2, 3. τοιούτοις ΕΣΟΦΙΖΕΤΟ τὸν Τίτον, *Eiusmodi verbis Iohannes callide circumueniebat Titum.* Sic σοφία pro *astutia, fraude* est apud eundem A. I, 19, 6. Alia de huius Verbi vsu exempla dabit P. FABER in Agonistic. Lib. I. C. XV.

v. 19. ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες) ELSNERVS interpretatur, *cui merito, recte animum aduertitis*, approbante WOLFIO. Mihi autem B. LVTHERI versio, longe praestantior, omnino videtur retinenda, cum in interpretatione *Elsneriana* τοῦ ποιεῖτε nulla plane ratio habeatur. Iisdem verbis Iosephus A. XI, 6, 12. in Artaxerxis literis, quibus Amanis Edictum contra Iudaeos cruentum rescindit: οἷς (γράμμασι Ἀμάνου) ΠΟΙΗΣΕΤΕ ΚΑΛΩΣ ΜΗ ΠΡΟΣΕΧΟΝΤΕΣ· *Recte facietis, si iis lite-*

ris non obsequamini. De loquendi formula εὖ f. **καλῶς ποιεῖν** multis disputabamus supra ad Act. Apost. C. XV. 29. eamque ab altera, εὖ πράττειν, multum differre ostendebamus. Sensus dicti Petrini est: *Bene facietis, f. saluti vestrae optime consuletis, si illi verbo diuino fidem habeatis, assensum praebeatis, et ad illius normam vestram vitam componatis.* Formulam loquendi προσέχειν τινὶ denotare *alicui fidem habere, assensum praebere*, multis exemplis confirmabamus supra ad Act. Apost. C. VIII, v. 6.

CAPVT II.

V. 6. Καὶ πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας τεφρώσας καταστροφῇ κατέκρινεν) iisdem fere verbis vtitur Iosephus in eadem re tradenda, A. I, 11, 4. Σοδομιτῶν δὲ ΚΑΤΕΚΡΙΝΕ πάνδημον ὄλεθρον -- ὁ Θεὸς ἐνσκήπτει βέλος εἰς τὴν πόλιν, καὶ σὺν τοῖς οἰκήτορσι κατεπίμπρα, τὴν γῆν ὁμοίᾳ ΠΥΡΩΣΕΙ ἀφανίζων. *Sodomitas vero uniuersos ad interitum adiudicauit, - - Deus telum in vrbem coniicit, eamque vna cum incolis combussit, terram circa omnem pari incendio deuastans.* Qui in ea versantur opinione, eo tempore, quo Sodoma, Gomorrha, caeteraeque vrbes euersae sunt, lacum Asphaltiten esse ortum, ita, vt aquis illius obrutae et mersae fuerint, nullam satis grauem rationem sententiae confirmandae afferre possunt. Nihil sane praesidii neque in Iosepho inueniunt. Bene, ad laudatum Iosephi locum et RELANDVS: πυρώσει ἀφανίζων) Non aquis, inquit, vti Ant. I. 3. de diluuio ἀφανίζειν vsurpauerat, ἀφανισθῆναι ὑπὸ τῆς ἐπομβρίας. Si credidisset, hinc ortum lacum Asphaltiten, qui has vrbes et regionem vicinam obtexerit, hic locus erat monendi illud; nec Iosephus id praetermisisset. Haec ille. Caeterum, quemadmodum hic καταστροφὴ de *euersione et excidio* vrbis dicitur; ita apud Iosephum A. II, 10, 2. est τὰς πόλεις ΚΑΤΑΣΤΡΕΦΟΜΕΝΟΣ, *vrbes euertens.*

v. 15. Ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαάμ) Ὁδὸς τοῦ Βαλαὰμ est *consilium* (Iosepho dicitur παραίνεσις lo-

eo mox citando) quod dederat Madianitis Balamus, vt virginum suarum formosissimarum illecebris iuuenes Israëlitarum caperent, et ea fraude a veri Dei cultu abstraherent. De qua re Iosephus videndus, A. IV, 6, 6. Vis autem praecipua Comparationis, auctore CAMP. VITRINGA in Dissert. de Argumento Epistolarum Petri posterioris, et Iudae, in eo sita est, quod, sicuti Balaam Propheta auctor fuit Moabitis, ut Israëlitas ad commercium prohibitarum libidinum, et per libidines ad idololatriam, pellicerent, et hac ratione in eos deriuarent grauissimas Dei poenas; sic falsi hi Doctores, patrandarum libidinum carnalium licentiam facientes credentibus, ad auaritiam suam, ad Bileami exemplum, satiandam, pariter in Ecclesiam prouocarint iram Dei, et, quae iram sequi solent, castigationes seueras. Id vero praecipuum esse, quod huic subsit comparationi, intelligi ex Apocalysi Iohannis II. 14. idem obseruat.

Ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν) Quamquam in historia Mosaica non traditur diserte, Bileamum praemia, a Balaco per legatos missa, accepisse; tamen id accidisse, et Petrus hic indicat, et Iosephus haud obscure innuit: qui A. IV, 6, 2. in prima Balaci ad Bileamum legatione nihil quidem de muneribus missis habet, sed tradit tantum: *πέμπουσι μετὰ τῶν Βαλάκου πρέσβεων ἄνδρας τῶν παρ' αὐτοῖς ἀξιολόγων, παρακαλέσοντας τὸν μάντιν ἐλθεῖν· Cum Balaci legatis mittunt etiam de suis viros honoratissimos, qui vatem arcesserent:* quos quamquam prope verum est non venisse sine muneribus, pro more veterum in legatis mittendis recepto; tamen paullo post §. 3. vbi de altera ad eundem legatione Iosephus exponit, dilucide cognoscitur: *Μαδιανῖται δὲ, Βαλάκου σφόδρα ἐγκειμένου καὶ δῆσιν λιπαρὰν προσφέροντος, πάλιν πέμπουσι πρὸς τὸν Βάλαμον· Madianitae vero, instante adhuc magis Balaco, et MAGNA POLLICENTE, alteram ad Balamum legationem mittunt:* et mox §. 5. *τοῦ δὲ Βαλάκου δυσχεραίνοντος, καὶ παραβαίνειν αὐτὸν τὰς συνθήκας, ἐφ' αἷς αὐτὸν ἀντὶ μεγάλων*

λάβοι δωρεῶν παρὰ τῶν συμμάχων, ἐπικαλῦντες· *Rege autem indigne ferente, et pacta non seruare clamitante, licet magnis muneribus ab amicis fuisset conductus.* Sed omnium disertissime docet Philo *de Vita Mosis* p. 643. Bileamum ad hoc negotium a Balaco muneribus fuisse et mercede conductum: Ἐπὶ τῦτον ἐξέπεμπέ τῶν ἑταίρων τινὰς, παρακαλῶν ἥκειν, καὶ ΔΩΡΕΑΣ τὰς μὲν ἤδη παρεῖχε, τὰς δὲ δώσειν ὡμολόγει· *Ad Bileamum rex misit amicos aliquot, rogans vt veniret, multa repraesentans munera, plura pollicens:* paullo post: Ἕτεροι δ' εὐθὺς ἐπὶ τὴν αὐτὴν χρείαν ἐχειροτονῦντο τῶν δοκιμωτέρων, πλείω μὲν ἐπιφερόμενοι χρήματα· περιττοτέρας δὲ δωρεὰς ὑπισχνύμενοι· *Rex mox alios honoratiores misit cum maiore vi pecuniae, iussos etiam polliceri ampliora, quam antea, munera.* Verum igitur est, Bileamum munerum accipiendorum spe ductum ad Balacum venisse (quod solum ex hoc Petrino loco colligi posse putat SVRENHVSIVS) Sed nec illud negandum, Bileamum munera accepisse.

v. 16. ὑποζύγιον ἄφωνον ἐν ἀνθρώπυ φωνῇ φθεγξάμενον) Eandem rem iisdem fere verbis tradit Iosephus A. IV, 6, 3. ἡ ὄνος τυπτομένη ὤκλασε, κατὰ βύλησιν Θεῦ φωνὴν ἀνθρωπίνην λαβῦσα, κατεμέμφετο τὸν Βάλαμον ὡς ἄδικον· *Cum asina, iterum percussa, succubuisset, vocem humanam, Dei voluntate, edens, Balamum vt iniustum increpuit.*

CAPVT III.

V. 16. Ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλῦσι) Vocem ἀμαθὴς h. l. reddunt *indoctum, indocilem:* quod minime improbo; nescio tamen, an interpretari praestet *malitiosum,* adeo vt *malitia* in istis hominibus causa sit peruertendi et corrumpendi verum scripturae sacrae sensum. Sic ἀμαθία diserte est pro *malitia* apud Iosephum A. I, 4, 1. vbi de Noëi nepotibus, Dei praeceptum negligentibus: ὑπὸ ΑΜΑΘΙΑΣ παρήκυσαν τῦ Θεῦ, καὶ διὰ τῦτο συμφοραῖς περιπεσόντες, ᾔσθηντο τῆς ἁμαρτίας· *Prae malitia, Dei dicto*

&tnon obtemperarunt; quapropter in calamitates incidentes, suum peccatum agnouerunt. A. III, 14, 4. vbi Moses Deum implorat, vt furentis populi malitiae et rebellioni resistat: ὅπως τῆς ΑΜΑΘΙΑΣ παύσῃ τὸ πλῆθος, *vt populi malitiam coërceret.*

* *

PRIMA

EPISTOLA

IOANNIS.

CAPVT II.

V. 28.

Ἔχωμεν παῤῥησίαν) Eadem loquendi ratio est apud Iosephum A. V, 1. 13. Βλέπων δὲ ὕτος ὁ Ἰησῦς τὴν τε ϛρατιὰν καταπεπληγυῖαν, καὶ περὶ τῶν ὅλων πονηρὰν ἤδη τὴν ἐλπίδα λαμβάνουσαν, ΠΑΡΡΗΣΙΑΝ ΛΑΜΒΑΝΕΙ πρὸς τὸν Θεόν· *Iesus autem, videns exercitum ita territum, atque animis consternatum, et de rerum summa iam male sperantem, cum fiducia Deum alloquitur:* Et VII. 1. 3. de Abenero, Asaëlum a persequendo retrahere conante: μὴ κτείνας αὐτὸν ἀπολέσῃ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτῦ ΠΑΡΡΗΣΙΑΝ· *Ne amitteret libertatem in conspectum fratris ipsius veniendi.*

* *

EPISTOLA

IVDAE.

V. 4.

Παρεισέδυσαν) *Clam irrepserunt.* Sic apud Iosephum B. I. 24, 1. πλεῖυς δὲ τῶν φίλων ΠΑΡΕΔΥΝΟΝΤΟ κατάσκοποι: *Plures ex amicis Antipatri, ad res explorandas, sese in familiaritatem sensim insinuabant.*

Οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα) *Qui dudum adiudicati, destinati sunt huic condemnationi:* προγράφειν enim saepe optimo cuique auctori est *destinare:* vnde apud Iosephum A. XI, 6, 11. παρασκευάζεσθωσαν πάντες εἰς τὴν ΠΡΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΗΝ ἡμέραν, *parati sint omnes ad destinatam diem.*

v. 6. Εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας - - τετήρηκεν) Ita τηρεῖν *asseruare, reseruare,* Einen zu etwas aufbehalten, est apud Iosephum A. I, 3, 7. εἰ μὴ πρὸς τὸ παντελὲς ἦεν σεσωσμένοι, ΤΗΡΗΘΕΙΕΝ δ' ἑτέρῳ κατακλυσμῷ· *Si non omnino salui et incolumes essent, sed alteri diluuio asseruarentur.*

v. 7 Ὡς Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα, καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον) Cum illud τούτοις ex ratione Grammatices non habere videatur, quo referri possit: alii de Angelis, nescio quibus, sumserunt, perquam inepte! alii mutarunt in ταύταις, vt voci πόλεις responderet: male! Nec praestantissimus WOLFIUS hic ὀρθοποδεῖ, qui τούτοις in Genere Neutro positum, et omnino ad Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα, (ipsa quoque in Genere Neutro, ex ipsius sententia, hic posita) referendum putat. Sed hoc admitti nequit, cum praecesserit αὐτὰς, vt, si τούτοις ad Σόδομα et Γόμοῤῥα pertineret, omnino dicendum fuisset ταύταις. Mihi igitur illud τούτοις omnino ad incolas Sodomae et Gomorrhae referendum videtur, ac si scripsisset, τούτοις πολίταις: quod, licet improbet et reiiciat WOLFIUS, tamen vnice verum, et eleganter dictum puto. Quod ne quis insolens existimet, vel duo exempla huius Figurae, quae *Synesis* Grammaticorum filiis dicitur, afferamus. Apud Iosephum in Vita §. 69. Ἐγὼ δὲ ἀκούσας ἠπόρουν, τίνα τρόπον ἐξαρπάσω τὴν ΤΙΒΕΡΙΑΔΑ τῆς Γαλιλαίων ὀργῆς ἐπ' ΑΥΤΟΥΣ· *Ego vero, istis auditis, dubitabam, quomodo Tiberiadem a Galilaeis liberarem, iratis in ILLOS:* qui locus huic Apostoli est simillimus: saepe scilicet nominantur vrbes, et intelliguntur earum incolae: quae causa est, quare scriptores, cum Latini tum Graeci, Nomi-

mini cuiusdam Vrbis subiungant Adiectiuum aut Participium, quod illi non ratione Grammatices, sed per synesin conuenit. Simillimum exemplum est illud Xenophontis Lib II. Memorabil. c. 2. καὶ αἱ πόλεις - - παύσοντες, vbi, ex ratione Grammatices, subiungendum fuisset παύσουσαι; Sed quoniam in τῷ πόλεις notio inclusa latet *ciuium*, atque adeo πόλεις idem ibi est ac πολῖται; recte et eleganter sequitur παύσοντες. Plura huius Figurae exempla attulit Praestantissimus DVKERVS ad Thucydidem Lib. I. p. 5. et Lib. II. C. 47. Non igitur assentire possum doctissimo OLEARIO, qui in Differtat. de Stylo N. T. p. m. 81. hanc Figuram Grammaticam Hebraismis adnumerari vult.

v. 19. Ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες) Ψυχικοὶ sunt homines, qui non nisi naturae motus, brutis animantibus communes, sequuntur, et cupiditatum sub imperio omnem vitam transigunt, nihilque in se sentiunt operationis Spiritus Sancti. Ψυχὴ enim Graecis dicitur saepe omne id, *quod homines cum brutis* animantibus commune habent: vnde τῇ ψυχῇ ἕπεσθαι est *cupiditatibus* et *concupiscentiae obsequi*. Et quemadmodum hic ψυχικοὶ et πνεῦμα ἔχοντες distinguntur, ita apud Iosephum A. I, 1, 2. Deus primo homini πνεῦμα et ψυχὴν indidisse dicitur: vbi πνεῦμα est, quod homini proprium, ψυχὴ autem, quod cum brutis animantibus commune. Cf. ad h. l. Iosephi SIBRANDA: sed de hac re pluribus dicebamus supra ad 1. Thessal. V, 23.

* *

APOCALYPSIS IOANNIS.

CAPVT I.

V. 5.

Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς) Pro ἀγαπήσαντι Codd. quidam apud BENGELIVM habent ἀγαπῶντι, fortas-

rasse ideo, dicit ad h. l. GROTIVS, quod sic perpetua indicetur dilectio. Atqui ea ipsa notio est in Voce ἀγαπήσαντι. Constat enim, Aoristum saepe apud Graecos actum rei continuum indicare. Sic infra C. XIX. v. 6. ἐβασίλευσε Κύριος ὁ Θεός· *semper, perpetuo regnat*. Et apud Iosephum A. II, 6, 4. ἔπαινον ἤνεγκε, *perpetuam laudem fert*. Vide, quae de Aoristorum vi et vsu diximus ad Matth. XXIII. 2. Aliter, scio, ad h. l. sentire WOLFIVM; sed mihi non persuadet.

v. 12. Καὶ ἐπέστρεψα βλέπειν τὴν φωνὴν) Ne cui insolens videatur, τὸ βλέπειν et τὴν φωνὴν coniungi, tenendum est, scriptores cum Latinos, tum Graecos inprimis, Verba sensuum saepissime permiscere, et praecipue βλέπειν et *videre* de omni sentiendi cognoscendique genere vsurpare, adeo vt βλέπειν, quemadmodum hic, ita saepe alias sit audire. Sic apud Aeschylum in Prometh. v. 21. eodem modo est φωνὴν ὄψει, *audies vocem*. Apud Iosephum A. IX, 4, 5. πολλὴν ἡσυχίαν καὶ ἀφωνίαν ἔβλεπον, *animaduertebant*. Contra ea ἀκούειν saepe est *videre*, v. c. apud Musaeum de Her. et Leand. v. 5. λύχνον ἀκούω, *lucernam video*: vbi omnino videndus d' ORVILLIVS et ROEVERIVS. Cf. ABRESCH in Animaduers. ad Aeschyl. pag. 2.

CAPVT II.

V. 14. Ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, ὃς ἐδίδασκε τὸν Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι) De consilio isto, Israëlitis perniciosissimo, Bileami, ea ex Iosepho supra ad 2. Petr. II. 15. attulimus, quae huc facere videbantur. De scortatione autem, et cultu Idolorum, ab Israëlitis suscepto, idem A. IV, 6, 9. tradit, ubi vid.

CAPVT III.

V. 5. Καὶ οὐ μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ) Sic Iosephus Lib. VI. Antiquitatt. C. VI. §. 1. καὶ τὸ Ἀμαλήκου ὀνο-

ὄνομα - - ΕΞΑΛΕΙΨΑΙ, *Atque Amaleci nomen penitus esse delendum:* A. XVII, 5, 2. Διὰ τάδε Ἡρώδης ἐκείνην τε ἐξέβαλε, καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς ΕΞΗΛΕΙΨΕ τῶν διαθηκῶν· *Hanc ob causam repudiauit Mariamnem Herodes, eiusque filium de testamento suo expunxit.* Plura de hoc Verbo dicebamus supra ad Act. Apost. C. III. v. 19.

Capvt XVIII.

v. 3. Ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν) Δύναμις h. l. non denotat *opes, facultates*, vt Viris quibusdam doctis placet, sed *magnitudinem, multitudinem*, vt apud Latinos *vis memoriae, vis auri* etc. Sic δύναμις est apud Iosephum A. III, 2, 4. αὐτοὶ τε πλούτου μεγάλου ΔΥΝΑΜΙΝ προσέλαβον· *Quin et ipsi magnam vim diuitiarum consecuti sunt.* Eodem sensu est ἰσχὺς apud eundem, A. I, 12, 7. ἰσχὺν προσέθηκας ἀγαθῶν· *Tu patri meo ingentem multitudinem bonorum proposuisti.*

Capvt XXII.

V. 18. 19. Ἐάν τις ἐπιτιθῇ πρὸς ταῦτα, ἐπιθήσει ὁ Θεὸς ἐπ' αὐτὸν τὰς πληγὰς) Πληγὴ, sine vlla Hebraismi suspicione, apud Graecos de omni genere grauiorum poenarum et calamitatum vsurpatur. Apud Iosephum A. VI, 5, 6. vbi Samuelus iisdem fere verbis grauissimis, quibus hic Ioannes, in cohortatione ad populum Israëliticum vtitur: Συνεβούλευε δικαίους εἶναι καὶ ἀγαθοὺς, καὶ μνημονεύειν ἀεὶ τῶν διὰ τὴν παράβασιν τῆς ἀρετῆς αὐτοῖς κακῶν συμπετόντων, καὶ τῶν σημείων τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς Μωϋσέως νομοθεσίας, εἰ σωτηρίας αὐτοῖς καὶ τῆς μετὰ τοῦ βασιλέως εὐδαιμονίας ἐστὶν ἐπιθυμία· εἰ δὲ τούτων ἀμελήσουσιν, ἔλεγεν, ἥξειν αὐτοῖς τε καὶ τῷ βασιλεῖ μεγάλην ἐκ τοῦ Θεοῦ ΠΛΗΓΗΝ. *Cohortatus eos est, vt iusti esse studerent et boni, semperque in memoria tenerent calamitates, in quas a virtute desciscendo inciderant; ac praeterea signa a Deo edita, legesque a Mose datas, si illis* in

incolumitatis suaeque iuxta ac regis felicitatis cupido esset: Sin vero ista neglexissent, fore aiebat, vt ipsi, vna cum rege, graui calamitate affligerentur. A. VIII, 4, 3. ΠΛΗΓΗι τινι κακωθῇ διὰ τὴν ἁμαρτίαν ἐκ σοῦ, *Calamitate aliqua ob peccatum a te afficiatur.* De B. I. I, 19. 3. ταύτης τῆς ΠΛΗΓΗΣ αἴτιον αὐτῷ τὸ τῶν ταξιαρχῶν ἀπειθὲς κατέστη· *Huius cladis caussa erant ordinum ductores, qui ei non paruerant*: et sic locis multis aliis. Caeterum Iosephus L. I. contra Apion. §. 8. id laudis tribuit Iudaeis, quod sacro Codici per tot secula nihil addiderint, nihilque detraxerint: Δῆλον δ᾽ ἐστὶν ἔργῳ, πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν· τοσούτου γὰρ αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος, οὔτε προσθεῖναί τις οὐδὲν, οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκεν. *Quanta autem veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Quum enim tot iam secula effluxerint, nemo adhuc nec adiicere quicquam illis, nec demere, aut mutare aliquid est ausus.* Et haec quidem sunt, quae mihi ex Iosepho ad N. T. illustrationem afferenda videbantur. Hoc autem opusculum meum finiam iisdem verbis, quibus Iosephus Opera sua finiit:

ΤΩι ΘΕΩι Η ΔΟΞΑ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΙΩΝΑΣ ΤΩΝ ΑΙΩΝΩΝ· ΑΜΗΝ.

FINIS.



INDEX

INDEX I. OBSERVATIONVM.

LVCAS

+ XXV. v. 13. Marc. VII. 11. p. 86.

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM.

Dd 2 mi-

Ἁγιωσύνη Paul. Rom. 1. 4.

οἰχα p. 284.

Ἔχω.

N.

Στα

Τί-

EMENDANDA.

Pagina	linea	lege.
9	3 pro *Compofira*	Compofita
ead.	19 pro *iuncta*	iunctae
10	22 pro *mul*	multi
14	14 pro *OLARII*	OLEARII
15	5 pro *PFOCHENII*	PFOCHENI
20	19 pro *feprem*	feptem
43	penult. pro *est*	es
62	28 pro *Cffiaus Lib. III.*	Caffius Lib. LIII.
124	24 pro *difputabimus*	difputabamus
130	2 pro *Trefauro notatus*	Thefauro non notatus
188	19 pro *gratiofum cum*	gratiafum eum.
204	14 pro *Zelatorum*	Zelotarum
307	24 pro *Lib. c. 46.*	Lib. V. c. 46.
359	15 pro παρακατίθεσθαι	παρακατατίθεσθαι
371	10 pro μέτρος	μέτριος





Luc. 12. 8. [illegible] Melchisedec quid significet. p. 354. [illegible]
Petavius reprehensus 175.
[illegible] p. 298.

